JURISPRUDENTIA FEUDALIS

ORDINE TRIBONIANI COMPOSITA

In qua jus Feudale Longobardicum, Neapolitan. Siculum sedulo; & ceterarum gentium exponitur.

CUI

Prælectiones in duos libros Consuetudinum Feudalium tituli de Verb. Feud. significatione; & de Reg. juris feud. accedunt. Et postremo Collectio legum Feud. Regni Neapolit. & Siciliæ.

TOMUS SECUNDUS

AUCTORE

FRANCISCO ANTONIO MAGLIANO

JURISCONSULTO.



NEAPOLI MDCCLXXIII.

TYPIS DONATI CAMPI.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD VIRUM INCLYTUM

D. STEPHANUM PATRITIUM

SERENISSIMI FERDINANDI IV.

CONSILIARIUM,

ET

CELEBERRIMUM IN NEAPOLITANA ACADEMIA

JURIS FEUDORUM

INTERPRETEM,

FRANCISCUS ANTONIUS MAGLIANO

D.

Onditio rerum humanarum, & divinarum, Vir celeberrime, perpetuum Togarorum Decus, & Neapolitanæ Academiæ Lumen, nec concipi, nec nasci poterat, nisi sedes, firmamentum, & præsidium, in quo persederet, concipiretur. Rei divinæ sedes, est æterna Dei voluntas, quam Homini ostensam, legem Mundi nuncupamus. Rei humanæ locus est admirandus Hominis intellectus, qui ex re divina profectus, artes, & scientias excogitat, producit, excolit, auget. Rei divinæ Magnitudo, atque admiratio, & in Homines imperium nullius indiget, sola Majestate agit, nec temporis helluationem, nec Hominis potentiam, livorem, aut calumnias extimescit. Attamen humanæ rei constitutio passim indigendo, alterius patrocinium exposcit, nec

nec una ſine ope, conſilio, & ſuaſione alterius naturalem agendi facultatem exhibere, ac exequi valet. Et quo magis auxilium præſtatur, eo magis actio perfectior evadit, & perdurat.

Hoc opus, quod fauſto, optumoque nomine tibi dicandum, conſecrandumque jam diu decrevi, ad te hodie tanquam ad ſacram Anchoram ſe confert; & ante tuæ dignitatis aram voti reus ſe conſtituit, nunc obſequio, quo pollet, damnatus voti, hoc eſt promiſſa ſolvit, vitam, ſparitum, & durationem ſibi promittit. Nam primum mei operis volumen alii ſummo viro dicavi, quod Typographii culpa tot erroribus ſcatet, quem Deus evertat. Nec obtrectantium linguas, nec calumniantium dentes & cenſuram timebit, ſed ut prædiolum, vela regia appenſa, ſe tuetur. Sane non me gloriæ favor, non nominis oſtendendi cauſa commovit, ſed veſtri ingenii fæcunditas, in jure ſacro, in ſacris Eccleſiæ annalibus, in Barbarorum poſt Romani Imperii Majeſtatis excidium politia; veterum monumentis peritia pervicit, atque adegit. Hanc enim non hodie dumtaxat in Cathedra, inter privatos parietes, in litterariis concertationibus, & in jure dicundo ſubminiſtras, ſed jam cum in patrocinio cauſſarum præſtantiſſimi Oratoris munere fungebaris, & ad perorandas nobiliſſimorum Procerum cauſſas aut allodiales, aut feudales primi ſubſelli locum occupabas.

Nomine tuo, & fama, quæ non ambulat, ſed volat, Ferdinandus IV. (quem Deus hoſpitet) allectus, ad Togæ honorem evexit, & ad ſuum conſilium promovit, teque virum egregie excultum, rerum gerendarum pro ſui Regni felicitate peritiſſimum ſelegit, optimumque ſcientiarum inſtrumentum, & juſtitiæ propugnaculum exiſtimavit. Et noſtra Civitas, Regnum, & eruditiſſimorum extra Italiæ fines Hominum judicia, non modo juris, ſed & Juſtitiæ conſultum, ut redivivum Sulpitium prædicant, & extollunt. Obſcura, vel in jure ſacro; vel profano ad te, noſtræ ætatis Oracu-

lum

lum conducunt, quorum ſcientiam, more veterum Prudentum adeo inter ſe annectis, ut ipſe ſolus regnare videaris. Quod dubitationis in jure pontificio, in puriori Eccleſiæ diſciplina, vel moribus vetuſtare firmatis occurrit, veſtra diſſolvit doctrina. Quod in patriis legibus, & Regni antiquitatibus obſcurum, ambiguum latet, quod in Romana Nomotheſia, divinis propemodum Ictorum libris; & imperialium Auctoritatum Majeſtate tenebricoſum quiſque conſumatus Interpres experitur, a te enucleatur, & ad naturalem Auctoris, & temporis intellectum collimas.

In veſtris enim in jure reſponſis tria ego, ſicut communis hujus civitatis, Regni, & extra, conſenſus intelligit, animadverto, religionem, juſtitiam, & æquitatem, ſocietatis omnino firmamenta, nec unam ab altera ſeparari permittis. Nec aliquid vindicas, niſi quantum a lege, hoc eſt armata Principis voluntate Civium actibus attemperata, cujus a latere ſedis, permiſſum, commiſſum, & concreditum tibi fuerit. Nihil enim, Vir Celeberrime, Dignitatum culmen & politior ſcientiarum poſſeſſio in te deſiderat, & exigit, quæ nomen tuum æternitati demandare, nihil, quod familiæ tuæ, noſtroque Regno immortales honores afferre non poſſet. Nam in dicendo eloquentia non ex pulvere fori petita, non ex Poetarum fabulis eruta, ſed ex philoſophiæ caſtris, Romanæ, & municipalis juriſprudentiæ ſinu collecta, ex Græca Aſtræa, & Romulea Themide exculpta, te inſigne totius Italiæ Decus, & Regni ornamentum conſtituunt. Mei judicii fidejuſſores Voces, noſtræ Civitatis, communes Regni, atque exterarum Gentium applauſus appello, qui priſcæ ætatis Ictis comparant, venerantur. Locupletiſſimum teſtimonium eſt opus tuum, quod *conſultationes juris ſacri, & regii* comprehendit, ſummo litteratorum conſenſu exceptum. Opus tuum de feudis, quod adhuc typis ſudat.

Qua de re Sereniſſimus Rex noſter, præter togam, juris feudalis Cathedram contribuit, in qua non modo

ma-

Digitized by Google

magna Juventutis ſed & virorum, qui ætate graves, eruditione, & doctrina eminent, copia, difficiliora clientelaris juriſprudentiæ loca interpretaris, & ad priſtinum non fucatæ cognitionis nitorem reducis. Nec duce veterum dumtaxat Interpretum ſchola, ſed & Barbarorum legibus, chartis, & politia curas colluſtrare. Quæ interpretandi ratio in jure Romano primum ab Alciato inventa, & culta, deinde a Cujacio, aliiſque præſtantiſſimis Viris retenta, tibi in rebus feudalibus adeo placuerit, ut primus, qui hunc callem teris, merito cenſearis. In hac Cathedra, Vir doctiſſime, primum a Friderico II. Cæſare inſtituta, & privilegiis exornata, quæ ſuus Cancellarius, & judex aulicus P. de Vineis, in Epiſtolis præſtat, Viri Sapientiſſimi, primique fere feudorum Interpretes jura longobardica fiduciaria, cum jure ſcripto, & feudalibus ~~Regni moribus~~ comparata expoſuerunt. Intelligo Jacobum de Belloviſo, Matthæum Afflictum, Andream de Iſernia, Bartholomæum Camerarium, Paridem de Puteo, Capycium, Andream Georgium, ceteroſque, quorum interpretatio totam feudalem Europam, exterorum teſtimonio, illuſtravit. Neque id, qui extra Regni fines incolunt, animos pungere, & perturbare poterit, cum ex Hiſtoria conſtet, quæ hominum geſta, & monumenta conſervet, nullam in Europa Ditionem, vel Dynaſtiam extitiſſe, & adhuc gubernari, quæ tot clariſſimos feudorum Cultores, quam Neapolitana Monarchia, produxerit. Quod duplici ex cauſſa contigiſſe arbitramur, prima, cum ab invectis Regni initiis Nortmannica virtute conſtituti, jure ſcripto, & non ſcripto feudali ſcatere cæperit. Jus ſcriptum Rogerium primum agnoſcit auctorem; jus non ſcriptum Longobardorum conſuetudines in noſtris provinciis tunc dominantes, & Mores Neuſtriæ, ex qua Nortmannica exiit familia, conſtituunt. Poſtea ſucceſſores Principes adeo legibus hoc jus collupletarunt, ut me, Vir ſpectabilis, ad *novi Codicis feudalis utriuſque Regni collectionem* brevi lucem aſpecturi allexerint. Secundia,

quum

quam nulla sit Regni gleba, quæ fere non feudali nexui subjecta fuerit. Proinde subsellia assiduis controversiis, aut de successione, adoha, relevio, aut alienatione, jurisdictione, mero, aut mixto imperio primum Baronibus ab Aragonensi stirpe concesso, & similibus motis perstrepant, inter quas Advocatorum munere perfungens eminebas.

Inter hos itaque clarissimos Interpretes, & geminatæ Neapolitanæ Academiæ decora, eruditione, sapientia, gravitate, & absoluta interpretandi ratione præstas. Ex cujus ore, tanquam ex Apollinis cortina, in senatu rerum dubiarum ad allodia, vel feuda pertinentium vota, & decreta pendent. In Cathedra candidissimæ modo juris Romani, modo feudalis, modo municipalis, nunc Historiarum enucleationes corrivantur, aureæque doctrinarum imbres in Auditorum mentes profluunt. Macte Italica Tellus, macte, vir doctissime, & feudalem jurisprudentiam ad nativos Natales redige, & hunc tramitem mediæ ætatis lumine instructum, quem ingressus es, substine, ut primæva, & nitidiora hujus scientiæ principia litterario seculo innotescant, aususque meos ad majora inquirenda, provoca. Nam eo obligationis vinculo, quod quemque in litteraria Republica obstringit, feudalis jurisprudentiæ opus, tibi dedico, tibi consecro, tibique offerendum adducor, cum felix, fortunatumque Musicæ fuerit, coram perito Cantore Carmina modulari. Terentius enim Varro summi ingenii vir, divinarum, humanarumque rerum peritissimus libros de lingua latina Ciceroni dicavit, non ut eum instrueret, quem oratorem omnium Principem putabat, latiique sermonis præsidium agnoscebat, sed ut illius sententiam, & judicium sciscitaretur, quo libros suos comprobaret, & consultius in lucem manumitteret. Varro & librum II. de re rustica Nigro commendat, *quia vehementer delectebatur pecore*. Hoc igitur opus, quod feudalem jurisprudentiam in belli strepitu natam, tempore, & moribus auctam continet, tibi commendare, & dica-

Digitized by Google

dicare æquo naturalis obligationis vinculo obſtringor. Quod ex barbaricis legibus, politia, monumentis, variis Europæ conſuetudinibus, Longobardorum præcipue ſtatutis, Regni noſtri, & Siciliæ conſtitutionibus, Capitulis, pragmaticis, & ritibus compoſitum exhibeo, exciſſis Interpretum quæſtionibus, quæ potius tenebras, & nugas effundunt, quam lucem, & cognitu digna ſubminiſtrant, Blandiri ſane poſſum, quod ſi tibi placuerit, inſtar Poppææ Comæ, omnium vota ſecum adduci neceſſe eſt. Non de ſtillicidiis, non de glande legenda, non de aquis arcendis agitur, ſed de Regnis, Principatibus, Ducatibus, majoribuſque Toparchiis ſe occupat, quæ omnem juſtitiæ adminiſtrationem, feudis ſero, & irata publici regiminis arte, adnexam complectuntur, maximamque juris publici partem conſtituunt, quo exornaris.

Et quoniam *fiducia mihi ſtyli, atque ingenii nulla eſt, ſed tua benignitas auſus meos provocat*, ſicut ad ſuum Minervium, inquit, Symmachus *lib. IV. epiſt.* 45. poſtquam has beneficiarias lucubrationes peregerim, jus noſtrum allodiale publicum, & privatum brevibus commentatiis in ordinem redigere decrevi, ſi fata volunt. Turpe equidem eſt patrias leges, quibus fidelis quiſque civis obligatione, amore, & dulcedine tenetur, negligere. Cum quidam Viri extra profeſſionis curam conſtituti, omni eruditione, judicio, publico, privatoque jure deſtituti, interpretari cæperint, qui ætatem, in qua natum, politia, qua compoſitum, occaſione, & mente, qua promulgatum, omnino ignorent. Etenim inter omnes barbararum legum compilationes, quas Lindeborgius collegit, Wiſigothica, & Sicula ſe extollit, merito maſculam meretur interpretationem. Adopta igitur, Vir celeberrime, ingenii mei filiolum, in tuam ſuſcipe tutelam, & ſub feliciori horoſcopo natum congratulor. Vale, & in commodum Reipublicæ vive.

IN.

Digitized by Google

INDEX

TITULORUM, & §§.

LIBRI III.

TITULUS I.

De feudalibus obligationibus. p. 1

§. I.

Definitio, & divisio obligationis. 1

TITULUS II.

De jurejurando fidelitatis. 4

§. II.

Fidelitatis nomen, & definitio. 4

§. III.

De his, qui jurare obligantur. 10

§. IV.

De Partibus hominii. 16

TITULUS III.

De Servitiis. 18

§. V.

Definitio, & natura servitii. 18

§. VI.

De causis excusationum. 24

TITULUS IV.

De investiturae renovatione. 28

§. VII.

Origo, & definitio renovationis. 28

§. VIII.

De tempore renovationis. 30

§. IX.

De excusatione renovationis. 34

TITULUS V.

De successorum obligatione. 38

§. X.

Divisio, atque indoles successoriae, obligationis. 38

TITULUS VI.

De ceteris vasalli obligationibus, 42

§. XI.

Breve testatum, finis, delio famosa. 42

§. XII.

Alimenta, hospitium, arbitrium, servitus, dos. 44

TITULUS VII.

De obligationibus Domini. 46

§. XIII.

Justitia, egestas, accusatio, injuria, fines. 48

TITULUS VIII.

De expectativa feudali. 50

§. XIV.

Origo, ratio, indoles, & formula expectativae. 50

TITULUS IX.

De clerici vasalli obligationibus. 56

§. XV.

De militaribus servitiis. 56

§. XVI.

Jusjurandum, renovatio, expectativa. 68

TITULUS X.

De vasallorum Regni Neapolitani obligationibus. 75

§. XVII.

De fidelitatis, & assecurationis juramento. 75

§. XVIII.

De successoris obligatione. 83

§. XIX.

De jure Tapeti. 85

TITULUS XI.

De militaribus servitiis. 88

§. XX.

De Tempore belli. 88

TITULUS XII.

De adoha. 95

§. XXI.

Origo, natura, & qualitas adohae. 95

TITULUS XIII.

De relevio. 104

§. XXII.

Origo, natura, & qualitas relevii. 104

TITULUS XIV.

De alua, & militia. 119

§. XXIII.

Origo, natura, & qualitas vitae militiae

Digitized by Google

litiæ. 119
TITULUS XV.
De dote de paragio. 130
§. XXIV.
Origo, natura, & qualitas paragii. 130
TITULUS XVI.
De vasalli ecclesiastici obligationibus jure Regni. 136
§. XXV.
De militari servitio. 136
§. XXVI.
De relevii solutione. 144
TITULUS XVII.
De subvasallitiis Regni Neapolitani obligationibus. 153
§. XXVII.
De jurejurando assecurationis. 153
§. XXVIII.
De militari servitio. 155
§. XXIX.
De adoha, & relevio. 159
TITULUS XVIII.
De obligationibus vasallorum Regni Siciliæ. 165
§. XXX.
De Investitura, & homagio. 165
§. XXXI.
De militari servitio. 168
§. XXXII.
De subvasalli servitio. 170
TITULUS XIX.
De jure relevii. 171
§. XXXIII.
De tempore solvendi relevium. 171
TITULUS XX.
De Contractibus feudorum. 173
§. XXXIV.
De vasalli in feudo facultate. 173
§. XXXV.
Heredis institutio, & legatum. 178
§. XXXVI.
Pignus, & hypotheca. 180
§. XXXVII.
Dos, & donatio propter nuptias. 182
§. XXXVIII.
Usufructus, emphyteusis. 185
§. XXXIX.
Solutio, transactio, venditio, permutatio, donatio. 187
TITULUS XXI.
De permissa feudorum alienatione. 188
§. XL.
De censu exceptionum. 188
§. XLI.
De consensu senioris. 196
§. XLII.
De origine, & indole consensus. 196
§. XLIII.
De effectibus dominici consensus, & clausulis. 201
§. XLIV.
De feudorum refutatione, 205
TITULUS XXII.
De clientelaris alienationis revocatione. 208
§. XLV.
De jure retractus. 208
TITULUS XXIII.
De juribus senioris, & agnatorum. 219
§. XLVI.
De jure prohibendi. 219
§. XLVII.
De jure redimendi. 220
§. XLVIII.
De jure revocandi. 224
TITULUS XXIV.
De consensu agnatorum, 228
§. XLIX.
De consensus agnatitii effectibus. 228
TITULUS XXV.
De contractibus feudorum jure Regni Neapolit. 230
§. I.
De probibitæ alienationis origine. 230
TITULUS XXVI.
De permissa feudorum alienatione. 237
§. II.
De Expadentiis. 237
§. III.
De dote, & dotario. 243
§. IIII.
De ultima vasalli voluntate. 253
§. IV.
De refutatione. 259
TITULUS XXVII.
De Assensu Regis, & Provegis. 266
§. I.
Origo, natura, & extensio assensus. 266

§. VI.

§. lvi.
De Assensu Proregis. 271
§. lvii.
Caussa, conditio, & solemnitas assensus. 277
TITULUS XXVIII.
De Assensu Regis, & Baronis. 281
§. lviii.
De Assensu subfeudi. 281
TITULUS XXIX.
De contractibus feudorum juxta Regni Siciliæ. 286
§. lix.
De permissa feudorum alienatione. 286
§. lx.
De prohibita feudorum alienatione. 288

INDEX

TITULORUM, & §§.

LIBRI IV.

TITULUS I.

De judicis feudalibus. 291
§. I.
De in jus vocando, & litis contestatione. 291
TITULUS II.
De foro competenti. 294
§. II.
De jurisdictione dominica. 294
TITULUS III.
De Paribus Curiæ. 299
§. III.
De jurisdictione parium. 299
TITULUS IV.
De judice ordinario, atque arbitro. 306
§. IV.
De jurisdictione ordinarii, & arbitri. 306
TITULUS V.
De legitimis personis in judicio sistendi. 308
§. V.
Filiusfam. minor, pupillus, procurator. 308
TITULUS VI.
De actionibus feudalibus. 311
§. VI.
De actionibus vasalli. 311
§. VII.
De actionibus patroni. 319
TITULUS VII.
De probationibus. 321
§. VIII.
De præsumptionibus. 321
§. IX.
De Testibus, & brevi testato. 326
§. X.
De jurejurando. 330
§. XI.
De illegitimis probationibus. 335
TITULUS VIII.
De Sententia, & re judicata. 339
§. XII.
Officium judicis, executio, appellatio. 339
§. XIII.
De effectibus sententiæ. 340
TITULUS IX.
De judiciis feudalibus Regni Neapolitani. 342
§. XIV.
De jurisdictione feudali, & ordine. 342
TITULUS X.
De modis obligationis feudorum solvendæ. 348
§. XV.
De recta feudorum amissione. 348
§. XVI.
De indole amissionis feudi. 352
TITULUS XI.
De censu delictorum feudalium. 355
§. XVII.
Nex, vulneratio, pulsatio, insidiæ. 355

Digitized by Google

§. XVIII.
Oppugnatio, desertio, contumelia, accusatio. 357
§. XIX.
Testimonium, pudicitiæ sollicitatio, nox fratris, contemptus. 360
§. XX.
Investitura non renovata, recusatio, abnegatio, 365
§. XXI.
Arcani enunciatio, contumacia, feudi alienatio. 367
TITULUS XII.
De cæteris feudorum amissionibus. 371
§. XXI.
Canon, statutum, crimen. 371
§. XXII.
Carcer, mutatio, defectus homagii. 375
TITULUS XIII.
De felonia feudatarii, Universitatum, & Sociorum. 378
§. XXIII.
Ecclesia, Collegium, uxor, socius, tutor, Procurator. 478

TITULUS XIV.
De causis amittendi feuda, subfeuda, & directum dominium, jure Regni Neapolitani. 381
§. XXIV.
Fidejussio, felonia, servitium, forjudicatio, alienatio. 481
§. XXV.
Hæresis, lineæ inceptus. 388
TITULUS XV.
De causis amittendi dominium. 389
§. XXVI.
De reciproca feudorum fidelitate. 386
§. XXVII.
De Remissione feloniæ vasalli, & junioris. 393
TITULUS XVI.
De probatione, & effectibus feloniæ. 395
§. XXVIII.
De solemnitate probationis. 395
§. XXIX.
De præjudicio feloniæ. 400
§. XXX.
De fructibus, & melioratione fisus feudi devoluti. 405

Digitized by Google

LIBER III.

FEUD. JURISPRUDENTIÆ

TITULUS I.

De Feudalibus obligationibus.

§. I.

Definitio, & divisio obligationis.

Quoniam omne jus, quo quisque in societate vivit, vel ad personas, vel res, vel actiones pertinet; de *personis* in primo libro, de *rebus*, earumque adquirendi modis, sive caussa mortis, sive inter vivos, in secundo abunde disputatum est. *Actionum* tractatio supereſt, quarum fons, & origo, cum *obligatio* ex contractu, vel jurata conventione descendens, fuerit: eam idcirco prius petamus oportet.

Feudalis obligatio describitur: *est juris vinculum, quo vasallus adstringitur, quod in investitura, aut naturaliter, aut pacto, aut moribus conventum est, servare, & Dominus mutuam fidem praestare.* Diximus, *naturaliter*; nam sicut omni contractui naturalia fere perpetuo inhærent, quæ, licet nihil dictum sit, inesse intelligimus: ita & in clientelari concessione non pauca insident, quæ assidue, nisi contraria concedentium voluntas, & vox, de-

 pege-

rogetur, ſubintellecta comprehendimus. Videlicet, ne Vaſallus, illaudato Domino, vel agnatis, quorum intereſt, feudum alienet 11. *f.* 9. 11. *f.* 24. *inf.*, 11. *f.* 55., perſonalia ſervitia præſtet, 11. *f.* 28., fidelitatem promittat juratam, 11. *f.* 3., aliaque in *Prolegom. c. IX.* §. 52. recenſita, Vultej. *de feud. lib.* 1. *c.* 8. *n.* 78., Roſent., *c.* 11. 52. Additur, *pacto*, quum ſervitia, modus, vel tempus ea præſtandi, pacto convento, Vaſallum inter, & Dominum conſtitui, mutari, augeri, uti lubet, quoties illæſa feudi ſubſtantia maneat, poſſint. Qua de re pacto fieri poteſt, ut Vaſallus de feudo diſponat, in eo fœmina, vel adoptivus, aut adrogatus, vel Aſcendentium linea, vir uxori, & invicem ſuccedant: ut Vaſallus feudo non cadat, etſi intra ſtatutum tempus, inveſtituram non petat, & quæ ſunt, 1. *f.* 1. §. 3., Weſembec. *cap. VI.* 8., Vultej. *lib.* 1. *c.* 9. *n.* 206.

Præterea ſubjungitur, *moribus*: Vera enim Feudorum conſtitutio, & natura a conſuetudine, & Populorum moribus dependet, a quibus ſervitii, obſequii, oneriſque ſpecies conſtanter mutuat; quos mores tanquam Prudentum Reſponſa admittit, utitur, & colit. Ac proinde ab Interpretibus quæſitum eſt, quæ nam conſuetudo ſpectanda, Domini ne, an Vaſalli? Finge, Senior Anglus Feudum, quod in Gallia tenet, Sabino conceſſit. Placuit Friderico I. in Conſt. *de Pace Conſtantiæ apud Cujac. lib. V. Feud. p. m.* 1337. Conſuetudinem loci, in quo Feudum ſitum eſt, ſpectari, *Si qua controverſia fuerit orta de feudo inter nos, & alium, qui ſit de ſocietate per Pares illius Civitatis, vel Epiſcopatus, in quo deſcendit, agetur, & ſecundum conſuetudinem illius Civitatis, in eodem Epiſcopatu terminetur, niſi nos in Lombardia fuerimus: tunc enim in audientia noſtra, ſi nobis placuerit, agitabitur*, ibi Gloſſographus, Sande *ad Conſuetud. Gelr. tit.* 111. *c.* 5. *n.* 11., Chriſtin. *deciſ. Belg. to. VI. deciſ.* 56. *n.* 2. Bodin. *de Republ. lib.* 11. *c.* 2. *Cum enim de legibus feudorum quæritur, ſervientis, non dominantis prædii mores, ac leges intueri oportet.* Etenim lex Senioris rem extra ſui territorii fines ſitam ligare non poteſt. Hujuſmodi conſuetudines, vel generales, vel particulares ſunt: tunc particularibus utimur, quoties generales deficiant, cum hæ jus non ſcriptum univerſum conſtituent. Imperatores in diverſis Germaniæ, atque Italiæ Populis, Provinciis, & Civitatibus diverſas Clientelares Curias, Pares, Vaſallos, ſervitia, atque obſequia habebant.

Conſtituto Feudo, naſcitur obligatio *ex contractu, vel quaſi contractu*: Obligatio ex contractu eſt, quam verus, & expreſſus contrahentium conſenſus effingit: Obligatio ex quaſi contractu eſt, quam præſumtus conſenſus ex æquitatis vinculo, & utilitatis ratione natus conſtituit. Ex vero contractu obligatur vaſallus, ſi pa-

Digitized by Google

cta in inveſtituris conventa expreſſe approbat, eaque obſervaturum ſe exhibeat. Ex quaſi contractu, dum, juris poteſtate, accepto feudo, ad ea ſe obligat, quæ unicuique feudo loci conſuetudo, vel generalis, vel particularis, jus commune, & natura infeudationis dederunt. Sicut heres hereditatis aditione cum legatariis, & creditoribus quaſi contrahit, quibus idcirco ſatisfacere tenetur, aut etiam negotiorum geſtio, tutela, rei communis adminiſtratio, & indebiti ſolutio, Rotius *in Pandect. feud. c. XXI. c.* 1. Verum, quia Vaſallus plurimis modis in ſuum ſeniorem delinquere poteſt, altera obligationis ſpecies naſcitur, nempe *ex malefico, & quaſi malefico*: Obligatio ex maleficio eſt, dum dolus ex quaſi maleficio, dum culpa ſine dolo intervenit. Præcipua tamen obligationum omnium cauſſa duplex eſt, contractus, & maleficium, ſeu delictum: contractus, ſi contrahentes, nempe, vaſalli, quod inter eos, & ſeniores placuit, obſervant: maleficium, ſi facto illicito, ſponte admiſſo, cui pœna, hoc eſt, privatio Feudi, & damni reſtitutio reſpondet, mutua jura lædant. Nam contractus feudalis fere æqualiter utrumque, Vaſallum, & ſeniorem obligat, & *bilateralis* nuncupatur.

Denique, *Dominus mutuam præſtare fidem tenetur*: In Barbarorum legibus, & inſtitutis nulla juris conſtitutio, nulla auctoritas, oraculum tam ſanctius excogitari potuit, quam mutua ſecuritatis, defenſionis, & fidei Dominos inter, & vaſallos præſtatio, quæ ex utraque parte pulcherrimum, conjunctiſſimumque amicitiæ vinculum generat (*a*). Nec refert, an vaſallus, Rex, ſive Pontifex, vel quis alius ſit, ſemper fidem, & obſequium Domino debet, niſi feudo ceſſerit. Hinc in jure feudali ſæpius occurrit, Dominum, & vaſallum *ad paria judicari* 11. *f.* 6. *&* 7. 11. *f.* 47., Vultej. *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 47.. Bodin. *de Republ. lib.* 1. *c.* 7., Petrus Gregorius *de Republ. lib. VI. c.* 4. *n.* 3., & infra dicam. Ex his itaque fontibus clientelaris obligatio dependet, & ſcatet, quæ ad duo ſumma capita coangustatur: Primum vaſallum, ejuſque heredem reſpicit: ſecundum ad ſeniorem, & ſimul ejus heredem pertinet. Vaſalli obligatio eſt jusjurandum fidelitatis, inveſtituræ renovatio, onus ſervitii, & Deceſſoris facti ratihabitio, & nonnulla deinde recenſenda: Senioris obligatio eſt inductio vaſalli in vacuam feudi poſſeſſionem, mutua fides, & officium, quod ſane late ſe porrigit. Nunc de ſingulis.

(a) Sicut Henricus Dux Nortmannus, Carolo Craſſo Francorum Regi apud Paulum Æmilium *lib. V.* inquit, *fidem meam Regi Francorum jurejurando obſtrinxi, Mutuæ ab. religionis Regem, Francum Dux Nortmannus colam, illæ neque me, neque mea violet.*

Digitized by Google

TITULUS II.

De jurejurando fidelitatis.

§. II.

Fidelitatis nomen, & definitio.

ORdo adquirendi feuda eſt, ut primo ſenior abuſive inveſtiat, deinde vaſallus jusjurandum præſtet, poſtremo ſenior ipſum in poſſeſſionem inducat. A ſeniore enim tamquam principali perſona exordiendum; quamvis hic ordo interverti poſſit, cum jusjurandum ſubſequi, & præcedere inveſtituram valeat, II. *f.* 4. Curti. *par.* II. *n.* 37., Zaſi. *par. VI. n.* II., Chriſtin. *to. VI. deciſ. Belg.* 15. *n.* 21., Gudelin. *de feudis par.* II. *c.* 7. *n.* 3. Si inveſtituram præcedit, hoc eſt, vaſallus, antequam inveſtituram accipiat, ſeniori fidelitatem juret, tunc juramento hæc conditio ineſt, *ſi inveſtituram à ſeniore obtinuerit*, aliter jusjurandum nihil virium habebit. Fateor moribus Longobardorum inveſtituram præcedere debere, II. *f.* 4., quia inveſtituræ beneficium eſt cauſſa, qua vaſallus hanc juratam ſponſionem, & venerationem ſeniori promittat, Gudelin. *loc. cit. n.* 2., Rothius *in Pandect. Feud. c. XII. q.* 2.

Hujuſmodi jusjurandum dicitur *hominium*, *homagium*, *ligantia*, *hominiſcum*, *hominatum*: paulo concinnius, *hominium ab homo*, hoc eſt *vaſallus*, quum cliens ſui ſenioris hominum ſe fore profiteatur. Quamvis in Barbarorum legibus, & ſcriptis *homo* oſtendat eum, qui eſt ſervilis conditionis, *lib. IX. tit. II. Wiſigoth. tit.* 1. *l.* 18., *lib. III. LL. Longob.* 3. 18., de cujus ſervitiis agit Heinec. *elem. jur. Germ. lib.* 1. §. 24. *& ſeqq.* Verum vaſallus non eſt ſervus, etſi ſenioris homo dicatur, loco tamen ſervorum eſt, propter ſervitia, quæ Domino præſtat, Cujac. *in præfat. ad libros Feud.*, Ivo Carnot. *epiſt.* 87. *dicitur etiam, quod milites illos, qui beneficia Monaſterii habent, tamquam eos ſibi reſervans, hominatum facere Abbati permittit.* Robertus de Monte *in Appendit. ad Sigibert. ad an.* 1163. *Malcolmus Rex Scotiæ fecit hommagium Henrico Regis Anglorum filio, & dedit Regi Obſides.*

Definitur, *eſt illa fidei profeſſio, atque obſequii, quam vaſallus Domino ſuo, ratione feudi, quod ab eo cognoſcit, exhibet*, II. *f.* 4., 11. *f.* 7. Feudiſta *fidelitatem* dicit, latine; *obſequium, clientelaris officii ſponſio, agnitio, juſjurandum, vel Sacramentum fidelitatis* vocari poſſet; & complectitur cautiones, quæ fiduciarius Domino ex natu-

natura, essentia, & formula beneficii data, & fieri cogitur, Bodin. *de Republ. lib.* I. *c.* 10. Matth. Paris de Richardo primo Anglorum Rege scribit, *tempore quoque sub eodem Rex Scotiæ Willielmus fecit homagium Regi Angliæ Richardo de jure suo in Anglia. Et Rex reddidit ei Castella de Berevvik, & Bokesburg. Et pro hac redemptione Castrorum, & quieta clamatione, fidelitatis, & ligantiæ de Regno Scotiæ, & Chartæ suæ confirmatione.* Robertus de Monte *in Append. ad Sigibert. ad an.* 1169. *& ad an.* 1160. *Rex Scotiæ pacificatus est cum Rege Angliæ, hoc modo: Fecit ei homagium, & ligantiam de omni terra sua, ut proprio Domino; & concessis ei, ut omnes Episcopi Terræ illius, qui sunt numero decem, & Abbates, & Comites, & Barones hoc idem facerent. Episcopi vero, & Abbates homagium non fecerunt, sed Sacramento se constrixerunt, se hoc observaturos.* Richard. a S. Germano *in Chron. ad an.* 1189. & Otto Frisigen. *lib. II. c.* 29.

Fidelitatis jusjurandum duplex est, vel simplex hominium, vel sponsio religione firmata, quod non satis Interpretes distinguunt: sed in jure feudali, & vetustis annalibus, & diplomatibus occurrit, Ptolomæus Lucensis *in Annalibus, anno Domini* 1126. *Honorius* (is est II.) *natione Bononiensis, ipse videns in Aquilam, & malitiam Baronum cognoscens, Rogerium siculum, facto sibi homagio, juramento fidelitatis firmato, ipsum de Ducatu Apuliæ, & Siciliæ investivit.* Matth. Paris de Willielmo Conquæstore, qui, adquisita Angliæ, *homagiis a Magnatibus, cum fidelitatis juramento, obsidibusque acceptis, in Regno confirmatus, omnes, qui ad Regnum aspiraverant, factus est terror.* conf. Olaus ad Albertum Mussatum *lib. IV. rubr.* 4. Hinc vasalli juncti, & non jurati dicebantur; hoc quam autem feudum sine fidelitate concipi possit, a qua suam essentiam mutuatur, f. 2. *in fin.* Fidelitas accessus est jusjurandum, hoc est invocatio DEI confirmata esse, & obligat a Feudo valet, quin feudo noceat: sed quatenus est [illegible] hanc ab omni feudo discedere prohibetur, Wesembec. *c.* 8. *n.* 19., Thom. de Marin. *de Generibus Feudor. tit.* 15.

Hoc quoque hominium, vel jurejurando, vel simpliciter præstitum duplex est, *ligium*, & non *ligium*: Quæ divisio juri longobardo non innotuit; in annalibus vero, & Chartis occurrit. Matth. Paris in Henrico III., quod Fridericus II. *Fecit omnes Appulos, Siculos, & Calabres facere homagium ligium dilectissimo filio Henrico.* Romuald. Salernit. *in Chron. ad an.* 1154. de Willielmo I. Siciliæ Rege, sic Adriano Papæ juravit, *facto juramento, ut moris est, homagium ligium Papæ devenit, & Papa ipsum per unum vexillum de Regno Siciliæ, per aliud de Ducatu Apuliæ, per tertium de*

Digitized by Google

Principatu Capuæ investiens (b). Ligium est, quod, nemine excepto, contra omnes vasallus præstat, & hoc soli Principi, superiorem non recognoscenti; sicut est Imperator, Rex, Pontifex, præstari oportet II. *f.* 52. §. *satis bene*, *cap. extraord. 99.*, Clemen. *pastoralis de re judic.*, Sensbec. *part.* III. *n.* 19., Vultej. *lib.* I. *c.* 8. *n.* 32. & 33. Recte Bodin. *de Republ. lib.* I. *c.* 10. *Vasalli ligii vulgo dicuntur, qui data fide, Domini dignitatem, & existimationem tueri, ac pro ejus salute arma sine exceptione capere, non tamen semper, aut ubique; sed eatenus tenentur, quatenus utilitas feudi, aut fiducia contracta patitur* (c).

Nuncupatur *ligium* a *ligando*, vel a *liga*, hoc est *vinculum*, *fœderatio*, unde homo ligius, quasi ligatus, & obstrictus ad Dominum contra omnes mortales tuendum, Vossius *de vitiis Sermon. lib. III. c.* 20. Quin imo etiam contra proprium fratrem, patrem, consanguineos seniorem suum defendere tenetur. Nec id barbariem redolet, ut nonnullis visum est. Nam Principis salus Parentum saluti anteferenda; dum Principem dico, Rempublicam dico, & intelligo, cujus salus suprema, & æterna lex censetur. Quare in crimine læsæ majestatis, filius patrem, vir uxorem, servus Dominum, libertus patronum, & vicissim accusant, *Nov.* 115. *c.* 3. §. 3. *l.* 7. §. 2. *D. ad l. jul. majest.* Jusjurandum vero *non ligium* est, dum in

(b) Idem Romuald. ad an. 1080. De Guiscardo Duce, inquit, *inde movens gressum Dux ipse pervexit ad Gregorium Papam, ejusque ligius homo juravit fidelitatem apud Ceperanum, accipiens ab eo vexillum S. Petri, unciso femore.*

(c) Formulam hujus jurisjurandi exhibet Radevicus *lib.* I. *c.* 19., quod Episcopi, & Civitates Italiæ Friderico I. Imp. præstiterunt, *Ego juro, quod a modo in antea ero fidelis Domino meo Friderico Romanorum Imperatori contra omnes homines, sicut jure debeo Domino, & Imperatori, & adjuvabo eum retinere coronam imperii, & omnem honorem ejus in Italia, nominatim, & specialiter civitatem illam, & quicquid in ea juris habere debet, vel in omni virtute Comitatus, vel Episcopatus N. regalia sua si non auferam ibidem, nec alibi, & si fuerint ablata, bona fide recuperare, & retinere adjuvabo. Neque in consilio ero, neque in facto, quod vitam, membrum, vel honorem suum perdat, vel mala captione teneatur. Omne mandatum ejus, quod ipse mihi fecerit, per se, vel per epistolam suam, aut per legatum suum, de facienda justitia, fideliter observabo, & illud, audire, vel recipere, vel complere nullo malo ingenio evitabo. Hæc omnia observabo fide bona, sine fraude, me Deus adjuvet, & hæc sancta quatuor Evangelia.*

Digitized by Google

in ejus præſtatione, aut expreſſe, aut tacite aliquis, videlicet antiquior Dominus, Rex, Imperator, aut Pontifex, quibus antea juratum expreſſe, vel tacite eſt, excipitur, 11. *f.* 28. *inf.* 11. *f.* 55. *inf.* 11. *f.* 7. Duaren. *c. IV. n.* 1. 2. 3., Hanneton. *lib.* 1. *c.* 9., Gudelin. *par.* 11. *cap.* 7. *n.* 9. Nec pacto fieri poteſt, ne Supremi Principis fidelitatem expreſſe, vel tacite excipiat, ſecus boni mores, & ſocietatis pax læderentur. Nam nemo vaſallus ligius duorum Dominorum eſſe poteſt; quamvis Duces, Comites, qui majora Principum regalia in barbarorum ætate uſurpaverant, ligiam omnino fidelitatem adverſus Principes a ſuis vaſallis exigerent; quod poſtea, diminuta eorum poteſtate, mutatum legimus, ſoliſque ſupremis Principibus hæc jurisjurandi ſpecies præſtari cæpit (*d*). Homo autem non ligius etiam duorum ſeniorum eſſe poteſt, & unicuique ſuum præſtare obſequium cogitur, Jac. a S. Georg. *tract. de Homagio n.* 9.

Modus, quo ligium jusjurandum vaſallus præſtat, a non ligio differt: ligium, flexis genibus, ſupplicibus veluti manibus inter ſedentis Patroni manus comprehenſis, gladio, omnique ferro nudatus jurat, & alloqui ſic ſolet, *devenio homo veſter ab hac die in poſterum contra omnes homines, de vita, de membro, & de terreno honore, verus, & fidelis vobis ero, & fidem vobis portabo ob terras, & civitates, quas a vobis teneo*, conf. Bodin. *de Republ. lib.* 1. *c.* 10. (*e*). Quæ fidei præſtatio coram Curiæ Paribus, Galliæ, aliorumque conſuetudine facienda eſt, aut in Generalibus Comitiis, ſicut in Imperio ſervatur, vel vaſallus ad domum ſenioris ſe confert. Ex privilegio autem Friderici I. Imp. Archidux Auſtriæ intra Auſtriæ fines præſtat, nec aulam Imperatoris petere, aut alias ſolemnitates exhibere tenetur. Quin imo equo invectus, pileoque ducali ornatus Imperatori jurat. Quiſque vero ſuis moribus vivat, Alteſer. *de origin. feud. cap. VIII.*, Struv. *S. J. F. cap. VIII. A.* 6. His peractis, ſenior vaſallum *ad oſculum pacis recipit*, ſic Joannes Baronum Angliæ fidem oſculo ſubarrhavit, Paris ad *an.* 1209. Sic Ottocarus Bohemiæ Rex a Rudolpho I. Imp. Feudum recognovit, Albert. Krantz *in*

(*d*) In Gallia licet ligium homagium ſoli Regni præſtetur, quidam tamen Prælati, & Proceres homines ligios ex privilegio habere contendunt. Nam hominis ligii poſſeſſio ex populorum corruptela, & Legum privilegio dependet, Boſquet. *ad lib. IV. Innoc. III. Reg.* 16. *Epiſt.* 77.

(*e*) Quemadmodum Rollo celeberrimus Nortmannorum Dux a Carolo Simplice Nortmanniam ſub fidei, & hominii nexu, manibus ſuis inter regias manus immiſſis, jure beneficii poſſedit, Thomaſin. *par.* 11. *lib.* 2. *c.* 49. *n.* 1.

Digitized by Google

in Wandal. lib. VII. c. 30., Kloc. *de Erario lib. 1. c. 41. n. 190.* Neque hanc clauſulam, *ſalva fide Domino noſtro Regi, & hæredibus ſuis, & antiquiori Domino*, continet, licet iiſdem verbis concipiatur.

A jurejurando feudali differt jusjurandum *ſubjectionis*, quod non raro jusjurandum *fidelitatis* vocatur, illud nempe, quod ſubditus Domino territorii, ſub cujus juriſdictione degit, præſtat, cui ſi reclamat, crimen læſæ majeſtatis committit, nec ab eo liberatur, niſi a territorio Domini, ſive Principis ſe ſubtraxit, Rothius *in Pandect. feud. cap. XIII. q. 16.*, Vultej. *de feud. lib. 1. c. 6. n. 5.* Hoc ſæpius Mediolanenſis Civitas Italiæ Imperatoribus juravit, ſicut Radevicus, Otto Friſigenſis, & Murena teſtantur; & Buchardus Notarius Friderici I. *Epiſt. ad Sigibertum* de Mediolanenſibus ſcribit, *proſtrati cum nudis gladiis in cervicibus, palam in plena Curia Domino Imperatori reddiderunt, præſtantes Sacramenta, quæcumque jubebantur pro ſe, & pro ceteris omnibus Mediolanenſibus.* Capto Rainaldo Barii Comite ab Henrico IV. Imperat., inquit, Otto Friſig. *lib. 1. c. 11. quod illa in nocte Comitiſſa filium genuit, Isaque Oppidani convenientes infantulo recenter genito Sacramento fidelitatis adſtringuntur.* Qui fiduciam, ſive fidelitatis jusjurandum, accepto feudo, contrahit, etiamſi ſenioris dignitatem, & ſalutem, hoc eſt, bona animi, corporis, & fortunæ, ſine exceptione tueri debeat, tamen hac obligatione liberare ſe poteſt, ſi feudum deferet, & tamquam ſubditus patere cogitur. Subditus vero, licet cenſuale prædium deferat, vel nihil allodii poſſideat, perſonali tamen obligatione ſeipſum exuere non poteſt (*f*).

Deni-

(*f*) Qui de re merito Bodinus *de Republ. lib. 1. c. 10.* novem Potentiorum, ac tenuiorum gradus ſtatuit, *primum genus eſt eorum Principum, qui ſunt in ejus clientela, cujus majeſtatem obſervant, ſeque in ejus patrocinium dare ſolent, ut adverſus potentiorum vim tutiores ſint. Secundum genus eſt eorum Principum, qui ſuperiorem in fœdere agnoſcunt, eique tributum dependere ſolent, vel penſionem, ut ejus auxilio & præſidio tutiores ſint: quod certe patrocinium dici non meretur, quia mercenarium ſit: merces autem officio non debeatur. Tertium genus eſt eorum, qui a potentiore victi pacem acceperunt, & jura majeſtatis retinent iis legibus, ut victoris majeſtatem comites obſervent, ejque tributum annuum ſolvant, nec tamen patrocinium illic, aut auxilium a potentiore debeatur. Quartum genus eſt eorum, qui Reges ſunt, & jura majeſtatis in ſuos libere quor-*

Denique a feudali jurejurando differt illa fidelitas, quam *jusjurandum domesticitatis, aut officii dicimus*. Et præstat, qui in palatio, aut domo alicujus Principis degit, vel officium exercet. Ut Consiliarius, Dapifex, Pincerna, Camerarius, aliusque 11. *f.* 5. Hujusmodi vitam, membrum, secretum, & rectum Principis honorem tueri tenentur *d.* 11. *f.* 5., Vultej. *lib.* 1. *c.* 6. *n.* 6. (*g*). Quod si his officiis feuda adnexa essent, ut in statutis, & legibus Scotiæ, & Galliæ perlegi, tunc verum fidelitatis jusjurandum præstari oportet.

exercent, sed aliorum fiduciarii, seu feudatarii sunt, aliunde feudo recepto a Principe, sive majore, sive minore. Quintum genus est eorum, qui Reges non sunt, nec jura majestatis habent, sed fiduciam propter feudum contraxerunt, qui a nostris simplices vasalli dicuntur, qui Domini dignitatem tueri, ac pro eo arma capere, non tamen semper, nec adversus omnes, tenentur. Sextum genus est eorum, qui vasalli ligii vulgo dicuntur, qui data fide Domini dignitatem, & existimationem tueri, ac pro ejus salute arma sine exceptione capere; non tamen semper, aut ubique, sed eatenus tenentur, quatenus utilitas feudi, aut fiducia contracta patitur. Septimum genus est eorum, qui subditi dicuntur, sive vasalli, sive censuales sint, sive etiam prædiis omnino careant; qui pro Principis dignitate, ac salute, perinde ac pro se ipsis, propugnare tenentur; & eosdem cum Principe hostes, & amicos habere. Octavum genus est eorum, qui quondam servituti liberati, servilem speciem retinent, ut sunt adscripti glebæ, & qui a nostris manus mortuæ dicuntur, postremum genus est servorum. Hæc genera nobis secernenda fuerunt, ne subditi cum vasallis, aut clientibus, aut cum utrisque simul misceantur.

(g) Tale erat, quod Carolus M. a Missis Dominicis exigebat apud Sirmundum *in Capp. to.* 11. *p. m.* 772. *promitto ego, quod ab isto die in antea fidelis sum Domino Carolo piissimo Imperatori, filio Pipini Regis, & Berthanæ Reginæ pura mente, absque fraude, & malo ingenio, de mea parte ad suam partem, & ad honorem Regni sui, sicut per dictum debet esse homo Domino suo. Sic me adjuvet Deus, & ista Sanctorum patrocinia, quæ in hoc loco sunt, quia diebus vitæ meæ per meam voluntatem, in quantum mihi Deus intellectum dederit, sic attendam, & consentiam. Missi feuda non possidebant, licet instar vasallorum juravissent.*

Digitized by Google

§. III.

De his, qui jurare obligantur.

JUris feudalis regula est: nemo, sive fœmina, sive masculus, laicus, aut clericus, supremus Princeps, vel inferior a feudali hominio immunis est *cap. 7. de Foro compet.*, *cap. 30. de jurejur.*, ubi Innoc. III. vetat, ne seculares a clericis juramentum fidelitatis exigant, si nulla bona ab ipsis secularibus recognoscant, *nihil temporale obtinentes ab eis*. Si igitur, ex contrario sensu, clericus possessionem, vel temporale a laicis obtineat, tunc laici ab eo jusjurandum exigere possunt, & clericus jurare compellitur. Sic Bonifacius VIII. *in cap. un. de statu regul. in VI.* prohibet Sanctionalibus a Monasterio exire, excipit casum, *verum quando Abbatissa, vel Priorissa cujusvis Monasterii pro feudo, quod Monasterium ipsum tenet ab aliquo Principe, seu Domino temporali, sibi debebit homagium, vel fidelitatis Sacramentum præstare (nisi quod per procuratorem illud præstet, possit efficere apud eum:) de monasterio cum honesta, & decenti societate exire poterit eo casu licenter, homagio facto quam primum commode poterit, seu fidelitatis præstito Sacramento, ad ipsum Monasterium e vestigio reversura, sic, quod in fraudem residentiæ, sive moræ claustralis, nihil fiat omnino.*

Ecclesia itaque a seculari Principe feudum accipiens, jure canonum, veram vasallagii conditionem induit, quod per suos Prælatos præstare obligatur. Hinc Hadrianus IV. an. 1159. Fridericum Ænobarbum Imp. monebat, ne ab Episcopis Italiæ hominium, & fidelitatis juramentum, sed fidelitatis dumtaxat *sine hominio* Sacramentum exposceret. Ænobarbus respondit, *Episcoporum Italiæ ego quidem non affecto hominium, si tamen & eos de nostris regalibus nihil delectat habere. Qui si gratanter audierint a Romano Præsule, quid tibi, & Regi consequenter, eos ab Imperatore non pigeat audire, quid tibi, & possessioni*, Radevic. *lib. II. de G. F. I. c. 30.*, Natal. Alex. *H. E. seculo XI. & XII. cap. II. art. 8.* Et hodie in Gallia Præsul electus, & consecratus, *deinde eum ut Regis clientem jurejurando in ipsius verba adactum esse, & litteras Regias jurisjurandi hujus solemnis nomine apud Præfecturam ratiociniorum receptas, præscriptasque esse necesse est*, inquit, Duaren. *de Sacris lib. III. c. II.* instar Vasalli, illustrat Thomasin. *de V. & N. E. D. lib. II. to. II. cap. 47. 48. 49.* Urban. II. in Concil. Claromon. *an. 1095.* apud Order. Vitalem H. E. *lib. IX.* Clericos hominium laicis præstare vetat, postea excipit, *sed si feudum a laico Sacerdos*

tenuit

Digitized by Google

tenuerit, quod ad Ecclesiam non pertineat, talem faciat ei fidelitatem, quod securus sit; quod confirmavit Concil. Rotomagen. *an.* 1096. *can.* 2., Thomasin. *loc. cit. cap.* 49. *n.* 3. Quod & ipsi Prælati profitentur, Krantz *lib. V. Wandal. c.* 42. *an.* 1177. de Evermodo Raceburgensi Episcopo, inquit, *deposito quoque Henrico, quum Bernhardus, antea Comes de Anehold ad Ducatum perveniisset, hominium ab Episcopo deposcebat. Pontifex renisus ajebat, Henrico quidem, qui omnia contuliisset Ecclesiis, meritos suos tempore (veluti patrono) impensos honores, longe aliorum esse aliam rationem* (*b*). Si in Prælatis duplex persona, invectis in Ecclesia bonis, latifundiis, & feudis, uti sacra, & uti laica perpendi cœpit, cur fidelitatis deinde jusjurandum præstare recusent?

Hoc jusjurandum non modo inferior superiori, sed & par pari, aut impari, si feudum possideat, exhibere tenetur. Daniæ Reges, Holsatiæ agrum Germanici imperii beneficio habent; quinimo olim Daniæ regnum imperii Germanici feudum fuit. Donec Fridericus Ænobarbus Petro Daniæ Duci regia stemmata concessisset. Balvolus Rex Scotorum jure feudi Regnum Scotiæ ab Anglorum Rege recognovit, exceptis Orcadibus insulis, quæ in fiducia Regum Norwegiæ fuerunt. Reges Angliæ ligium homagium Francorum Regi præstiterunt, de quo Saresberiensis Episcopus in Epist., quæ est 66. *inter Epistolas D. Thomæ Cantuariens. lib.* 11., *Rex Angliæ debebat redire in hominium Regis Francorum, & fide corporaliter, & publice data coram omnibus professerii quod ei tamquam Domino suo de Ducatu Nortmanniæ serviret, suos Prædecessores sui Duces consueverunt servire Francorum Regibus. Comitatum vero Andegavensem, & Cenomanensem, & fidelitatem procerum ad memoratos honores pertinentium, cedere tenebatur Domino Henrico filio, qui inde hominium, & fidelitatem Regi francorum contra omnes homines facturus erat, nec aliquid debiturus Patri, vel fratribus, nisi quod exigit ratio meeiri, vel naturæ.*

Donec Joannes Angliæ Rex se, suumque Regnum an. 1213.

(h) Et Henricus Stero *in Annal. ad an.* 1273. de Rudolpho Romanorum Rege narrat, *qui Rudolphus statim exegit a Principibus clericis, & laicis fidei juramentum. Quod cum recusarent propter sceptri absentiam, ipse electus signum Crucis accipiens talia dixisse fertur. ECCE SIGNUM IN QUA NOS, ET TOTUS MUNDUS, EST REDEMPTUS, ET HOC SIGNO UTAMUR LOCO SCEPTRI. Et deosculata cruce omnes Principes tam spirituales, quam seculares ipsam crucem loco sceptri osculantes, recipientes feuda sibi fidelitatis juramentum præstiterunt.*

Digitized by Google

in Romani Pontificis nempe Innocentii III. se potestatem dediderit, Bodin. *de Republ. lib.* 1. *c.* 10. Jurisjurandi formulam ipsemet Innoc. III. *in lib. IV. reg. XVI. epist. 77.* exhibet. *Ego Joannes Dei gratia Rex Angliæ, & Dominus Hiberniæ ab hac hora in antea fidelis ero Deo, & Beato Petro, & Ecclesiæ Romanæ, ac Domino meo Papæ Innocentio, ejusque Successoribus Catholicæ intrantibus. Non ero in facto, dicto, consensu, vel consilio, ut vitam perdant, & membra, vel mala captione copiantur, eorum damnum, si scivero, impediam, & remanere faciam, si potero. Alioquin eis quam citius potest intimabo, vel tali personæ dicam, quam eis credam pro certo dicturam. Consilium, quod mihi crediderim per nuncios, seu litteras suas secretum tenebo, ut ad eorum, me damnum nullum pendam, me sciente. Patrimonium Beati Petri, & specialiter regnum Angliæ, & regnum Hiberniæ adjutor ero ad tenendum contra omnes homines pro posse meo. Sic Deus me adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.* Eamdem refert Matth. Westmonasteriens. *Ad an.* 1213., & Chronicon Nicolai Trivetti *ad an.* 1213. Quæ clientelaris deditio omnibus tunc, & posteriori ætati displicuit, dum *de liberrima regione Ancillam* constitueret, ut Westmonast. *loc. cit.* loquitur, Bodin. *loc. cit.*, *Natal. Alex. H. E. Seculo XIII. & XIV. cap. XII. art.* 1.

Hinc quum Joannes Arthurum nepotem suum interfeciſſet, Arthuri jura Philippus Francorum Rex protexit, eique bellum indixit, cui etsi Innocen. III. obniti voluiſſet, Philippus nunquam destitit, Westmon. *loc. cit. ad an.* 1216. Sed Pontifici ex juris gentium sistemate respondit, *Rex autem Francorum, cum hæc verba intellexisset, incontinenti respondit: Regnum Angliæ patrimonium Petri nunquam fuit, nec est, nec erit. Rex enim Joannes, multis retroactis diebus, volens Fratrem suum Regem Richardum a Regno Angliæ injuste privare, & inde de proditione accusatus, & coram eo convictus, damnatus fuit per judicium in Curia ipsius Regis: quam sententiam pronunciavit Hugo de Pusat, & Episcopus Dunelmensis.* (Joannes enim erat ligius Regis Francorum, qui, cum ab eo ob necem Arthuri ad Curiam parium Franciæ vocaretur, comparere noluit, unde *Exheredatus* hoc est feudali fiducia privatus evasit, & Philippus jure feuda, quæ in Francia Joannes possidebat, invadere poterat, Westmon. *loc. cit. ad an.* 1203.) *Et ita nunquam fuit verus Rex nec potuit Regnum dare. Item si aliquando fuit verus Rex postea regnum forisfecit per mortem Arthuri, de quo facto damnatus fuit in Curia nostra. Item nullus Rex, vel Princeps potest dare regnum suum sine assensu Baronum suorum, qui regnum illud tenentur defendere: & si Papa hunc errorem tueri decreverit, perniciosissimum regnis*

regnis omnibus dat Exemplum. Tunc quoque Magnates omnes uno ore clamare cæperunt, quod pro isto articulo starent usque ad mortem, ne videlicet Rex, vel Princeps per solam voluntatem suam posset Regnum dare, vel tributarium facere, unde nobiles Regni efficerentur servi, inquit, Matth. Paris *ad an.* 1216., Chronic. Nicolai Trivetti *ad an.* 1199., & Guilielm. Nangis *ad an.* 1212., atque ad hoc pertinet *cap. XIII. de judic.* ubi prolixe Janus a Costa.

Nec tantum jurare vasallus, sed, eo defuncto, ejus Filii, heredesque, modo sint feudales, & feudum indivisum possideant, 11. *f.* 26. §. *omnes*, ibi Alvero *n.* 1. jurare coguntur, etsi sint plures tamen cum in locum unius vasalli succedant, uti singularis persona censeri debent, *l.* 56. *D. de condit. & demostr.*, & omnes sunt vasalli, Rothius *in Pandect. feudal. cap. XIII. q.* 8.. Finge; Sabinus decedit, & quatuor relinquit filios, filii successores, non plura, sed unum præstare obligantur servitium, quum unam personam sustineant. Praxis vero est, ut unus *eligetur*, qui pro omnibus, nomine omnium investituram suscipiat, & jusjurandum præstet, infra dicam, Rothius *loc. cit.*, 11. *f.* 55. §. *præterea ducatus*; & §. *omnes*, *l.* 97. *D. de Cond. & demonstr.*

Diviso autem feudo inter successores, quisque pro sua portione jurabit, quum pro ea defunctum repræsentet (*i*). Vicissim vero quæritur, si plures supersint domini, an vasallus cunctis jurare teneatur? assidue id contingit, dum senior pluribus relictis heredibus decedat? Sonsbec. *p. XI. n.* 16., Wesembec. *cap. VIII. n.* 26. aliique affirmant, quorum ratio tanti non est. Attamen placet, non singulis separatim, sed uni jurandum, qui omnium vice hominium recipit, Rothius *in Pandectis feudat. cap. XIII. q.* 6., Besold. *cap. VI.* 38. *n. II.*, Nam omnes, & singuli senioris successores pro tutu feudum adquirunt, ergo omnibus idem jus competit, & etiam prorata omnibus jurandum, cum hujus juramenti præstatio individua fuerit *arg. l.* 25. §. 9. *D. Fam. Ercis.* Igitur vasallus petere potest, ut heredes senioris inter se unum eligant, cui Cliens jurabit. Si here-

(*i*) Huc referuntur statuta Philippi Regis Francorum *an.* 1209. apud Lucam Acheris *in spicileg. to. III. p. m.* 570. *quicquid tenetur de domino ligie, vel alio modo, si contigerit per successionem heredum, vel quocumque alio modo divisionem inde fieri, quocumque modo fiat, omnes, qui de illo feudo tenebunt, sicut unus antea tenebat, priusquam divisio facta esset; & quandocumque contigerit pro illo totali feudo servitium Domino fieri, quilibet eorum secundum quod de feudo illo tenebit, servitium tenebitur exhibere, & illi Domino deservire, & reddere rachatum, & omnem justitiam.*

Digitized by Google

heredes in electione dissentiant, vasallus auctoritate propria aliquem sibi eligere potest *l.* 10. §. *fin. C. de jure dot.* Peckius *ad l.* 4. *C. de exercit. Actio. n.* 1. *&* 2. Æquum non est ex personis heredum Domini duriorem effici conditionem vasalli, hinc Fridericus 1. *in* 11. *f.* 55. *praeterea ducatus*, sanxit, *& vasallus pro uno feudo plures dominos habere non compellatur*, Gudelin. *de feud. par. III. c.* 6. *n.* 9., idque jure Saxonico, & Germanico servari testatur Zasi *p. VII. n.* 14., Scrad. *p. VI. n.* 7. *n.* 25. Pistor. *lib.* 11. *qq.* 47. *n.* 18. 18., atque eligi solet qui & dignior, & senior, ceteris paribus est. Denique plures senioris heredes simul sumti unum representant dominum, nec multiplex, sed unum vasallus tenetur servitium praestare, quia jus, quod senior in vasallos habet, est individuum, ut juspatronatus in libertos conf. Sonsbec. *p. XI. n.* 16. 17. 18. 19.

Nec tantum per semetipsum jurare, sed & per Procuratorem potest Vasallus 11. *f.* 3. §. *sed utrum*, Sonsbec. *par. VII.* 2. 25., Kloc. *de erar. lib.* 11. *n.* 41., Bodin. *de Republ. lib.* 1. *cap.* 10. Buddingh *disser. de Orig. & nat. contract. feud.* §. 56. cum omnis fere civilis actus procuratore valeat praestari, & qui procuratore agit, per ipsum agere videtur. Sic Petrus Viso de Moylevau pro Hectore, & Joanne Ambrosio fratribus Ferdinando III. juravit apud Lunig. *Ital. diplom. to.* 1. *p.* 2265. *Ego Petrus Viso de Moylevau juro ad haec Jancta Dei evangelia, quae hic corporaliter tango, vice, loco, ac nomine, adeoque in animam Hectoris, & Joannis Ambrosii Fliscorem fratrum quodam Innocentii vigore mandati per me exhibiti, quod iidem Hector, & Joannes Ambrosius tamquam domini, & possessores legitimi quartae partis feudi imperialis Savignoni serenissimo, ac potentissimo Principi Ferdinando tertio &c.* Clemens V. *in Clem. un. de jurjur.*, Lunig. *loc. cit. to.* 11. *p.* 1053. quod intelligendum, si dominus consentiat, secus ipse, & non per alium vasallus jurare cogitur, ut Rex Franciae Eduardum Angliae Regem monuit, ut personaliter ad praestandum de provincia Vasconiae hominium accederet, aliter Rex eo ducatu privaret; Eduardus misit Germanum suum Amundum, quem Rex Franciae accipere noluit, Hotom. *disput. feud. c. XIII.* Scrad. *par. VI. cap.* 4. *n.* 30., Rosent. *cap. VI.* 37.

Sed quomodo haec vasalli obligatio, ut ipse compareat intelligenda sit? Id mihi aequitas semper visa est, ut, si vasallus juste se non excusat, comparere teneatur, puta, si Dominus suspectum habeat, eumque deterrere, atque admonere velit, Scrad. *par. VI. c.* 4. *n.* 35., *Jac. a S. Georg.* §. *qui quidem investiti n.* 11. *&* 12. Wesembec. *c. VIII. n.* 24., Pistor *lib.* 11. *q.* 47. *n.* 58., Struv. *S. J. F. Cap. VIII. A.* 6. *n.* 5. Plurimum autem hic locorum consuetudo potest. Praeterea Civitas, Collegium, Universitas, Ecclesia aliter fidelitatis juramen-

Digitized by Google

ramentum, quam per procuratorem, non præstant, quum pro una intelligantur persona *l.* 22. *D. de Fidejussor.*, nec singuli sunt Vasalli; Sed unus, qui speciale habet mandatum, nomine Universitatis jurabit, Jac. a S. Georg. *loc. cit. n.* 10. Duaren. *de feud. cap. XIII. n.* 3. Sicut quilibet Procurator a Vasallo quovis constitutus ut nomine Vasalli juret, opus est speciale habere mandatum DD. *in* 11. *f.* 3. §. *sed utrum*, Vultej. *de feud. lib.* 1. *cap. VII. n.* 40. Pistor *loc. cit.* An procurator sine speciali mandato vasalli nomine Domino feudi jurat, valeat jusjurandum? negat Scrad. *par. VI. c.* 4. *n.* 3. etiamsi vasallus ratum habeat. Male: nam ratihabitio est pro consensu, modo non adsit alterius præjudicium, ut Vasallus potest feudum alienare, sine senioris venia, satisque erit seniorem deinde ratum habere, Vultej. *de feud. lib.* 1. *c. X. n.* 97.

Sæpius generale mandatum satis erit, ut si tutor, aut Curator pupilli, aut minoris nomine fidelitatem jurat: quia statim ac quis pupillo, vel minori feudum concedit, tutor ejus, & Curator jurare debet, Struv. *S. J. F. cap. VIII. A. 6. num. 6.*, Scrad. *p. VI. c.* 4. *n.* 34. Vultej. *lib. de feud. c. VII. n.* 41., cum id inter suæ administrationis partes recenseatur. Et quoniam juratam fidem Vasallus observare tenetur, ne juramentum frustra fuerit, expectanda est doli capacitas, donec ipse præstare queat 11. *f.* §. *Si minori*. Sicut & si furioso, muto, surdo feudum concedat, eorum curator non jurat, quia senior has personas investiens, fidelitatis juramentum remittere censetur, Struv. *loc. cit.* Et sicut Vasallus procuratore jurare potest, ita etiam Dominus juramentum recipere d. clem. *un. de jurejur.*, & putat Scrad. *loc. cit. n.* 36. tunc generale mandatum dumtaxat requiri, nempe si senior, non expresso Vasallorum nomine, facultatem sacramenta a sui vasallis recipiendi concedit.

Postremo clientelaris fidelitas in omni feudo erit præstanda, sive proprium, sive impropriu m fuerit, quia ejus læderetur indoles, illæsa tamen manet substantia, quæ beneficium constituit. Hinc displicet eorum thesis, qui a feudo franco, aut parvi reditus, extensionisve juratam fidelitatem evellunt: nihil enim refert, an senior servitia remittat, an clientela parvos reditus, fructuique ferat, dos magna, aut parva, ut dos sit, nihil interest, Pison *in prælud.*, Sonbec. *par. XI. nu.* 27. Aut si Vasallus anathemate laboret, etiam jurare obligetur, ne iniquitas sibi prodesset *cap. VII. de judic.* Seniori autem excommunicato, hæretico, & proscripto Vasallus jurare non obligatur 11. *f.* 28. *cap. fin. de Hæret. can.* 4. *XV. q.* 6. *can.* 5. *eo.*, Struv. *S. J. F. cap. XI. A.* 7.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

De Partibus Hominii.

JUsjurandum fidelitatis quot partes comprehendat, explicat Fulbertus Episcopus Carnotensis, qui, antea Pictavensis Ecclesiæ S. Hilarii Thesaurarius, jussu Willelmi IV. Aquitaniæ Ducis composuit, & refertur *in* 11. *f.* 6. *&* 7., Alteser. *Rer. Aqui. lib. IX. c.* 6. *& dixi in proleg. cap. V.* §. 10.; videlicet *incolume, tutum honestum, utile, facile, possibile*, Ivo Carnot. *Epist.* 88. *Nullus, qui fidelitatem fecerit Regi, præsumat illud dare consilium, quod sit contra fidelitatem suam, & regni minuat majestatem. Cum his enim, quæ fidelitas continet, præcipue observandum est Utile, & honestum.*

Incolume, hoc est vasallus ab omni facto, consilio, atque auxilio abstinere se debet, quo senior aut in rebus, aut in bonis, aut in fama lædi possit, neve quis alius eum offendat, aut damnum inferat. Nam promissio negativa id fert, ne quid adversus pactum conventum fiat, & curare ne fiat, Paul. in *l.* 189. *D. de V. S.* Sicut & stipulatio *per te non fieri*, significat, te curaturum, ut stipulatori nullum immineat impedimentum, quominus ire, agere possit; non tantum promittitur negatio, nihil se facturum, sed & affirmatio, se curaturum, ut ire, agere liceat, Ulpian. in *l.* 50. *D. de V. O.* Vox igitur *incolume* ostendit, vasallum nec facto, nec consilio, nec auxilio seniori damnum inferre, & obligari, ne alius hoc faciat. Hinc Vasallus suum seniorem criminaliter accusare nequit, nec aliquem substituere, qui ita accuset; nec pro eo fidejubere, qui eum accuset, nisi vasallus suam, suorumque injuriam prosequeretur, secus feudo cadit, Glos. *in* 11. *f.* 24. *v. perdit.* Jac. a S. Georg. §. *qui quidem investiti n.* 17. *&* 18.

Tutum, hoc est, ne sui senioris secreta alteri aperiat 1. *f.* 17., 11. *f.* 5. 6. *&* 7., quod quidem late se porrigit, videlicet, ne munitiones, conditionem, literas, nuncium, divitias, ditionis vices sui senioris hostibus dolo malo, aut ipse, aut per alium prodat. Jure Romano, qui Principis consilia revelat, aut vivus comburitur, aut furca suspenditur *l.* 38. §. 1. *D. de Pœnis* Qui in Rempublicam hostes concitat, læsæ majestatis reus est, & proinde feudo privandus.

Honestum, nempe, ne quid a vasallo fiat, quo sui Seniori existimatio, aut dignitas minuatur: nec in eum actione famosa agere; nec justitiam denegare: domus suæ honorem, & pudicitiam tueri;

Digitized by Google

tueri: Seniorem comitari, si aut ad Imperatorem, vel Regem, vel alibi ire cogatur: dotem filiæ, aut Neptî senioris constituere, ut feudi reditus sustinet, & præstet, *divi lib. 11. tit. XIII. §. 26.* Scraderi *par. VI. c. 6. n. 100.*, dicam *lib. IV.*, Rothius *in Pandect. Feud. cap. XIII. q. XI.*

Utile, videlicet, vasallus ab omni in seniorem damni illatione se debeat abstinere, atque agere, ne aliquis inferat, 11. *f. 6. & 7.* Inconsulto Domino, feudum non alienare: iter, viam, aut aliam servitutem ei gratis præstare, si senior in fundum suum aliter ire nequit, *arg. l. 2. §. 2. D. si servit. vindic.*, Andr. in 1. *f. 4. §. si quis de manso.*, onera beneficio annexa, ut decet, persolvere. Non prohibetur tamen vasallus in suo feudo aliquid facere, puta, ædificare furnum, molendinum, venationem, aut piscationem instituere, vel alia, etiamsi suo seniori lucrum intercipiat, aut eripiat, cum non tot homines ad senioris furnum, quot antea, accedent, quia vasallus in re sua fructuaria, jure suo utitur; nisi senior in investitura id vetuerit, aut præscriptione acquisiverit, Scrad. *par. VI. c. 6. n. 115.*, Jac. a S. Georg. §. *Et cum molendinis n. 5.* ex l. 24. §. *ult. D. de dam. infect.*

Facile, idest promittere debet, nihil agere, quo seniori difficile aliquid fiat, quod antea ipsi fuit facile; ut si rixas, si impedimenta, vel quid aliud texuerit, quo bonum facile a seniore obtinendum, difficultate consequi, & gaudere posset. *Possibile*, quia vasallus curare debet, ne quid seniori impossibile, aut natura, aut lege, aut moribus evadat, quod antea ipsi possibile fuerat: finge, senior filiam, neptemve suam Mævio collocare cæpit; vasallus in eum, eamve turpia confert, deque eorum honore alios male sentire irritat, quominus nuptiæ sequantur, Jac. a S. Georg. *loc. cit. n. 20.* Denique in his sex hominii partibus hæc regula tenenda est, *non sufficit abstinere a malo, nisi fiat, quod bonum est*, 11. *f. 6.*

Nuper assertum est, has sex fidelitatis partes contra omnes a vasallo observandas, etiam *contra fratrem*, *& filium* (*& patrem*) inquit 11. *f. 28. §. ult.* Cujac. *τω patrem* dolet. Hotoman. retinet, & recte; si ex hoc vasalli juramento patri, filio, aut fratri pietas jure naturali, divinoque debita non lædatur, quia etsi jusjurandum a vasallo præstitum juris divini fuerit, juri tamen paterno antea quæsito derogare non valet. Excepta quoque præsumitur divina, atque humana majestas 11. *f. 55. in fine*, quam Tertul. *ad Scap. c. III. hominem* (hoc est regem) *a Deo secundum*, *& soli Deo minorem* appellat (*k*). *Gunth. lib. VIII. V. 645.*

(*k*) Ut Rupertus senior Bavariæ Dux homo ligius Richardi II.

Digitized by Google

Quotica feudali jura exceptos
Vasallus domino fidei juramento praestat
Excipiendus erit Romanus nempe Princeps.

Excipitur antiquior Patronus *n. f. 28. §. ult.*, cui prius juratum est, & ante ab eo feudum recognovit. Sicut & personæ vasalli juramento, quum nemo jure aliena sive animi, sive corporis, sive fortunæ tueri obligetur, sua perdendo, quorum non est dominus, sed usuarius administrator; & stulti sunt, *qui, ut aliis prosint, sibi nocere contendant*, inquit, Lactant. *epit. divin. Instit. cap.* 1., Roseat. *cap. VIII.* 15., Alexrot *in* 11. *f.* 55. *§. illud.*

TITULUS II.

De servitiis.

§. V.

De Definitione, & Natura servitii.

Secunda Vasalli obligatio est feudalis *servitii praestatio*: Servitium est quod ex natura feudi, & pacto, & moribus regionis descendit, observare, & quandam similitudinem cum operis, quæ patrono praestat libertus, habet, quæ alias in *officio*, alias in *artificio* consistebant. In officio, ut curare patroni negotia, ejus personam comitari. In artificio, ut fabriles, picturas, pistorias quis esse putabit *l.* 1. *§.* 1. *ff. de Oper. libert.* Non enim feudale servitium unius speciei est, sed propter diversum feudorum genus, diversa erit servitii obligatio, cum quædam administrationem, quædam defensionem, aliave conjunctam præstent, puta, feudum Guardiæ, Advocatiæ, Castaldiæ, Cavenæ, Cameræ, Soldatæ. At, etsi multiplex fuerit servitii species, adeo tamen illud naturæ feudi insitum est, ut quamvis in investitura de eo nihil dictum sit, nihilominus præstandum, quia quilibet contractus secundum ejus naturam gestus esse præsumitur, nisi expresso, aut tacito Senioris consensu cesset, ex quo feudum *Francum* constituitur, *l.* 3. *D. de rebus eorum*, Servus naturaliter semper inesse præsumitur est *l.* 4. *D. de Usur. l.* 32. *D. solut. matrim.*, 12. *f.* 32. *in fin.* 11. *f.* 55. *§. firmiter*, Struv. *S. I. B. C. XI. A.* 4.

Qua

H. Angliæ Regis evasit, sed in juramento fidelitatis, Sedem Apostolicam, Sacrum Imperium, Regem Romanorum, & alias in Germania Potestates *an.* 1597. excepit, de diplomate refert Dumont *in corp. Univer. Diplom. to.* 2.

Digitized by Google

Qua de re aut ex natura feudi, aut pacto inveſtituræ, aut conſuetudine regionis ſervitia prodeunt. Ex natura feudi vaſallus conſueta ſervitia præſtat, quæ hominium, ſeu fidelitatis jusjurandum comprehendit 11. *f.* 6. & 2., quæ ad tria, nempe perſonam, bona, & honores redigi valent. Ex pacto, ut ſi feudum concedatur pro aſſocianda Senioris uxore, 11. *f.* 2. §. *fin.*, cum duorum, aut trium Equorum ſervitio, atque ſimilibus, quum pactis contractus vivant, Gloſ. in 11. *f.* 51. *V. ſervitium*. Attamen licet paciſcatur, certa præſtari ſervitia, cetera quæ ex natura feudi præſtanda ſunt, remiſſa non intelliguntur. Hinc ſi teſtator omnibus libertis cibaria legavit, poſtea quoſdam enumerat libertos, quibus eadem præſtari jubet, Modeſtin. in *l.* 5. *D. de alimen. leg.* reſpondit, legatum generale etiam remanere, Andr. & Alver. *in d.* 11. *f.* 51., Piſon. *in Prælud. feud. V. ſervitia*. Ex conſuetudine regionis, quæ feudis qualitatem, & naturam communicat. Quod ſi nulla occurrat ſervitii mentio, vaſallus manet obſtrictus Seniori *juſtitiam facere* 11. *f.* 24. *illud tamen*, hoc eſt, judicio ſe ſiſtere, ut, inquit Hotom. & Gloſ., aut juſtitiam aliis adminiſtrare, aut cum ceteris Curiæ Paribus jus dicere, Gudelin. *de feud. par. IV. c.* 6. *n.* 2. Mihi aliter ſuadet, nam ſi ſervitia nominatim non fuerint definita, militaria præſumuntur 11. *f.* 55. §. 1. cum originem feudis militaris peritia dederit, quæ vel equis, vel armis ſunt exhibenda. Excipi tamen oportet ſervitia, quæ in illa provincia exigi ſolent, in dubio enim quis contrahendo municipalibus legibus uti intelligitur, Rothius *in Pandectis feudal. cap. XVIII. q.* 9. & 10.

Nec diſtinguitur, an vaſallus ſit clericus, an laicus, Fœmina, an mas, an nullum agnoſcat Superiorem, quamvis aliqui ex his per ſubſtitutum ſervire valeant. Adeo enim ſervitii onus feudali clientelæ adnexum eſt, ut ſuum reſpiciat poſſeſſorem, nec a feudo ſine ſenioris conſenſu evelli poteſt, Andr. *in* 11. *f.* 24. *n.* 36. & 37. *Roſent. cap. VIII.* 5. *n.* 1., Scrad. *par. VI. c.* 6. *n.* 18., proinde, vendito feudo, emtor ſervit, quum onus non perſonale, ſed reale cenſeatur: & fundus cum ſua conditione *l.* 23. §. 2. *l.* 36. *D. de Serv. Ruſt. præd.*, ſicut & legatum cum vectigale, vel tributo ſibi adnexo tranſit *l.* 39. §. 5. *D. de legat.* 1. Creditor autem in feudi poſſeſſionem immiſſus, etſi poſſideat, ſervitio tamen non obligatur, quia ipſe vaſſallus dum a creditore ſe liberat, fructus percipere videtur, Roſent. *loc. cit. n.* 6.

Nunc (1) de modo ſervitii (2), cui Serviendum (3), quando Serviendum. De modo hæc regula eſt: vaſallus aut per ſe, aut per ſubſtitutum ſervire poteſt, ſi ſubſtitutus æquæ idoneus erit, ſeu, ut loquitur Frid. *in* 11. *f.* 55. §. *firmiter, acceptabilis domino*, hoc

eſt, ejuſdem conſilii, militaris peritiæ, fortitudinis, nobilitatis, auctoritatis, ac eſt ipſe vaſallus, Andr. & Alver. ad *d.* §. *firmiter*, nihilque dominus habet, cur conqueratur, ſi idoneam perſonam vaſallus ad ſerviendum mittat, Rothius *loc. cit. q. XV.* Et cecinit Gunth. lib. VIII. V. 610.

Publica militiæ vaſallus munera juſte
Non renuat, dominique libens in caſtra vocatus
Aut eat, aut alium pro ſe ſubmittat iturum
Arbitrio domini, vel quem laudaverit ille
Compenſet, redimatque ſuum mercede laborem.

Quamvis vaſallus per ſubſtitutum ſervire poſſit, ſæpe tamen per ſe ſervire cogitur, puta, ſi clientelam ob officium, aut extra, aut intra aulam obtinuit, quia tunc vaſalli induſtria electa eſt. Aut ſi in inveſtitura dictum ſit, ut ipſe, non alius nomine ejus ſerviat, Alver. *in* 11. *f.* 26. §. *ſi quis deceſſerit*, Scrad. *loc. cit. n.* 49. & 50., Roſent. *Cap. VIII.* 23., Ardizo *in Summa cap. XCVI.* Si hæc pacta non adſint, aut beneficii natura non ita ſuadeat, Seniori jus non eſt cogendi vaſallum, qui per ſe ſervire velit, ut per ſubſtitutum ſerviat, aut pecuniam ſolvat, Andr. *in d.* §. *firmiter n.* 32., ibi Alter. *n.* 4., Jac. a S. Georg. §. & *promiſerunt l.* 10. *in fi. D. de jure dot.*

Quod ſi vaſallus ipſe ſervire nequit, nec ſubſtitutum mittere, pecuniam Seniori dare, hoc eſt dimidium reditus anni illius tenetur, in quo ad ſerviendum vocatus fuit 11. *f.* 55. *firmiter* ibi DD. Adrianus Buddingh *diſſert. juridica de orig. & natu. contract. feud. an.* 1754. §. 53. In Lombardia olim erat dimidia, in terra Theutonica tertia fructuum pars 11. *f.* 40. Cuja *IV. f.* 49., Gudelin. *de feud. par. IV. c. 6. n.* 4. Hodie ex *d.* §. *firmiter* tam in Lombardia, quam in Theutonica Regione, hoc eſt Suevia, Saxonia, Thuringia, Friſia, Lotharingia, Bajoaria, eſt medietas, Gloſ. *ad d.* 11. *f.* 40. *V. tertiam*. Hanc ſubventionem *Hoſtenditias* vocabant, *ab hoſte* qui exercitum, & caſtra ſignificat (*l*), licet uſu invaluerit,

(l) Hoſtenditiæ dicuntur quaſi Hoſtendienſte *ab hoſte*, vel *ooſte* voce Germanica, quæ ſervitium in exercitu vel pecuniam oſtendit, qua illud redimitur. Vox enim hoſtis apud Germanos exercitum, & expeditionem denotat, 1. *f.* 7. 1. *f.* 20. 11. *f.* 40., *lib.* 11. *LL. Longob. tit.* 18. *l.* 5. *quicumque res ſuas pro anima ſua ad caſam Dei tradere maluerit, dominii traditionem faciat coram teſtibus legitimis, & quæ in Hoſte factæ ſunt hactenus traditiones, de quibus nulla quæſtio eſt, ſtabiles permaneant*; Strauchius *diſſert. de Hoſtenditiis an.* 1671. §. 1., dicam *ad d.* 11 *f.* 40.

Digitized by Google

luerit, non modo ſi contra hoſtem eundum erat, ſed ſi, expeditione indicta, Imperator honoris ſui, tutelæque cauſſa ad imperii coronam ſuſcipiendam comitandus eſſet, 11. *f.* 44.. In regno Neapol. ſervitium *burſale*, & *adoba* dicitur. Atque hæc conſuetudo ſub Imperatoribus Carolingicis cæpit, & ſinguli vaſalli Regem Italiam adeuntem exercitu XX. millium peditum, & IV. milium equitum comitari debebant, Buddingh *loc. cit.* §. 33. Hodie Imperatoris coronatio exolevit, ſed ſuadente imperii neceſſitate, ſubventio præſtanda eſt, Struv. *S. J. F. Cap. XI. A.* 5. *n.* 4. Vaſallus igitur a Seniore cogi non poteſt, ſi pecuniam ſolvere velit, & non ſervire, & viciſſim, quod male Buddingh *loc. cit.* §. 54. negavit. At, quia Reipubl. ſalus omni juri, & pacto præferenda, ſi ejus urgeat neceſſitas, vaſallo ſolutio pecuniæ non conceditur, ſed ipſe, vel ejus habilis ſubſtitutus ſervire cogitur, Roſent. *Cap. VIII.* 23. *n.* 13., Rothius *in Pandect. feud. Cap. XVIII. q.* 27. Nam per ſubſtitutum ſervire, & pecuniæ ſolutio, recens in re feudali inventum eſt, atque a ſenioris benignitate, & Principum clementia profectum, cui non aſſidue innitendum, ſi aliud Reipublicæ ſalus, & ſenioris honor expoſtulat. Hinc ſi ſenior ab hoſte obſeſſus, undique circumdatus, in magno diſcrimine poſitus degit, vaſallus non offerre pecuniam debet, ſed ipſe, aut alius ejus nomine ſervire compellendus ut *ex* 11. *f.* 7. eruitur. Proinde hæc pecuniæ ſolutio, aut alia ſervitii commutatio ſic intelligenda, *duminodo tamen per hanc ſolutionem dimidiæ partis redituum, æque atque per ſervitiorum præſtationem, Domino feudi conſultum eſſe poſſit*, inquit, Scrad. *par. VI. c. 6. n.* 56.

Quæritur, an vaſallus in bello, ſumptibus ſuis, videlicet, equis, & armis, & victu ſervire teneatur? Niſi aliud regionis conſuetudo, aut propria, aut vicina, vel inveſtituræ tenor jubeat, vaſallus ſuis ſumptibus ſervire cogitur, ſicut libertus operas artificiales (non officiales) ſuo victu, veſtituque patrono præſtare debet *l.* 18. *D. de Oper. liber.*, Weſenbec. *cap. IX. & X. n.* 13., Sonsbec. *par. XI. n.* 46., Scrad. *par. VI. c. 6. n.* 15. Uultes *de feud. lib.* 1. *c. X. n.* 44., qui, ſicut & Zaſius, Scraderus, Gudelinus intelligunt, modo ea fructibus feudi hos ſumptus vaſallus facere poſſit; Si enim tenuis eſt feudi reditus, tunc omnes expenſas Senior reſundit. Ego autem ſecus ſentio; ſi enim conſtabat vaſallo feudi reditus tenues eſſe, & ad ſumtus tot equis, atque armis ſe obligavit, qui fere feudi fructus exuperant, tunc ipſe vitulus petetur, & ſibi imputandum, dum ſervitio tam magno ſe obligavit, quod quidem Doctoribus animadverſum non eſt, *ex cap.* 217. *ejſ. extraordinario* ſatis patet.

Vero

Præterea vaſallus, etſi ſuis ſumptibus ſeniorem adjuvare teneatur, tamen id accipiendum, ſi intra patriam, & territorium, in quo vaſallus degit, auxilio opus eſt ſeniori, aut pro defenſione alicujus caſtri, & Civitatis, quam extra territorium poſſidet, vel ſi hoſtem, ſi bellum in ſuo territorio inferre velit, prævenire neceſſarium exiſtimat, antequam territorium ſuum ingrediatur. Quod ſi dominus de novo territoria acquirere, & Nationes ſubjugare cupit. Vaſallus ſervire non cogitur, quia de hoc caſu in inveſtitura cogitatum non eſt, *d. Cap.* 107., *arg. l.* 9. §. 1. *D. de Tranſ. l.* 35. §. 2. *D. de Procurat. l.* 20. *in fin. D. de oper. liber.*, Andr. *in* 11. *f.* 24. *n.* 40., ibi Alver. §. *ſed nec eſt alia*, & praxis eſt, teſte Rothio *in Pand. Feud. cap. XVIII. q.* 26. Et jure Saxonico ſeptem ſeptimanis ſervire ſuis ſumptibus cogitur.

Nunc dicendum, cuinam vaſallo ſerviendum, &, inquit, Feudiſtæ *in* 11. *f.* 23. *domino*, cujus nomine proximus ſenior, ſeu immediatus venit. Finge: Sabinus feudum tenet a Mævio, Sabinus vel totum, vel partem ſui feudi legitime ſubinfeudat Cajo. Senior immediatus Caji non eſt Mævius, ſed Sabinus, unde Sabino, non Mævio, domi, militiæque, & ut convenit, ſervire debet, 11. *f.* 55. §. *illud.* Cum ab hoc immediate ſeniore inveſtituræ renovationem, jusjurandum fidelitatis, & ſervitia petierit, atque exhibuerit, *Curt. par. IV. n.* 89., Scrad. *par. VI. c.* 6. *n.* 58., quia vaſallus vaſalli mei, non eſt meus vaſallus, nec ſocius ſocii mei eſt meus ſocius *l.* 20. *ibi Gotofr. D. de pro ſocio*, & late Scrad. *par. VIII. c.* 2. *n.* 25. & nos infra. Quod ſi vaſallus plura habeat feuda, & diverſos proinde dominos, qui eodem tempore ſervitia requirunt; antiquiori ſerviet in propria perſona, ceteris per ſubſtitutos *arg.* 11. *f.* 28. *in fin.*, *cap. XCIX. extraord.* Vaſſallus enim, qui priori Domino fidelitatem fecit; neceſſario priorem dominum excepit, ſive excipere debuit, cum ſemper antiquior ſecundo præferendus 11. *f.* 38. 28. cui jus quæſitum ex fidelitatis juramento non auferendum, Piſtor *lib.* 2. *q.* 47. *n.* 35. Struv. *S. J. F. Cap. XI. A.* 7. *n.* 3. Hinc duobus Patronis dimicantibus, ſine periculo amiſſionis feudi, vaſallus antiquiorem adjuvare poteſt; quod ſi ſecundum ſeniorem, relicto priore, adjuvat, feudum, quod a priore tenet, amittit, Piſtor *loc. cit. n.* 36., *arg.* 11. *f.* 55. §. *illud*, Scrad. *par. VI. c.* 6. *n.* 21. Roſent. *cap. VIII. concl.* 16. Id verum tamen eſt, ſi ſecundus Dominus, qui feudum vaſallo dominum antiquiorem habenti, ſcienter contulit, ſi autem ignoranter, & vaſallus priori, non ſecundo velit ſervire, a feudo ſecundi ſenioris cadit, Piſtor. *loc. cit. n.* 37. (*m*).

Sæpe

(m) Hinc idem Piſtor *loc. cit.* advertit, *quæ cum ita ſint omnes vaſal-*

Sæpe etiam non domino immediato, ſed mediato ſerviendum, ſi, videlicet, dominus mediatus fuerit Rex, vel Princeps territorii, Civitatis, aut Univerſitatis, qui bellum pro communi utilitate, patriaque gerit; ſive adverſus immediatum Dominum, ſive extraneos pugnet. Exinde ſi Baro bellum inferat Regi, Baronis ſubvaſalli non ei, ſed Regi ſervire obligantur, Scrad. *loc. cit. n. 60.*, jac. a S. Georg. §. *& promiſerunt n. 12.* (*n*). Denique ſi erit vaſallus univerſitatis, Eccleſiæ, Collegii, cum non ſingulorum de univerſitate ſit vaſallus, non ſingulis, ſed Syndico, Prælato, & Rectori ſervire debet Andr. *in* 11. *f.* 26. §. *omnes*, Alver. *in* 11. *f.* 55. §. *præterea ducatus n. 6.*, exemplo liberti Reipublicæ, de quo Ulpian. *in l.* 10. §. 4. *D. de in jus vocan., qui manumittitur e corpore aliquo, vel collegio, vel civitate ſingulos in jus vocabit; nam non eſt illorum libertus; ſed Reipublicæ honorem habere debet: & ſi adverſus Rempublicam, vel univerſitatem velit experiri, veniam edicti petere debet, quamvis actorem eorum conſtitutum in jus ſit vocaturus.*

Poſtremo, quandonam ſerviendum; & regula juris eſt, vaſallum non niſi monitum ſervire debere, ſive generalis, puta, edictum publicum, ſive ſpecialis, nempe, citatio, fuerit admonitio 11. *f.* 7., & 11. *f.* 37. 11. *f.* 36. §. *licet*, 11. *f.* 20. §. *ad hoc*, 11. *f.* 54. *&* 35. §. *firmiter*, Buddingh *loc. cit.* §. 53. & ſi diutius non ſervierit, modo paratus ſit, nulla dignus eſt pœna 1. *f.* 21. 11. *f.* 26. §. *licet*, 11. *f.* 28. *ad hoc*, 11. *f.* 37. §. *ult.* Sic Ulrius Halberſtadius Antiſtes ab Henrico Leone Imp. vocatus, renuit, de quo Chronic. Riddagshuſenſe ſcribit, *Imperatorem eo offenderat, quod tributum Cæſari expetitionem Italicam ſuſcipienti, debitum non perſolviſſet. Qua eadem culpa tenebatur Hartvicus Bremenſis Archiepiſcopus, qui juſſus Cæſarem in Italiam ſubſequi, neque hoc fecerat, neque de ſumptibus ei proviſerat. Uterque igitur de majeſtate damnatus, & prædia eorum, ac poſſeſſiones fiſco imperiali applicatæ ſunt.*

Hac admonitione opus ſæpe non eſt, ſi in inveſtitura certum ſervitium ſtatuta die præſtari placuit, tunc dies intepellat *pro homine l.* 12. *C. de Contrab. Stipul.*, Curt. *par. IV. n.* 61., Duar. *cap. XIV.* aut ſi ſeniorem in magno diſcrimine conſtitutum cognoſcat, ſine

---

vaſallos adverſa habentes feuda monitos velim, ut quando ſecundo Domino fidelitatem præſtant, priorem ſemper excipiant. Nunc enim hoc prætermiſſum ex juris interpretatione ſubintelligatur: ne tamen Domini ignorantia deinde ſemet tueri poſſint, longe ſecurius eſſet, illud exprimere quippe cum hac ratione non ſolum jam dictum evitent periculum, ſed & conſcientiæ ſuæ rectius conſulant.

(n) Nimis religioſa eſt D. Anſelmi pietas, qui lib. III. Epiſt. 98.

requiſitione eum adjuvare obligatur, 11. f. 7. 11. f. 26. §. *licet* Ardizo *in ſum. c. 66.* Ceterum vaſallus rite citatus ſtatim comparere tenetur, quod boni viri arbitrium, perpenſa perſonarum varietate, cauſſarum, & ſervitiorum circumſtantiis, loci vicinitate, & periculi gravitate, exiſtimabit, Alver. ad *d.* §. *licet n. 9.*, textus *in* 11. *f.* 55. §. *firmiter*, *l.* 13. *D. de annuis legat. l.* 13. §. 2. *D. de v. o.* Nec refert an citatio fiat a ſeniore, an ab ejus procuratore, atque ſi Pares habeat, coram iis peragenda, nec vaſallus in mora conſtituitur, niſi trino edicto citatus fuerit, & recte Ardizo *in ſum. c. 67.* advertit, *Non debet dominus eſſe nimis auſterus, vel acerbus, vel contumelioſus exactor, ſed moderatus, & cum efficacia benignus, & cum inſtantia humanus; nec vaſallus nimis delicatus, & ut ſerviendo continue non teneatur ſervire, & otium habeat, & meridiano tempore conquieſcat, & omnia temporis ſpatio libera ſint his, quæ ad curam corporis ſunt neceſſaria* (o).

§. VI.

De Cauſſis excuſationum.

LAudata juris Regula in pluribus excipienda (1), vaſallus non tenetur *contra ſeipſum ſervire*, quia perſona jurantis, & promittentis exceptа præſumitur, *cap.* 31. *de jurejuran. ubi Cujac. Alciat. de præſumpt. reg.* 1. 52., Menoch. *de præſum. lib. III.* 44. 2. 1. & *ſeqq.* Qua de re ſi vaſallus domino bellum gerenti ſervire juravit, ſi dominus contra eum dimicat, vaſallus non obligatur eum juvare, ut omnibus placet. (z), quoniam in fidelitatis juramento Imperator, Rex,

---

98. ad Epiſcopum Wentoniæ Willelmum, *utr[illegible] de Caſtello, quod de Comite Roberto tenetis, poſſitis fruvi ejus Regi Henrico contra eumdem Comitem deſervire, propter injuſtitias, quas idem Comes vobis fecit, ſicut manduſtis. Quod nequaquam coram Deo, & coram juſtis hominibus licite fieri poſſe intelligimus. Nam etſi vos de hoc abſolvit, quod illi debeatis per hominium, aut per fidem promiſſam, ſive aliquam communem conventionem: non vos potuit abſolvere de hoc quod Deo, & proximo propter Deum debeatis per chriſtianam religionem.... Quod autem a Rege prædictum Caſtellum, ſicut homo ejus eratis accepiſtis, nullo modo cognoſcimus vos hoc adſtringere, ut eum eodem Caſtello contra Comitem uti permittatis ſi ei hominium non niſi ſalvo ordine feciſtis.*

(o) Ex his conſtat, ſervitia, aut militaria, aut ſulica, aut pagana

Rex, S. Pontifex excipitur 11. *f.* 7., 11. *f.* 55. *VI. fin.*, contra hos vasallus seniorem non adjuvabit, Hannet. *lib.* 1. *c.* 9., Pistor. *lib.* 11. *q.* 47. *n.* 32., quia nulla major fidelitas excogitari potest ea, quæ his personis exhibenda est, cum ipsa Reipublicæ salus, societatis tranquillitas, & cujusque civis commodum substineatur. Excipitur quoque antiquior dominus, cui antea jus quæsitum est, patria, & supremus ejusdem Magistratus, queis bona nostra debemus, *cap. XIX. de jurejur.*, 11. *f.* 55. *in fin.* 11. *f.* 7. Pistor *loc. cit.* Nec tantum hujusmodi personæ, sed etiam earum successores, quum dignitas, & jus quæsitum nusquam pereat *cap. XIV. de offic. deleg.*, & hæc juramenta sint contra bonos mores *l.* 38. *D. ad Municipal.*, & idcirco remittenda, Sveton. *in Tiber. c.* 35. *Equiti Romano jurisjurando gratiam fecit, ut uxorem in stupro generi compertam dimitteret, quam se numquam repudiaturum ante juraverat.*

Ætas [3] nempe Pupillaris, aut minorennis 1. *f.* 26. §. *si* quis *decesserit*; ea per substitutum servire teneantur? dissentio est: recte Rothius *in Pandectis feud. cap. XVIII. q.* 30., & Struv. *S. J. F. cap. XI. A.* 6. *n.* 2. asserunt, nec per substitutum servire compelli. Nec propter omissa servitia pupillus feudo privandus, sicut alius vasallus feudo caderet, sed senior ad id, quod interest, cum tutor servire per substitutum neglexerit, agere potest. Hodie moribus, DD. tradunt, seniores usque ad vasalli pubertatem substitutum pro impubere postulare posse, nec impuberes excusandi sunt, Rosent. *cap. VIII.* 8. *n.* 4. Verum si servitii qualitas talis sit, ut a pupillo præstari possit, non excusatur, Alver. *ad d.* §. *si quis decesserit n.* 2. Sicut libertus impubes patrono operas non præstare, sed interdum præstare tenetur, *si forte vel liberarius, vel nomenculator, vel histrio, vel alterius voluptatis artifex*, inquit Ulpian. *in l.* 7. §. 5. *D. de oper. libert.* Nam Romani a pueritia calculis operam dabant, & assem dividebant, Horat. *de arte poetic. v.* 325. Nomenculator est qui civium nomina tenet, quo servo, qui magistratum peteret, utebatur, A. Aug. *ad Modestin. lib. sing. l.* 15., Perrenon. *animadver. lib.* 1. *c.* 27. *& l.* 44. §. *fin. D. de liber. causta.*

Si vasallus [4] erit *senex*, videlicet lxx. an., qui jure romano ab oneribus publicis, vires corporis desiderantibus immunis est, cum ipsa senectus sit morbus, aut adversæ valetudinis, vel mutus, surdus, claudus, aut aliter imperfectus, quo propter mentis, aut

---

gana proprie esse. Militaria armis, & Equis præstanda 1. *f.* 5. 22. *f.* 7. 28. Aulica plerumque ipse vasallus agere debet. Pagana, quæ feudorum possessores proprio exhibere tenentur. Adsunt & servitia accidentalia, quæ varia esse possunt, Buddingh *loc. cit.* §. 54.

Digitized by Google

corporis debilitatem ſervire nequit, tunc aut ſubſtitutum mittat, aut dimidiam fructuum partem iſtius anni contribuat, quia hæc ætas excuſationem meretur *l.* 1. §. 32. *D. ad ſilan.* (*p*), ut in ſervo etiam *Paupertas*, qua vaſallus armis, & equis ſervire aut ſolito debito nequit, ſubſtitutum mittere non obligatur 11. *f.* 24. *ſed nec alia*, 11. *f.* 6. *in fin.*, Curt. *par. IV.* 61. Scrad. *par. VI. c.* 6. *n.* Verum vaſallus ſua culpa, vel dolo pauper evaſit, puta, prodigalitate, tunc feudo exſpoliandus eſt, Andr. & Alver. ad *d.* §., *ſed nec alia n.* 7. ſi ſenior (5) *proſcriptus*, *vel excommunicatus* fuerit 11. *f.* 28., Buddingh *diſſert. de oreg. & nat. contract. feud.* §. 53., quum jura civitatis amiſiſſet, omnino evitandus, qui Deum, & juſtiam prodidit, imo etiamſi vaſſallus vellet, non liceret, idemque de Hæretico dicendum eſt, *cap.* 8. *&* 31. *de ſent. excom.*, *can.* 4. *&* 5. *XV. q.* 6., Ardizo, *in ſum. c.* 70., Vulte. *de Feud. lib.* 1. *c.* 7. *n.* 117., quia durante excommunicatione, vel proſcriptione vaſallus a fidelitate liberatus eſt, Gudelin. *de feud. par. IV. c.* 6. *n.* 7. ſi feudum ſit [6] *francum*, tamen calus extremæ neceſſitatis exceptus intelligitur, Rothius *in Pand. feud. cap. XVIII. q.* 29.

Si ſenior (7) *injuſtum bellum* evidenter gerat, hoc eſt, quo jus naturale, & gentium deficiat 11. *f.* 28. & 11. *f.* 7. Si vero ambigitur, tunc ſervire oportet, Grotius *lib.* 11. *de J. B. & P. cap.* 26. *n.* 4., & Huber. *de J. C. lib. III. cap. XI.* §. 8. probant, ſi dubitetur, an bellum juſtum

---

[p] Aut ſi chiragra, vel podragra vexatur: hinc Horat. lib. 11. ſat. 7. v. 15. dixit *juſtam obiragnam*, hoc eſt, quæ excuſat, quod & Dioclet. & Maxim. in *l.* 2. *C. qui morb. ſe excuſ.* ſanxerunt; Gentilis *Parerg. lib.* 1. *c.* 4. Sicut de feudo Suii Ricchardus ab Ottone M. Caſini Abbate inveſtitus ſervitiis ſe obligavit, *Princeps Ricchardus autem eo tempore infirmitate gravissima laborabat, & cum non poſſet in ſervitio ejuſdem Abbatis venire Caſinum, ex latere ſuo ſtrenuos deſtinat viros, qui eidem Abbati ſervitia ſua fideliter offerrent*, inquit Chron. Montis Caſſin. *lib.* 10. *c.* 25. *& cap. VII.* ægrotante ſervo, vel ſene, cujus nullæ ſunt operæ, retinemus uſumfructum, *l.* 12. §. 3. *D. de uſufr.*, & de operis libertorum, inquit, Paul. *in l.* 17. *D. de oper. liber.*, *nec audiendus eſt patronus, ſi poſcit operas, quas vel ætas recuſat, vel infirmitas corporis non patiatur, vel quibus inſtitutum, vel propoſitum vitæ minuitur*, De Liberta, inquit, etiam Pompon. in *l.* 34. D. eo. quæ operas promiſit, deinde *ad eam dignitatem perveniat, ut inconveniens ſit præſtare patrono operas: ipſo jure hæc intercident.*, Rotent. *cap. VIII.* 8. *n* 8. *& ſeqq.* Adrizo *in ſum. c.* 69., Rothius *in Pand. feud. cap. XVIII. q.*, Struv. *S. S. F. cap. XI. A.* 6. *n.* 3.

Digitized by Google

justum sit, an illicitum, a subditis parendum esse, quia is damnum dat, qui jubet dare, & ejus nulla est culpa, cui parere necesse est: quod & jure Romano, & Gentium receptum est, Scrader. *par. VI. c. 6. n. 27.* si dominus (8) servitium petat, quod exequi sine *decore*, atque *infamia* nequit, vel *periculo vitæ*, famam, pietatem, atque existimationem lædit; *arg. l. 59. D. de judic. l. 20. in fin. D. de Stratulib.*, Ardizo *in sum. c. 70.* si vasallus (9) *vinctus* detinetur, & vincula rumpere nequit; aut si ei nova, & superior supervenit dignitas, ut de libertis respondit Pompon. *in l. 34. D. de oper. liber.* sicut & is, qui nexu Curiæ tenebatur, Theodos. *in l. 60. C. de Decur.*, *qui honorario titulo illustrem dignitatem consecuti sunt, per substitutos periculo suarum facultatum Curiæ muneribus satisfacere non vetentur*; igitur per substitutum serviet; Rothi. *in Pand. cap. XVIII. q. 29.* Struv. *S. J. F. cap. XI. A. 6. n. 4.*

Denique si vasallus servitia præscripserit; sed quodnam temporis spatium requiratur? dissentio est. Constat tamen, vasallum, etiamsi centum, vel mille annis Domino servitia non præstiterit, quia domino iis opus non erat, libertatem a servitiis contra dominum præscribere non posse 11. *f. 26. §. licet vasallus* ubi DD. Tunc vero vasallus incipit se in libertate constitui, quum requisitus a domino servire recusat, atque ab hoc præscriptio inchoatur, quæ ut vim habeat, ni decipiam, triginta ann. esse debeat, qua omne feudum acquirimus, igitur etiam a servitiis immunitas recipienda, confer. Rossent. *cap. VI. 82.* (q).

Quæsitum est, an aucto feudo, augeatur servitium, & vicissim? Prætermissa disputatione, quid sentio, dicam: si incrementum industria vasalli factum est, augeri servitium non debet, ut Theodosius *in l. fin. C. de alluvion.* sanxit, jus fisco non esse, ab alluvione prædiis facta, tributum exigendi, nec a paludibus, vel pascuis, quæ cum essent infertilia, possessorum sumptibus fertilia evasissent; & rationem addit, *ne doleant diligentes operam suam agri dedisse culturæ, nec diligentiam suam sibi damnosam judicantes intelligant.* Aut incrementum a Domino factum est, videlicet, domum, præ-

D 2 dium;

(q) Præter hos casus omnino vasallus servire decet, & quidem ut Terent. *in Andria actu IV. scena 1. in fin.*

Ego Pamphile hoc tibi pro servitio debeo.
Conari manibus, pedibus, noctesque, & dies
Capitis periculum adire, dum prosim tibi.
Tuum est, si quid præter spem evenit, mi ignoscere
Parum successit, quod ego, & facio sedulo.
Ut melius, tu aliud reperi, me missum faci.

Digitized by Google

dium, venationem, ſilvam, aliudve feudo addit, & initio de ſervitii augmento nihil dixit, donaſſe potius videtur; ſibi imputandum, cur ſibi non cavit, quia donare eſt, qui nullo jure cogente concedit *l. 29. D. de donat.*, *l. 47. D. de oper. liber.* & proinde ſervitium non eſt augendum. Aut incrementum natura contingit, videlicet, alluvione, inſulæ adjectione, tunc æquitas ſuadet, modo magnum fuerit incrementum, augeri ſervitium, de quo initio inveſtituræ cogitatum non eſt, & omnis pactio rebus ſic ſtantibus intelligitur (r); ſive incrementum latens, ſive apparens fuerit. Ceterorum opiniones refert Roſent. *cap. X.* 44., Rothius in *Pandect. feud. cap. XVIII. q.* 12. & 13. Struv. *S. J. F. cap. XI. A.* 5. *n.* 7.

TITULUS III.

De Inveſtituræ renovatione.

§. VII.

Origo, & Definitio renovationis.

TErtia vaſalli obligationis ſpecies eſt inveſtituræ renovatio, cujus initium, & progreſſus ſic ſe habet. In barbarorum ætate ſicut utile feudorum dominium, ita & allodialium prædiorum inveſtitura Symbolis quibuſdam ornata quiſque transferebat (s). Quæ utilis dominii translatio perpetua non erat, ſed ad

(r) Sic Arcadius in *l. 2. C. de alluvio*. *Hi, quos inundatio Nili fluminis reddiderit ditiores, pro terris, quas poſſident, tributorum præſtationem agnoſcant. Et qui ſuum deplorant patrimonium diminutum, alieno ſaltem functionis onere liberarentur, & noſtræ ſerenitatis largitate defenſi, locorum etiam poſſeſſione contenti, pro agitandi cenſus examine reſpondeant devotioni.* Agitur non de alluvione, ſed inundatione, quæ ſi prediis incrementum affert, tributi quoque onus adcreſcit. Decipitur, qui ex hac lege ob inſolitam ubertatem conductorem ad majorem penſionem damnat? Tributum eſt onus prædii, penſio onus perſonæ, nec legem contractus ſpernere licet *l. 25. §. 6. D. locat.*

(s) Proinde inveſtituram recte definit Auctor *tractatus de Regalia lib. 1. c. 6. n. 1. Eſt traditio feudi conceptis verbis, & formulis quibuſdam facta, qua ejus dominium ſaltem utile a Domino in vaſallum transfertur, cum onere præſtandæ fidei, reddendorumque eſſe-*

Digitized by Google

ad tempus certum, aut ad vitam 1. *f.* 1. §. 1., & licet id postea mutatum fuerit, mansit tamen consuetudo, ut novi possessores investituræ renovationem peterent, & renovationis tempore aliquid solvere obligarentur, quo possessio veluti a Domino redimi posset. Hinc in bonis emphyteuticis invaluit *laudimium*, in feudis *relevium*, Güdelin. *de feud. par. III. c. 6. n.* 13., Heinecc. *Elem. jur. Germ. lib.* 11. *tit.* 4. §. 119. Nulla enim temere fiebat traditio, cui investitura non accederet, & proprie dum utilis rerum immobilium proprietas alienabatur, unde *effestucatio* nata est, de qua Heinnec. *loc. cit. tit. III.* §. 80. Lindenbrog. *in Glos. v. traditio. Lex Salica tit.* 48., Struv. *S. J. F. cap.* 11. 10.

Ratio autem cur in feudis renovatio inrroducta fuerit, est, *ut vasalli intelligant se feudum beneficio domini, & primi acquirentis pactionibus magis, quam successione obtinere. Item ne jura domini obliterentur, nec vasallus aliquam ignorantiam, aut præscriptionem prætendere possit. Tertio ut fidelitate promissa (utpote personalis, in primis quoad juramentum) a vasallo, aut herede feudali domino, aut ejus heredi reiteretur. Quarto & denique, quia est signum reverentiæ, & devotionis, quam vasallus domino debet. Origo fortasse inde promanavit, quod domini olim pro libitu auferre poterant, postea defuncto vasallo ejus masculo heredi nonnisi ex gratia concedere tenebantur*, inquit, Rolent. *cap. VI. consl.* 29. *n.* 7., & juris Longobardici mens est, Pistor. *lib.* 11. *q.* 47., *Curt. par. IV. n.* 45., Welenbec. *cap. VIII. n.* 23., Christin. *to. VI. decis.* 25. *n.* 4.

Concinit & huic Ludovic. Boehmer. *de Investit. feud. cap.* 102.. *Et ut jurium, & obligationum utrinque competentium agnitione eadem salva, & integra servarentur, maxime cum vel Domino, vel mutato vasallo diminui, vel labefactari facili negotio potuerint. Ita & jura feudalia ejusdem indolem exponunt. Vasallus, quod Domini erat, ut feudum legitime constitutum esse profitetur, ab eodem petebat, & quod suarum partium agnoscebat, ad quod obligatus erat fidelitatis promissionem offerebat. Et sic post mortem vasalli, heredes ejus Dominum, vel heredem ejus adire dicuntur fidelitatem pollicendo* 11. *f.* 40. Renovationem igitur petit vasallus in directi dominii recognitionem, hoc est, mutato vasallo, constet, quod hic vasallus qui succedit, a Domino rem in clientelam re-

---

officiorum, quæ juris clientelaris propria sunt. Et cum beneficia olim ad vitam vasalli durarent, quo defuncto, invecta etiam in iis hereditaria successione, statim ad Dominum redibant, quæ tamdiu possideret, quamdiu heres investituræ cum jurejurando fidelitatis renovationem peteret.

Digitized by Google

recognoſcat: mutato autem Domino, appareat quod Dominus, qui ſuccedit, a vaſallo agnoſcatur, debitoque veneretur honore. Et quoniam olim in feudis non erat ſucceſſio, a filio, agnatove impetrari oportebat, quod, in ducta ſucceſſione etiam permanſit, quia ſucceſſor non a defuncto, ſed a ſeniore beneficium obtinet Struv. *S. J. F. Cap. X. A.* 1. *n.* 2. Hinc feudiſtæ ſex hujus moris rationes reddunt (1), ut ſit ſignum reverentiæ a vaſallo Seniori exhibendæ (2), ut vaſallus beneficio Domini non acquirentis, vel Succeſſione feudum obtinere intelligat (3), ne longo temporis lapſu jus Domini intervertat, itemque intercipiat (4), onus, & obligatio vaſalli cum ipſo intereunt (5), juramentum a defuncto præſtitum, quia perſonale, cum ipſo expirat (6), ut vivam domini directi recognitionem, memoriamque foveat, et nutriatur, Uulte. *de feud. lib.* 1. *cap. VII. n. 96.*, Rothius *in Pandect. feud. cap. XVII. p.* 2. Buddingh. *loc. cit.* §. 57.

Hæc feudalis inveſtituræ renovatio *eſt feudi legitime quæſiti, per ſuos domini directi, vel vaſalli mutata, ſolemniter facta confirmatio*, inquit Rothius *loc. cit. q.* 1. Dicitur *Confirmatio*, quia renovatio nihil novi juris tribuit, nec plus juris, nec minus confert, nec majorem, nec minorem inducit obligationem, ſecus agnatos læderet 11. *f.* 3. ubi Andr., Scrad. *par VI. c.* 3. *n.* 29. *&* 30. Thom. de Marin. *par.* 11. *n.* 69. Sed jus acquiſitum conſervat. Quod cum ita ſit, renovatio inveſtituræ jus feudi non tribuit, & ſi conſtet vaſallo in feudo nullum jus competiiſſe, renovatio inveſtituræ nihil ei concedit, Boehmer. *de Inveſ. renov. c. V.* §. 106., Vultej. *de feud. cap. VII. n. 96.* Atque renovatio facienda ſub eadem forma, & pacto, quo prima inveſtitura facta eſt, & ſi aliter appareat, errore, metuque facta præſumitur, Intriglo. *cent.* 11. *art.* 84. *n.* 8. Sylvan. *de feudi recognit. queſt.* 38., nec Domino, nec vaſallo immutandi facultas competit, & ſi tantum mares fuerint vocati, feminæ in renovatione non ſunt accerſendæ, cum ipſa aſſidue, & ſedulò veterem inveſtituram reſpicere debeat.

§. VIII.

De Tempore Renovationis.

TEmpus petendi inveſtituræ renovationem eſt, quoties Perſona Domini, aut vaſalli mutatur, 11. *f.* 24. 11. *f.* 32. 11. *f.* 40. Hannoten. *lib. III. c.* 1., Vultej. *de feud. cap. VII. n. 99.* Buddingh. *diſſert. de Orig. & Nat. contract. feud.* §. 57. (1) Dominus mutatur mo-

[1] De Chriſtophoro II. Daniæ Rege, inquit, Krantz. *lib.* 8. Dan.

morte, divisione, alienatione. *Morte*, si seniori, videlicet, succedat ei suus stirpis maximus; huic vasallus investituræ renovationem, & hominium præstare tenetur; sed si plures ei succedant, omnibus fidelitas conjunctim exhibenda est 11. *f.* 55. 11. *f.* 77., quia investitura petitur, & fidelitas juratur propter feudum, quod una res est, Struv. *S. J. F. Cap. X. A.* 2. *n.* 1. Buddingh *loc. cit.*

Hujusmodi actus coram omnibus defuncti Senioris heredibus peragit. At vasallus potest ex his unum eligere, cui juret, & investituram petet 11. *f.* 55. §. *præterea ducatus*, quum juris beneficiarii regula sit, ex personis heredum vasalliticam præcipue in durius obligationem non mutandam. Nec tamen vasallus illi heredi, cui jurat, tantum obligatur, sed omnibus, quia nomine omnium juravit. Iniquum equidem esset, si vasallus suo arbitrio hoc totum jus fidelitatis, renovationis, servitiorum, atque obsequii dumtaxat uni heredi senioris attribueret, & cederet; cui tamen juravit, tantum servire obligatur, Blancus *lib.* 1. *cap. VII. n.* 24. Rossent. *cap. VI.* 38., licet omnium maneat vasallus. Quod si plures unius feudi domini fuerint, & unus ex his filiis relictis decedit, vasallus non tenetur renovationem petere, quia novos dominos non accipit, sed priores retinet; secus si seniores inter se feudum diviserunt, quia tunc quisque vasallus pro sua parte jurabit, & renovationem petet, Rothius *in Pandect. Feud. Cap. XVII. q.* 6.

Divisione mutatur Dominus, nempe, si seniores in communione viventes territorium possederint, deinde illud dividant, & cuique certa territorii pars contingat, tunc vasallus renovationem petere debet a Domino, cui per divisionem subjicii declaratum est, & a præterito jurejurando absolutus censetur. *Alienatione*; si senior jus suum, quod habet, in alium quocumque titulo transferat, vasallus emptori, vel cessionario, aut novo domino jurare tenetur, atque ab eo feudum recognoscere, Rosent. *cap. VI.* 64. *n.* 4. Struv. *loc. cit. n.* 4., Buddingh. *loc. cit.*

Persona vasalli mutatur quoque morte, alienatione, refutatione, Felonia. *Morte*, & tunc ejus feudales heredes investituræ renovationem petere obligantur 11. *f.* 40. Si primogenius succedit, hic solus

---

Daniæ c. 22. *an.* 1439. *unctus de sacro* (*de more*) *oleo Rex consecratur; cunctis ad novam Regis gloriam plaudentibus. Anno deinde proximo quum Regni provincias obiret, perveniisset in Juliam ibi ex compositio Adolphus Dux Slesvicensis, ac Comes Holsatiæ occurrens, feudi postulavit de jure innovationem. Neque diu moratus Rex apparatu legitimo per bannarium investivit illum ducatu, acceptis e quæ præstari solent, juramentis.*

Digitized by Google

ius petit; si plures in commune feudum possideant, singuli renovare, & jurare tenentur 11. *f.* 26. §. 4. *V. omnes filii*, licet uno, præstante servitium, omnes liberentur 11. *f.* 77. ubi una fidelitas, unum servitium a pluribus Domino fieri debere statuit, cons. Pistor. *lib.* 11. *quæst.* 47. *Alienatione*; & si feudum consensu domini in extraneum alienat, nova tunc opus est investitura; si in agnatum a primo tamen acquirente descendentem transfert, petenda renovatio erit investituræ, quia alius in Domini servitium subingreditur. *Refutatione*, si Seniori etiam invito feudum cedat, modo in fraudem non cedat, puta, tempore, quo vasalli defensione indigeret: vel proximiori agnato, vel remotiori, vel extraneo consensu Senioris resignet 11. *f.* 9. 11. *f.* 14., ut infra dicam. *Felonia* mutatur vasallus, sed de hac postea disputandum, Buddingh. *loc. cit.* §. 57. *Curt. IV. u.* 139.

Tempus renovationem potendi est annus, & dies, 11. f. 24. qui a die scientiæ computatur, dum patrem, agnatumve decessisse cognovit, sibique feudum esse apertum, Sonsbec. *par.* 11. *n.* 24., Zasi. *par. VII. n.* 19. Buddingh *loc. cit.* §. 58., nisi aliud loci consuetudo disponat, ut jure saxonico est annus, & sex hebdomadæ, Scrad. *par. VI. c.* 2. *n.* 76., Rothius *in Pandect. feud. cap. XVII. q.* 12. Obstat textus *in* 1. *f.* 22. ubi dies, & mensis statuitur; Interpretes distinguunt inter vasallum paganum, & militem; pagano annum, & diem; militi mensem, & annum attribuunt. Laxius enim tempus propter militares expeditiones militia meretur. Struvius vero *S. J. F. cap. X. a.* 7. *n.* 2., ut antimoniam componat, *diem* non naturaliter, sed civiliter, hoc est plures dies ultra annum accipit, quia unicus dies vix annum excedit. Ratio hæc Struvii tanti non est, ut a communi distinctione discedamus. Zasius *par. VII. n.* 1. intelligit de milite, qui in actu, & habitu in militia, non otiosus reperitur.

Hujusmodi tempus a Seniore nec prorogari, nec coarctari, invito vasallo, potest, quia est beneficium legis, quod sine voluntate ejus auferri nequit. Si prorogatio fieret, læderetur vasalli conditio, dum non caperet possessionem, cujus fructus ipsi intercipierentur, Vultej. *de feud. cap. VII. n.* 102., Scrad. *par. VI. n.* 2., Buddingh. *loc. cit.*, & communis thesis est. Nec refert an ipse vasallus, an per suum procuratorem renovationem petat: cum qui per alterum facit, per se facere videtur, quod juris dogma jus feudale non delevit 11. *f.* 3., ubi prima investitura si per procuratorem suscipi potest, multo magis investituræ renovatio peti valet, Rothius *loc. cit. q.* 20. Atque ex his (1) deducitur; hanc renovationem a Domino devote petendam 11. *f.* 23., nempe supplici libello eum adi-

adire, ut directum ipſe recognoſcat dominum, (2): requiruntur teſtes, nec intereſt, an ſint extranei, quia non de ſolemnitate, ſicut in prima inveſtitura, ſed de probatione agitur, (3): ſi Dominus non eſt in territorio, vaſallus illum ſequi non tenetur, modo nimis non abeſſet, (4): in imperio ibi petenda eſt, ubi Imperator habitat, (5): nec vaſallus in loco non tuto ſiſtere obligatur, Vultej. *loc. cit. n.* 149. *& ſeqq.*, Zaſi. *par. VII. n.* 5. Sylvan. *de feudi recognit. q. XVIII.*, (6) a vaſallo certa pecuniæ quantitas pro hac inveſtitura ſeniori ſolvenda, & *laudimium* appellari ſolet, ut infra, Rothi. *loc. cit. q.* 21. 22. 25. 26.

Ab hoc renovationis onere nemo eximitur, ſive laicus, ſive Clericus fuerit *cap. XXX. de jurejur.*, aut vaſallus major, & ſenior minor, proinde merito Zaſi. *par. V. n.* 55., inquit, *quod etiam ſuprema capita, nempe Papa, & Imperator, ab inferioribus: ille a Comitibus; hic ab Eccleſiis feuda accipiunt, quo caſu fidelitatis juramenta præſtabunt, & per ſubſtitutos perſonam ſervient.* Eccleſia vaſalla, mutato Domino, aut Prælato, quia feudali lege vivit, renovationem quoque petere debet. Succeſſor ſingularis, puta, ſi agnatus remotior feudum conſenſu Domini, & aliorum agnatorum emit, vel ſi proximus agnatus remotiori cedat, quia in omni feudo antiquo renovatio petenda eſt II. *f.* 14., & reſpectu agnati, qui emit, vel cui ceſſum eſt, manet antiquum. Secus eſt, ſi ſingularis ſucceſſor eſſet extraneus, qui non renovatione, ſed inveſtitura novi feudi indiget, Rothius *loc. cit. q.* 19. Nec refert, an vaſallus in prima novi feudi inveſtitura ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus juraſſet, nihilominus vaſalli ſucceſſores renovationem petere, & hominium præſtare coguntur, Curt. *par. IV. n.* 57., Jac. a S. Georg. §. *qui quidem inveſtiti n.* 36., Sylvan. *de feudi recognit. q. LXXXVIII.*, quia jusjurandum eſt perſonale, nec animam alterius obligare poteſt. Non obſtat *cap. XIV. de jurejuran.*; nam ibi Clemens III. Willielmo II. Siciliæ Regi propter Siciliæ Regnum jure clientelæ indutum ſingulari indulgentia onus ſubeundi jusjurandum remiſit, non tamen fidelitati, non homagio, quod cujuslibet feudi fundamentum eſt, renunciavit. Atque jurisjurandi virtute jam ab anteceſſore præſtiti ſequentibus Pontificibus fidelitatem ſervare, non ſecus, ac ſi Regis heredes juraſſent, tenerentur. Apud bonos, honeſtoſque viros tantum fidelitas, & ſimplex promiſſio valet, quantum jurata religio poteſt. Proinde jusjurandum, quia obligationem obſervandi fidelitatem parit, & comprehendit, ad heredes tranſit, hoc eſt ipſa fidelitas, quæ cum ipſo feudo aſſidue ambulat, ab eoque nunquam divellitur. Attamen ipſum jusjurandum perſonale eſt, nec alios, niſi jurantem obſtringit.

§. IX.

De excusatione renovationis.

SI vasallus intra annum, & diem renovationem dolo malo, aut culpa non petit, a feudo cadit: verum ob justa impedimenta ab hac pœna liberatur. Equidem (1) est *ignorantia* justa, & invincibilis, qua ignorat aut patrem, agnatumve decessisse, aut rem esse feudalem, sibi apertam, aut seniorem fato cessisse, *cap. extraord. XCII.*, Glos. *in* 11. *f.* 22., Christin. *to. VI. Dec. belg.* 25. *n.* 15., Vultej. *de feud. cap. VII. n.* 113., modo hæc sit facti, non juris: ut si ignorat defuncto vasallo se succedere; facti, puta, si nescit seniori proximiorem esse (2), *absentia* Domini sive justa, sive injusta fuerit 1. *f.* 22., quæ alteri damnosa esse non debet *arg. l.* 140. *D. de R. J.*, Christin. *loc. cit. n.* 27., Scred. *par. VI. c.* 2. *n.* 39., id verum censetur, si Dominus locum petiit valde remotum, quem nonnisi magnis sumptibus adire vasallus deberet, quod judicis religioni relinquo. Absentia quoque justa vasalli, & necessaria 1. *f.* 22. §. *Sanimus*, & tunc ne procuratorem quidem constituere tenetur, Christin. *loc. cit.*, Buddingh *loc. cit.* §. 59.

(3) *Inimicitiæ capitalis* inter vasallum, & seniorem orta 1. *f.* 22., non procuratorem mittere cogitur *l.* 8. *in fin. l.* 14. *l.* 43. §. 6. *D. de procurat.*, Sylvan. *de feud. incognit. q. XLVII.*, ubi non recte sublimet vasallum cogi procuratorem mittere, *l.* 26. §. *ult. D. ex quibus caus. major.*, Vultej. *de feud. cap. VII. n.* 119. & 120. Inimicitia capitalis illa existimatur, in qua quæstio status, capitis, honoris, omnium bonorum, aut majoris partis vertitur *l.* 103. *ubi Wissenbec. D. de V. S.* Interpretes autem excipiunt; si vasallus huic inimicitiæ causam dedit, non excusandus. Non placet; nam Feudista in 1. *f.* 22. non distinguit, an Dominus, an vasallus inimicitiæ occasionem dederit; nisi dolus vasalli, ne investituram peteret, arguatur, Screder. *par VI. c.* 2. *n.* 34. (4) *bellum*: videlicet, in patria ardet, quo ad Dominum vasallus pergere nequit. Verum hic valet auctoritas Ulpiani *in l.* 2. §. 2. *D. si quis cautionibus in judic.* in qua quæsit si reus judicio se sistere promiserit, postea *cum posset non incidere in tempestatem, vel in fluminis vim, si ante profectus esset, vel tempore opportuno navigasset, ipse se avertisset: numquam exceptio ei nimium prosit? quod quidem causa cognita erit statuendum: non namque sic arctandus sit, ut possit ei dici, cur non multo ante profectus est, quam dies promissionis veniret. Neque verum permittendum ei, si quid sit, quod ei imputetur, excusari tempestatem, vel vim*

flumi-

Digitized by Google

fluminis. Quid enim (si quis), cum Romæ esset ipso tempore promissionis sistendi, nulla necessitate urgente, voluptatis caussa in municipium profectus sit? nonne indignus est, cui hæc exceptio patrocinetur? Si itaque voluptatis caussa abfuerit, deinde superveniat bellum, & tuto redire nequit, excusatio cessat, Sylvan. *de feud. recogn. q.* 51. Qui sponte in caussam necessitatis incidit, vix adjuvari meretur.

(5) *Pestis, fluminum impetus, hostium incursio, aut morbus* vasalli, dum sine vitæ discrimine ad Dominum pervenire non possit, Sonsbec. *par. XI. num.* 20., Zasi. *par. VII. num.* 4. De tempestate, & fluminum inundatione sic loquitur Ulpian. *loc. cit. Aut quid si tempestas quædam in mari fuit, terra autem iste potuit venire, vel flumen circumire? æque dicendum non semper ei exceptionem prodesse: nisi angustiæ non patiebantur terra iter metiri, vel circumire. Cum tamen vel flumen sic abundasset, ut implesset omnem locum, in quo sisti oportuit: vel aliqua fortuita calamitas eundem locum everrit, vel præsentiam venienti periculosam fecit, ex bono & æquo, & hic exceptio ei accommodanda est.* (6). *Justus metus*, qui cadit in constantem virum, uti est latronum incursio, vincula, captivitas, verbera, vulnera, mors, stuprum, servitus, corporis cruciatus, justa detentio a legitima potestate descendens, de qua Ulpian. *loc. cit., exceptio datur ei, qui cum ad judicium venire volebat, a Magistratu retentus est, & retentus sine dolo malo ipsius: nam si ipse hoc affectavit, vel caussam præstitit, non ei proderit exceptio: sed ipsius quidem dolus ei oberit, ceterorum non oberit, qui malo dolo fecerunt, ut retineretur. Sed si privatus eum detinuerit, nullo modo ei proderit hæc exceptio*, Zasi. *par. VII. n.* 5., Struv. *S. J. F. cap. X. a. 9. n.* 2., Sylvan. *loc. cit. q.* 77.

(7) *Ætas*, nempe pupillaris etsi tutore instructa, quum nec pupillus, nec ejus tutor aut ad renovationem, aut ad Fidelitatis Sacramentum compelli possit *l. f.* 22., ibi Alver. *n.* 14., & ejus fidelis affecta Ravennas, Wesenbec. *cap. VIII. n.* 7., Sonsbec. *par. VII. n.* 15., Sylvan. *loc. cit. p. XCIII.*, & Feudista *in* 11. *f.* 26. §. 5. *Si quis decesserit, filio impubere relicto, fidelitatem nec ipse, nec alius pro eo facere cogitur. Idem de servitio personali: alius tamen pro eo faciens servitium admittetur*, quod turpiter Rothius *in Pandect. feud. cap. XVII. q.* 16. negavit. Imo & si feudum fuerit indivisum, & vasallus decedat, filio impubere, hoc est XIV. an. minore, & filio XXV. an. etiam majore, propter impuberem major excusatur, *arg. l.* 19. *D. si serv. vind.*, Scrad. *par. VI. c.* 2. *n.* 27., Vultej. *de feud. cap. VII. n.* 108., ut de retinenda servitute inquit, Paul. *in l.* 10. *D. quemadm. serv. amitt. Si communiter fundum* [illegible] *pupil-*

pillus haberemus, licet uterque non uteretur, tamen propter pupillum, & ego viam retineo, ubi Gothof. Si autem tutor renovationem petere velit, jusjurandum in annos pubertatis differtur 11. *f.* 26. §. *si minori*, Struv. *loc. cit.*, Buddingh *loc. cit.* §. 59. Ætas hæc pupillaris tam in masculo, quam in fœmina anno XIV. absolvitur, licet jure civili XII. an. in fœmina, ut feudistis placet, Rosent. *cap. VI.* 41. *n.* 3., sed cur a jure communi discedant, ratio latet, nisi parvula in 11. *f.* 55. §. *præterea si quis*, in quo Imp. sanxit, quod si quis major XIV. an. per annum, & diem renovationem non petat, feudo privetur. Verum in *d.* §. non *quatuordecim*, sed XVIII. an. legendum, ut ibi dicam, Lorber *Instit. juris feud. German. lib.* 1. *tit.* 13. §. 88. *in not.*

Pubes autem, sive minor, sive major XXV. annis, modo XVIII. an. excesserit, renovationem petere obligatur, a qua ætate tempus currere incipit, 11. *f.* 55. §. *præterea si quis*. Verum si est minor, adversus temporis lapsum restitui potest, secus si major, qui non ex ætate, sed aliis caussis supra recensitis, restituendus, Wesenbec. *cap. VIII. n.* 8., Glos. *ad d.* §. *præterea*, ubi Andr. & Alver. Quam restitutionem minor, vel a seniore, sive Domino feudi, vel a suo Curatore petit *Nov. I. cap.* 5. §. 1. Hodie moribus obtinet, pupillum, vel minorem, si velint, ad servitium admitti posse. Si renuant, nec per se, nec per substitutum servire compelluntur, Alverot. *in* 11. *f.* 26. §. *si quis decesserit n.* 1. Quæsitum est, an pupillus sine tutoris auctoritate renovationem petet? Placet, quia meliorem, non deteriorem sui conditionem gerit, Vultej. *de feud. lib.* 1. *cap. VII. n.* 105. Duo rursus quæro, an. minor an. si fidelitatis jusjurandum præstare velit, admittendus? Andr. *in* 11. *f.* 26. §. *si minori* negat: Sed recte ibi Alver. *n.* 4. Jac. a S. Georg. §. *qui quidem investiti n.* 25. ipsum refellent, quia feudista in *d.* §. *si minori* utitur verbo, *cogitur*, igitur si velit, potest, quum hic jusjurandum sit voluntarium, quod etiam pupillo deferri potest *l.* 26. *D. de jurejur.*, secus si est infans, qui non intelligit quid agit, nec fallere, aut dejerare dicitur. An proximus pubertati fidelitatem facere obligetur? Proximus pubertati est, qui jam tredecim annorum est, Serv. ad Virgil. *Eclog. VIII. v.* 39. *alter ab undecimo tum me jam ceperat annus*, scribit, *id est decimus tertius. Alter enim de duobus dicimus, & vult significare, se jam vicinum fuisse pubertati*, affirmat Andr. *loc. cit.*, merito autem negat Jac. a S. Georg. *loc. cit. n.* 26., & Alver. *eo. n.* 3. quia dictio *donec in d.* §. *si minori* perfectum pubertatis tempus ostendit. Vultej. *loc. cit. n.* 105.

(8) *Si Dominus feudi sit impubes*: & si infans est, vel infantiæ proximus, & tutore careat, vasallos fidelitatis renovationem agere

agere non tenetur, donec tutorem accipiat, & infantiam expediatur, a qua tempus petendi currit *arg.* 1. *f.* 22. At si est puberati proximus, etsi tutore careat, vasallus petere debet, eique tempus currit, Scrad. *par. VI. c.* 2. *n.* 31., Vultej. *lib.* 1. *feud. cap. VII. n.* 110. Sicut & si Dominus feudi decedit, uxore prægnante, & ventri Curator est constitutus, a Curatore vasallus renovationem petere cogitur, Curt. *par. IV. n.* 56. (9) *si Dominus erit proscriptus*, seu bannitus, aut excommunicatus majori excommunicatione, quia in vasallo fidelitatis obligatio cessat [u] est 11. *f.* 28., Jac. a S. Georg. *loc. cit n.* 50., Sylvan. *de feud. recognit. q.* 69. *&* 70. *&* 71., Vultej. *de feud. cap. VII. n.* 117., vel hæreticus, qui si jura Christi deprehendit, & neglexit, magis jura hominis contemnet. Si vero vasallus, aut proscriptus, aut hæreticus, aut excommunicatus fuerit, tunc renovatione opus non est, sed feudo cadit, quum sine dedecore in Curia senioris stare nequeat, & feudorum incapax evadit, Blanc. *lib.* 1. *de feud. cap. V. n.* 12., Sylvan. *loc. cit. cap.* 72., Rosent. *cap. III.* 23. (x). Mihi tamen videtur, consensu Domini posse feudum retinere, quia excommunicatio dominium nobis non aufert, non est modus bona & jura lege Gentium quæsita amittendi, aliter de proscriptione, & hæresi sentiendum, quæ bonorum publicationem afferat, & proinde infra statutum tempus petere debet, ne suum crimen ei prodesset.

(10) *Si duo de defuncti senioris hereditate contendant*, vasallus renovationem protrahere potest, donec constet, uter ex his defuncto succedat, Sonsbec. *par. XI. n.* 22., Zasi. *par. VI. n.* 10., atque vasallus, ut ab omni periculo se eximat, protestari potest, se renovationem petere paratum, si quisnam sit Dominus, cognoscaret.

Mon-

(u) In media ætate major excommunicatio, hoc est illa sacra deportatio, quam Christianum juribus religionis, & lucris expoliat, sæpe dicitur *bannum*. Hinc in Concil. Salegunstadiensi *an.* 1022. in Germania *can.* 15. occurrit *bannitum jejunium*, hoc est ab Episcopis indictum, a populis susceptum, qui ob peccata dignos se putabant, ut a Regno Dei bannirentur, seu exularent. A Rege quoque bannitus, excommunicatus dicitur, prolixe Ciron. *observ. lib.* 1. *cap.* 16., *&* *ad cap. III. de censibus n.* 5. *collect.*

(x) Sicut Eustachius de Lunque feudum solidorum 30. de reditu Synodali ab Alviso Episcopo Atrebatensi coram Ludovico Imperat. petebat; cui Episcopus excommunicationem opposuit, *quia ille excommunicatus erat, & antequam Episcopatum susciperet in excommunicatione illa jam per annum permanserat, & ipse excommunicato communicare, vel hominium excommunicati suscipere nec poterat, nec debebat*, referente Balut. *in Miscel. to. V. pag.* 403.

Montan. *lib. III. de feud. cap. VI. in fin.* (11) vaſallus renovationem petere non cogitur, *ſi alius feudi poſſeſſionem habeat*; nam tempus petendi a die adeptæ poſſeſſionis currit, igitur ſi feudum non poſſidet, petere non tenetur, Piſtor. *lib. II. q. 20. n. 31.*, Vultej. *de feud. lib. I. cap. VII. n. 126.* (12). *Sanctum vaſalli morbus arg. l. 113. D. de V. S.*, hoc eſt, qui vehementiorem vim nocendi habet, & qui cujuſque rei gerendæ impedimentum affert *l. 60. D. de re judic.* Scrad. *par. VI. c. 2. n. 42.* Denique alia rerum vicifſitudo impedimenta invenire valet, quæ naturalis æquitas conſtituet. Sed vaſallus, qui impedimenta allegat, probare debet, aut judex ex circumſtantiarum inſpectione ejus juramento crediderit, Roſent. *cap. VI. 55.*, Buddingh *loc. cit. §. 59.*

TITULUS IV.

De Succeſſorum obligationibus.

§. X.

Diviſio, atque indoles ſucceſſoriæ obligationis.

DEfuncti vaſalli ſucceſſor ex quaſi contracta propter feudum ad ſe devolutum naturali æquitate ejus factum ratum habere cogitur. Omnis ſucceſſoris obligatio, vel ſenioris, vel vaſalli ſucceſſorem reſpicit, de primo infra, de ſecundo hic agendum. Qui defuncto vaſallo ſuccedit, vel eſt filius, vel agnatus: ſi filius eſt, nequit defuncti patris hereditatem repudiare, & feudum accipere; ſi agnatus, tunc feudum retinere, & hereditatem repudiare valet, *ff. f. 45.*, ibi: *Si contigerit vaſallum ſine omni prole decedere: agnatus ad quem univerſa hereditas pertinet, repudiata hereditate feudum, ſi paternum fuerit, retinere poterit: nec de debito hereditario aliquid feudi nomine ſolvere cogitur: ſed in fructibus, ſi quos reliquit, ut de iis debitum ſolvatur, quo tempore deceſſerit (ſecundum quod ſupra diximus) conſiderabitur. Ubi vero filium reliquerit, ipſe non poteſt hereditatem ſine beneficio repudiare: ſed aut utrumque retineat, aut utrumque repudiet.*

Ex Interpretibus non pauci hunc textum de hereditario feudo intelligunt. Verum eorum cogitatio in ſupinam Longobardici juris ignorantiam impingit. Jure enim Longobardo hæc feudorum genera inducta ſunt, videlicet, *precaria*, quæ a Domino, ut lubet, revocari poſſunt: *perſonalia*, quæ vaſalli, nonniſi ad vitam poſſident, vel *privilegio ſenioris de feudo ad poſteros ituro*: vel *perpetua*,

Digitized by Google

petua, & hæc vel intra certum gradum, vel indefinite in gradus poſterorum innumeros perennia; quæque originem non tam ex gratia Domini, quam primi acquirentis proviſione trahunt; de his perpetuariis, ſi ita loqui fas eſt, feudis *d.* 11. *f.* 45. Neapolitani Regni feudiſtæ, atque exteri, qui præ ceteris vetuſtiores juriſprudentiam interpretati ſunt clientelarem, accipiunt, Piſtor. *lib.* 11. *q.* 2. Vultej. *de feud. lib.* 1. *cap. IX. n.* 237., Andr. *ad d.* 11. *f.* 45. *n.* 4., Thom. de Marin. *de Gener. feudo. tit. de feud. ex pact. & Provid. n.* 34. Ardizo *in ſum. cap.* 137. §. *item quæritur nunquid repudiando*, Ludewig. *lib.* 1. *Opuſcul. cap. VIII.* §. 7. Quomodo de feudo hereditario accipiendus, ſi conſuetudinum feudalium jure hæc feudi ſpecies fuerit incognita?

Inveſtiganda tamen erit differentiæ ratio, cur non filius, ſed agnatus repudiare poſſit? & quidem multiplex eſt. (1) reverentia Patri debita, & pudor non jubet, repudiata patris hereditate, beneficium retinere, & quaſi ejus factum, & memoriam dedignari. [2] filius non niſi perſona patris ad feudum invitatur. Nam etſi feudum ex pacto, & anteceſſorum providentia obtineat, tamen ſi ex perſona patris non veniret, agnatus reſpectu primi acquirentis proximior filium facile excluderet; idcirco propter hunc honorem ſimul paternam adire hereditatem compellitur. Hæc ratio in agnatis ceſſat, qui feudum ex prima inveſtitura acquirunt. (3) eſt patriæ poteſtatis rigor, quo olim filius erat etiam heres neceſſarius. Hæc tamen ratio a Ludewigio *loc. cit.* §. 4. *cap. V.* magni æſtimatur. Sed mihi non placet, quia in re feudali patria poteſtas ſilet, ſicut ſuitas, & emancipatio, ſed tantum inveſtiræ verba, & vocatio ſucceſſionem regunt, & jus communicant, Piſtor. *lib.* 11. *q.* 13. *n.* 21. Opinari non recuſo *d.* 11. *f.* 45. auctorem de jure Romano cogitaſſe, dum patriam poteſtatem magnopere exiſtimabat, dixi *in proleg. cap. VIII.* §. 42., Hotoman. *ad d.* 11. *f.* 45., Vultej. *loc. cit.*, Gudelin. *de feud. par. III. c.* 1. *n.* 9.

Agnatus vero poteſt hereditatem repudiare, & in feudo ſuccedere. Et ratio (1) eſt, quia agnatus non cogitur eſſe heres ultimo morientis, ſed ſatis eſt, ſi primi acquirentis heres fuerit, quia primus Acquirens, de herede ſui ipſius, non de alio deſcendente cogitavit. Quare proximitas non ultimi morientis, ſed primi acquirentis perpendenda, quum non ab ultimo, ſed a primo accipiat, Andr. *in* 11. *f.* 25. *n.* 6. *ubi Liparul.*, Marin. *loc. cit. n.* 25. Ex his patet in hoc feudo tot eſſe donationes, quot ſunt perſonæ, & quiſque jure proprio ad vitam uſque utitur fruitur, atque perpetuæ ſubjacet reſtitutioni, nec una ab alio, ſed omnes a primo acquirente recognoſcunt, Andr. *in* 2. *f.* 8. *n.* 9., in 11. *f.* 3. *n.* 31

[2] quo-

(u) quoniam haec feuda ſanguinem colunt, ſuntque genarchica; unus nequit alteri praejudicare, videlicet, debitis, aliove gravamine, quod ſuceſſor ſolvere non obligatur, cum nec ex teſtamento, nec ab inteſtato, ſed ſucceſſorio jure veniat II. f. 18. II. f. 39., II. f. 17., Andr. in I. f. 8. n. 9., Gudelin. loc. cit., Cuiacia in cap. ſi aliquem v. antiquis n. 66., Piſtor. lib. II. q. 1. n. 25.

Si itaque filius in feudo ex pacto, & providentia, ſive antiquo, ſive novo, patris heres eſſe debeat, nec feudum dumtaxat retinere; conſtat exſolvere aes alienum ab anteceſſore contractum obligari, aliiſque oneribus ſatisfacere; non modo quatenus hereditatis vires ferunt, ſed iis deficientibus, ex feudi reditu, ſive debitum, aut onus ratione feudi, ſive hereditatis fuerit, Piſtor. lib. II. q. 2. n. 39., Struv. S. j. f. cap. XIV. A. 30. n. 2. conf. Joan. Bapt. a Coſta de Rata q. 23., Rothius in Pandect. feud. cap. XXI. q. 2. Sed an, peracto inventario, filius ultra vires hereditatis non teneatur? Cauſſa inventarii eſt, ne heres plus oneretur, quam hereditas, cui ſuccedit, exhibeat. Communis ſchola docet, inventario filium ultra vires hereditatis non obligari. Verum Piſtor. loc. cit. n. 44., Struv. loc. cit. n. 3. Vultejus de feud. lib. I. cap. IX. n. 240. rectius impugnant. Feudiſta enim in d. II. f. 45. dum ſtatuit filium neceſſario debere eſſe heredem patri, intelligit, etiamſi hereditas ſit damnoſa, & debitum ex feudo perſolvat. In eo tamen filio inventarium prodeſt, ne ultra vires feudi, & hereditatis teneatur, quod beneficium d. II. f. 45. filio non denegavit. Quare etſi exigua ſint allodia, tamen ex feudo, (hoc eſt ex fructibus feudi, non diſtractione) debita ſolvere debet, Struv. loc. cit. Sambec. part IX. n. 169., Curt. jun. I. q. d. n. 19.

Saepe autem filius ob patris debita non tenetur; & [1] ſi conſenſu agnatorum filius de feudo patris tanquam novo inveſtiatur d. II. f. 44., & ſi ſine filiis decedat, feudum ad Dominum redit, agnatis excluſis, quia feudum novum eſt, non antiquum, Gloſ. in d. II. f. 45. v. de novo; niſi aliter ſibi conſulant. [2] Si pater in teſtamento praeterens, &c. filius praeteritioni acquievit, modo pater, aut filius in fraudem creditorum id non faciat, quia renunciatio dolo alteri non nocet. [3] ſi pater filium exheredavit, quum ab hereditate excluſus, hereditatis onera non ſubſtineat, aut ſi legitimam tantum ei reliquit, Piſtor. loc. cit. n. 40., Sambec. loc. cit. n. 165. & 166. [4] ſi filius, vivo patre, ejus hereditati juramento renunciavit, nec a feudo etiam excluſus cenſetur, quia nomine hereditatis feuda non continentur, Roſent. cap. VII. 22. n. 6.; ſi dolo in creditorum damnum non renunciat. conf. Struv. loc. cit. cujus beneficio ſuccedit Feudiſta in d. II. f. 45.

Haec

Hæc succedendi differentia, & defuncti patris debita solvendi obligatio, tum filio est, quoties feudum ex pacto, & providentia sive antiquum, sive novum fuerit. Sed si est feudum hereditarium, tunc, tam filius, quam agnatus defuncti heres esse tenetur, ejusque factum observare; vel utrumque repudiare, vel utrumque retinere. Nam natura hereditarii feudi est, ut rebus hereditariis accenseatur, in fideicommisso universali, & hereditatis petitione veniat, filio in legitimam imputari valeat, in eo, jure hereditario succedat, ob vim vocis *heres* investituræ adjectæ, Pistor. *lib.* 11. *q.* 1. *n.* 62. 63. 64. 65. *& q.* 2. *n.* 32. *& seqq.* Thom. de Marin. *de Gener. feud. tit. V. n.* 34. *& seqq.*, Andr. *in* 11. *f.* 45., Cur. *par.* 1. *q.* 7. *n.* 19. *&* 20. In reliquis, quibus non hereditaria successio, sed magis persona Domini respicitur, suam retinet indolem, proinde sine consensu senioris alienari non possit, iisdem ex caussis amittitur, quibus & alia feuda; ut ad mares tantum transeat; & quæ sunt, Camer. *in* 11. *f.* 55. §. *præterea ducatus p.* 95.

De hereditario feudo vasallus, uti lubet, disponit, ejusque successor ratum habere cogitur, *l.* 14. *C. de R. V.*, nec eis inventarii confectio prodest, quominus oneribus super feudo legitime contractis satisfaciat, nec alienatum revocare poterit, Thom. de Marin. *de Gener. feudor. tit. V. n.* 39. *& tit.* 111. *n.* 18.; Andr. *in* 11. *f.* 45., nec factum defuncti spernere potest, sed de feudi reditu creditoribus Defuncti persolvet, quia feudum hereditarium est idem cum reliquis bonis hereditariis, Pistor. *lib.* 11. *q.* 14. *n.* 43. Si enim pater in vita feudum alienavit consensu Domini consensu suppositi, inventarium nihil prodest; aut sine assensu, & onus non valet, tamen filius, & agnatus actione personali tenentur, & de fructibus feudi solvere debent, Camer. *in* 11. *f.* 45. *n.* 84. *& 97.* Sicut agnatus in feudo ex pacto & providentia antiquo, cui hereditatem defuncti licet repudiare, & feudum retinere, de fructibus adhuc pendentibus, qui lucro vasalli tempore mortis cesserant, hereditaria onera solvere obligatus 11. *f.* 45., Struv. *S. j. F. cap. XIK. f.* 2.

In feudo igitur hereditario filius, vel agnatus succedens, oppignorationes, hypothecas, consensu Domini legitime constitutas, aut alia debita Regionum consuetudine recepta, puta, nitam, militiam, dotalitium, paragium exsolvere tenetur; nonnulla ex ipso feudi corpore, imo & ejusdem distractione, ut hypotheca; alia ex fructibus, ut infra docebimus, Struv. *loc. cit.* etiamsi de allodialibus successor inventarium confecerit, Pistor. *lib.* 11. *q.* 14. *n.* 43.

TITULUS V.

De cæteris vasalli obligationibus.

§. XI.

Breve testatum, fines, actio famosa.

NEque id tantum; Vasallus quoque ad alias tenetur obligationes; & primo: licet nemo alteri titulum suæ possessionis edere cogatur, *l.* 11. *C. de petit. hered.*, *l.* 2. *& 23. C. de probat.*, attamen vasallus Domino feudi titulum suæ possessionis exhibere tenetur, sive vasallus reus, sive actor fuerit, Ande. *in* 11. *f.* 55. §. *illud n.* 64., Sorad. *par. VI. c.* 6. *n.* 110., *& par. X. sect.* 17. *n.* 26., Pistor. *lib.* 11. *q.* 46. *n.* 2., Capyc. *in invest.* §. *feudatariorum edi-tiones*, quia vasallus in re aliena titulum possidet, & statim ac feudum se habere contendit, simul fatetur rem illam senioris esse, cui præsumta adsistit probatio, quam si vasallus excipere velit, quia rei alienæ innititur, probare oportet. Dum editio instrumenti, seu investituræ a vasallo faciunda, lucrum senioris, negotiumque respicit, & vasallo utilitatem Domini promovere incumbit. Rolent. *cap. VIII.* 33. *n.* 10. *& seqq.* (a).

Exci-

(a) Præcipue unus ostendendi titulum incumbit ei, qui plerumque a feudi successione repellitur, cum jus aut feudale, aut gentium, hoc est ratio universalis incapacem declaret, ut *Hæreticus*, *Apostata*, *deportatus*, *bannitus imperii*, *usurarius manifestus*, *damnatus de publico crimine*, *videlicet*, *læsæ Majestatis*, *infamis*, *fœmina*, *clericus*, *spurius*, *incestuosus*, *naturalis*, Hujusmodi personæ in feudum irrepsisse præsumuntur, aut contra senioris voluntatem detinere, Frider. Bartholdus *dissert. de Necessitate edendi titulum an.* 1588. *cap. III. n.* 39. *& seqq.* Nec tantum vasallus titulum edere tenetur; sed & *clericus*, cui beneficii quæstio mota est, cum beneficium ecclesiasticum adquiri non possit, nisi legitima collatio intervenisat. Beneficiarius, non Dominus, sed procurator est, & procurator mandatum exhibere cogitur, aliter beneficiarium intrusum dicimus *cap.* 3. *de offic. ordinar. in VI.*, *l.* 13. *D. depositi*, *Emphyteuta Ecclesiasticus*, cum bona Ecclesiæ in emphyteusim dari non possint, ex *extravag. ambitiosæ*, nisi solemnia adhibeat. *Regalium possessor*: Regalia enim a Principe dependent, qui in iis

jus

Excipitur (1) id verum esse, si vasallus feudum possideas, illud senioris esse fatetur: si enim negat, & rem, quam possidet, allodium suum contendat, tunc seniori rei feudalitatem probandi onus incumbit, quia quælibet res allodialis, non feudalis, seu alteri subjecta præsumitur. Quæ libertas jus gentium auctorem agnoscit, quo omnis res nemini servit. Et in adversarium onus servitutem probandi transmittit. Si autem vasallus sciens negavit, mendacii convictus, feudo cadit, 11. *f.* 26. §. *vasallus*. Nam ignorans juri suo non renunciat; atque a toto si totum, a parte si partem negavit, cadere meretur.

(2) Si vasallus XXX. an. Feudum possedit, domino servitia præstitit, & ut verus vasallus se exhibuit, quia hoc temporis spatio præsumitur acquirit investituram 11. *f.* 26. §. *si quis per triginta*, nec feudi præscriptione titulus requiritur, dixi *in lib.* 11. *tit. XV.* §. 41., Rothius *in Pandect. feud. cap. XI. q.* 23., Anda. *loc. cit. n.* 65., secus declaratio §. *si quis per triginta* frustra esset, si tanto temporis lapsu investituram, seu titulum edere cogeretur. (3) si annis supra hominum memoriam Senioris rem uti feudalem possedit, quia tam diuturna possessio tituli tam legitime constituti vicem & vim obtinet, atque subingreditur, & pro privilegio censenda *cap.* 26. *de V. S.* Aut vasallus a vasallo, vel Dominus ab alio Domino petit, quam ratio, quare vasallus Domino titulum possessionis edere tenetur, cesset. Vel si præscriptio intercessit, cujus initii memoriam ignoramus, quæ vim privilegii substinet *cap.* 26. *de V. S.* conf. Bertholdus *loc. cit. cap. IV. n.* 55. *& cap. VI. n.* 5.

Præterea vasallus, fines sui feudi Domino ostendere compellitur, Zasi. *par. VII. n.* 29. jac. a S. Georg. §. *dictique vasall. il.* 2. *n.* 15., Scrad. *par. VI. cap.* 6. *n.* 113. quorum ratio est, secus omnia vasalli bona feudalia esse præsumuntur. Non placet: quia nunquam res præsumitur feudalis, nisi probetur, & libertas, seu immunitas tam in personis, quam rebus prius orta est, quam servitus. Vera ratio est, ut Domino exploratum esset, ad quam servitii speciem, magnitudinem, & qualitatem vasallus teneatur. Et, si vasallus feloniam committat, Dominus scire possit, quænam bona ab eo repetere valeat. Quod si scienter negat, in feloniam incidit, & in violatæ fidei crimen incurrit, feudoque cadit 11. *f.* 34. §. *fin.* Pacian. *de Probat. lib.* 1. *c.* 61. *n.* 27. Kloc. *de erar. lib.* 11. *c.* 38.

jus quæsitum, fundatum, & præ ceteris pingius vindicat. Si privatus ea possidet, edere titulum debet, secus privari potest, Bertholdus *loc. cit, cap. III. n.* 16., *& cap. V. n.* 5., ubi alios casus enucleat.

TITULUS V.

De reteris vasalli obligationibus.

§. XI.

Breve testatum, fines, actio famosa.

NEque id tantum; Vasallus quoque ad alias tenetur obligationes; & primo: licet nemo alteri titulum suæ possessionis edere cogatur, *l.* 11. *C. de petit. hered.*, *l.* 2. *&* 23. *C. de probat.*, attamen vasallus Domino feudi titulum suæ possessionis exhibere tenetur, sive vasallus reus, sive actor fuerit, Andr. *in* 11. *f.* 55. §. *illud n.* 64., Sorad. *par. VI. c.* 6. *n.* 110., *& par. X. sect.* 17. *n.* 26., Pistor. *lib.* 11. *q.* 46. *n.* 2., Capyc. *in invest.* §. *feudatariorum editiones*, quia vasallus in re aliena titulum possidet, & statim ac feudum se habere contendit, simul fatetur rem illam senioris esse, cui præsumta adsistit probatio, quam si vasallus excipere velit, quia rei alienæ innititur, probare oportet. Dum editio instrumenti, seu investituræ a vasallo faciunda, lucrum senioris, negotiumque respicit, & vasallo utilitatem Domini promovere incumbit. Rolent. *cap. VIII.* 33. *n.* 10. *& seqq.* (a).

Exci-

(a) Præcipue onus ostendendi titulum incumbit ei, qui plerumque a feudi successione repellitur, cum jus aut feudale, aut gentium, hoc est ratio universalis incapacem declaret, ut *Hæreticus*, *Apostata*, *deportatus*, *bannitus imperii*, *usurarius manifestus*, *damnatus de publico crimine*, *videlicet*, *læsæ Majestatis*, *infamis*, *fœmina*, *clericus*, *spurius*, *incestuosus*, *naturalis*. Hujusmodi personæ in feudum irrepsisse præsumuntur, aut contra senioris voluntatem detinere, Frider. Bartholdus *dissert. de Necessitate edendi titulum an.* 1588. *cap. IV. n.* 39. *& seqq.* Nec tantum vasallus titulum edere tenetur; sed & *clericus*, cui beneficii quæstio mota est, cum beneficium ecclesiasticum adquiri non possit, nisi legitima collatio intervenîat. Beneficiarius, non Dominus, sed procurator est, & procurator mandatum exhibere cogitur, aliter beneficiarium intrusum dicimus *cap.* 3. *de offic. ordinar. in VI.*, *l.* 13. *D. depositi*. *Emphyteuta Ecclesiasticus*, cum bona Ecclesiæ in emphyteusim dari non possint, ex *extravag. ambitiosæ*, nisi solemnia adhibeat. *Regalium possessor*; Regalia enim a Principe dependent, qui in iis

jus

Excipitur (1) id verum esse, si vasallus feudum possidens, illud senioris esse fatetur: si enim negat, & rem, quam possidet, allodium suum contendat, tunc seniori rei feudalitatem probandi onus incumbit, quia quælibet res allodialis, non feudalis, seu alteri subjecta præsumitur. Quæ libertas jus gentium auctorem agnoscit, quo omnis res nemini servit. Et in adversarium onus servitutem probandi transmittit. Si autem vasallus sciens negavit, mendacii convictus, feudo cadit, 11. *f.* 26. §. *vasallus*. Nam ignorans juri suo non renunciat; atque a toto si totum, a parte si partem negavit, cadere meretur.

(2) Si vasallus XXX. an. Feudum possedit, domino servitia præstitit, & ut verus vasallus se exhibuit, quia hoc temporis spatio præsumitur acquirit investituram 11. *f.* 26. §. *si quis per triginta*, nec feudi præscriptione titulus requiritur, dixi *in lib.* II. *tit. XV.* §. 41., Rothius *in Pandect. feud. cap. XI. q.* 23., Anda. *loc. cit. n.* 65., secus declaratio §. *si quis per triginta* frustra esset, si tanto temporis lapsu investituram, seu titulum edere cogeretur. (3) si annis supra hominum memoriam Senioris rem uti feudalem possedit, quia tam diuturna possessio tituli tam legitime constituti vicem & vim obtinet, atque subingreditur, & pro privilegio censenda *cap.* 26. *de V. S.* Aut vasallus a vasallo, vel Dominus ab alio Domino petit, quam ratio, quare vasallus Domino titulum possessionis edere tenetur, cessat. Vel si præscriptio intercessit, cujus initii memoriam ignoramus, quæ vim privilegii substinet *cap.* 26. *de V. S.* conf. Bertholdus *loc. cit. cap. IV. n.* 55. *& cap. VI. n.* 5.

Præterea vasallus, fines sui feudi Domino ostendere compellitur, Zasi. *par. VII. n.* 29. jic. a S. Georg. §. *dictique vasall. il.* 2. *n.* 15., Scrad. *par. VI. cap.* 6. *n.* 113. quorum ratio est, secus omnia vasalli bona feudalia esse præsumuntur. Non placet: quia nunquam res præsumitur feudalis, nisi probetur, & libertas, seu immunitas tam in personis, quam rebus prius orta est, quam servitus. Vera ratio est, ut Domino exploratum esset, ad quam servitii speciem, magnitudinem, & qualitatem vasallus teneatur. Et, si vasallus feloniam committat, Dominus scire possit, quænam bona ab eo repetere valeat. Quod si scienter negat, in feloniam incidit, & in violatæ fidei crimen incurrit, feudoque cadit 11. *f.* 34. §. *fin.* Pacian. *de Probat. lib.* 1. *c.* 61. *n.* 27. Cloc. *de erar. lib.* 11. *c.* 38.

jus quæsitum, fundatum, & præ ceteris pingius vindicat. Si privatus ea possidet, edere titulum debet, secus privari potest, Bartholdus *loc. cit, cap. III. n.* 16., *& cap. V. n.* 5., ubi alios casus enucleat.

Digitized by Google

n. 1. *& ſeqq.* Ab hac tamen obligatione immunis, ſi juſte ignorat, videlicet, ſi in jus alterius recens ſucceſſit *l.* 42. *D. de R. J.*, & prolixe P. Greg. *de Conceſ. feudor. par.* 1. *q.* 12.

Obligatur quoque vaſallus contra Dominum, non actionem famoſam, nec contra eum teſtari, nec interdictum *undevi* proponere, ſed ſimplici in factum actione convenire. Quæ obligatio eſt negativa, & reverentiæ ſeniori debitæ innititur. Sed an in jus vocare? non videtur mihi concedi, exemplo liberti, de quo Alexand. in *l.* 4. *C. de obſequiis Patrono*, Victorino liberto reſcripſit, *non ſi qua tibi pecunia debebatur, ſive de rebus adverſus patronum diſceptatio fuerat: non protinus ad litigandum currere debueras: maxime autem ſi hoc facere auderes, ſine atrocitate certe verborum æquitatem petitionis tuæ commendare judici potuiſti, omni honore patrono debito reſervato*, Sonsbec. *par. XI. n.* 29., Zaſi. *par. VII. n.* 45. 46., Welenbec. *cap. X. n.* 15. *&* 16., dicam *lib. IV.*

§. XII.

Alimenta, hoſpitium, arbitrium, ſervitus, dos.

JUre Longobardo cautum non eſt, vaſallum ſeniori egeno alimenta præſtare; verum æquitas ſic ſtatuere ſuadet: ſi Dominus egenus evaſit, vel quia omnia ejus bona, aut maximam partem in feudum vaſallo conceſſit, vel conſuetudo jubeat; aut in inveſtitura pactum fuerit; tunc ad alimenta tenetur. Sicut liberto onus eſt patronum alendi; ſecus in ſervitutem redigi poteſt *l.* 6. §. 1. *D. de agnoſc. & alen. lib.*, & viciſſim, Ardizo *in Sum. c.* 61., Alver. *in* 11. *f.* 26. §. *licet n.* 6., ibi Andr. *n.* 4., Roſent. *cap. VIII.* 27., Zaſi *par. VII. n.* 44.

Hoſpitium; videlicet, ſi Dominus per feudale ſui vaſalli prædium tranſeat, eum excipere hoſpitio, & victualia juſto pretio præbere cogatur, Afflict. *dec.* 265. *n. ult.*, Scrader. *par. VI. c.* 6. *nu.* 123. *Arbitrium*, hoc eſt vaſallus feudi conditionem non deteriorem, ſed meliorem facere debet, non autem arbitratu ſuo in beneficio verſari 11. *f.* 8. §. 1. ſicut fructuarius, omnem curam, quam in re ſua cuſtodienda diligens paterfamilias adhibet, in re fructuaria exhibere tenetur, ne ejus culpa, negligentia, & dolo res pereat, deteriorve evadat *l.* 65. *D. de uſufruct.* proinde arbores fructiferas incidere, vel ſubditos male agere nequit. Præſertim ſi in iis feudi utilitas, & fructus conſiſtat, quia vaſallus tenetur, ſicut ejus heres, aperto feudo, illud reſtituere, ut accepit, nempe ædificia, fructus, arbores,

Digitized by Google

res, arundineta, lapicidinas, agros, instrumenta, silvas, nemora, bona redititia, hoc est, quæ vasallo quotannis censum præstant, Afflict. *decis.* 129,, sic de conductore respondet Cajus *in l.* 25. §. 3. *D. locat.*: *Conductorem omnia secundum legem conductionis facere debet: & ante omnia colonus curare debet, ut opera rustica suo quoque tempore faciat, ne intempestiva cultura deteriorem fundum faceret: præterea villarum curam agere debet, ut eas incorruptas habeat:* Cato *de re rustic. cap.* 5. *opera omnia mature confictas, face. Nam res rustica sic est, si unam rem sero feceris, omnia opera sero facies*, prolixe Columel. *de re rust. lib. XI. c.* 1. *in fin.*, Sonsbec. *par. XI. n.* 51., Zasi. *par. VII. n.* 51.. Rosent. *cap. X.* 33. *n.* 3. secus feudo cadit, *ut lib. IV. dicam.*

Servitus: quæ dupliciter perpendi potest, nempe vasallum non posse servitutem clientelari prædio imponere, qua seniori noceat; sed tamdiu manebit, donec vasallus possideat; devoluto autem ad seniorem feudo, ipsa perit, 11. *f.* 8. §. *quid ergo*, & *lib. IV.* dicam. Aut Dominus in infeudatione incrementa alluvione facta sibi reservavit, aut feudum instar agri limitati concessit, hoc est ad certa tantum jugera dedit, puta XX. XXX., tunc si ad illud incrementum expresse, vel tacite reservatum, Dominus ire non potest, nisi per sui vasalli feudum, vasallus sine pretio servitutem præstare obligatur, quia senior, si incremento voluntate sua, aut legis providentia sibi reservato uti nequit, nisi servitus hæc concedatur, incrementum inutile ei foret, igitur data præsumitur, sic Neratius *in l.* 2. §. 2. *D. si serv. vind.* scribit, *si medii loci ususfructus legetur, iter quoque sequi, per ea scilicet loca fundi, per quæ qui usumfructum cessit, constitueret, quatenus est ad fruendum necessarium.* Andr. *in* 1. *f.* 4. *n.* 14., ibi Alver. §. *si quis de manso n.* 6.

Dos: nempe si senior velit suam filiam nubere, & dotem inopa constituere nequit, vasallus, sicut cliens apud Romanos, contribuere cogitur, licet jure id cautum non fuerit. Sed si vasallus a suis subditis hoc casu adjutorium petere potest, cur Domino negandum? Zasi. *par. VII. n.* 47. & 48., Pison. *in prælud. feud.* §. *servitia incerta*, & consuetudine receptum legitur.

TITU.

TITULUS VI.

De obligationibus Domini.

§. XIII.

Fidelitas, evictio, investitura, auxilium.

EX universa feudalis contractus natura duo proficiscuntur, fides vasalli erga Dominum, & fides Domini erga suum vasallum: hinc Feudista *in* 11. *f.* 6. postquam egit de fidelitate erga Dominum, subdit *Dominus quoque in his omnibus vicem fideli suo reddere debet*, idcirco Dominus vasallo *conjux*, & *amicus* dicitur 11. *f.* 58., ambo ad paria tenentur 11. *f.* 26. §. *Dominus*, 11. *f.* 47. 11. *f.* 52. *in fin.* Atque hæc reciproca fides sex partibus componitur, nempe *tutum*, *honestum*, *incolume*, *utile*, *facile*, *possibile*, 11. *f.* 6. Sicut olim Romæ mutua erat inter patronos, & clientes vicissitudo, Alicarnas. *lib.* 11., Gudelin. *de feud. par. IV. c.* 8. *n.* 1., Christoph. Frider. Mullerus *disser. de obligatione Domini erga vassallum an.* 1750. §. 1. & 2.

Ex qua mutua fide (1) fluit, quod sicut vasallus in his, quæ ex indole, & legis feudalis dispositione procedunt, Domino suo obligatur; ita vicissim Dominus suo vasallo. Nam in aliis præter feudale jus vasallus tenetur Domino, sed non vicissim, ut sunt ea, quæ ex speciali investituræ pacto descendunt, quia contractus de persona ad personam extendi sine caussa non debet, (2) quæ de re vasallus militarem operam Domino præstare tenetur, sed non Dominus vasallo, quia hæc servitii species ex investituræ pacto expresse, aut tacite concepto profluit. (3) Sicut vasallus feudum, inconsulto Domino, alienare nequit, ita nec Dominus suum directum Dominium quolibet titulo alienare, quia tam Domini interest vasallum non mutari, quam vasalli, diverso Domino non subiici, 11. *f.* 9. §. *ul.* 11. *f.* 55., 11. *f.* 34. §. *ex eadem*, ibi Hotoman., atque ego dicam.

Evictio: feudum in re propria constituitur; si vero Dominus, vasallo inscio, rem alienam infeudat, de evictione tenetur, cujus nomine in eum vasallo actio competit, *ut aliud feudum ejusdem bonitatis, seu quantitatis ei præstetur*, 11. *f.* 8. nec obstat, si feudum donatio sit, & donator de evictione non teneatur *l.* 18. §. *uls. D. de donat.*, quia non est mera donatio, sed ob causam, videli-

Digitized by Google

delicet, fidelitatis, atque obsequii, Struv. *s. j. f. cap. VI. 9. n. 2.*, Gudelin. *de feud. par. II. c. 9. n. 8.*, Alver. *ad d. II. f. 8. n. 4.* In hac proponenda actione, sicut in ceteris contractibus, litis denunciatio Seniori faciunda est, vasallique ignorantia probanda *II. f. 25.*, nec tamen interest, an Dominus sciverit, an ignoraverit, *II. f. 8.*, quia Dominus scire debuit: lex enim fallaciis vendentium occurrit, & emptoribus succurrit *l. 1. §. 2. D. de ædil. edit.* Si autem vasallus sciens prudens de re aliena infeudatus, evictione non gaudet, quia scienti, & volenti nec injuria, nec dolus infertur *l. 24. C. de Transact.*, dicam *lib. IV.*

Investitura: Postquam vasallus investituram accepit, & fidelitatis juramentum præstitit, Dominus in vacuam feudi possessionem mittere debet *II. f. 7. II. f. 26. §. si facta (a)*. Sicut enim vasallus propter feudum ad servitia obligatur, ita Dominus investitura tradendi feudum se obligat, nec ab eo servitia exigere valet, nisi feudi possessionem tradat, Rothius *in Pandect. feud. cap. XVIII. p. 3.*, Gudelin. *par. II. c. 9. n. 1.* Hæc feudi possessio vacua fuerit oportet, hoc est a quolibet possessore vacua, atque si Dominus in mora sit, vasallo cogitur omnem præstare utilitatem *II. f. 7. §. ult.*, exemplo venditionis *l. 21. §. 3. D. de Actio. emp.*, nec interesse præstando, ab hac tradendi obligatione liberatur *II. f. 26. §. si facta*, Alver. *ad d. §. ult.*

Auxilium: si Dominus castrum, territorium, vel jus aliquod vasallo suo infeudavit, & hostes aggredi cogantur, Dominus ipse tueri tenetur, *II. f. 6.* ibi *totum*, ut mutua adjuvandi conditio inter eos succedat, Muller. *loc. cit.* §. 4. Aut si vasallus justum bellum gerat. Quid si injustum? Equidem si evidenter injustum sit, Dominus non obligatur, & proinde in injusto prælio feudista in *II. f. 28.* perperam libertatem Domino concedit, an adjuvare, vel non, velit; nec distinguere opus est, an bellum offensivum, an defensivum sit, quia ubi offensio justa est, defensio injusta vocatur.

§. XIV.

(a) Quod est realem investituram exequi, sicut Simo a Chremete apud Terent. *in Andr. Actu V. Scena I.* postulat, *ut beneficium verbis initum dudum, nunc re comprobes.*

Digitized by Google

§. XIV.

Juſtitia, egeſtas, accuſatio, injuria, fines.

PRæterea Dominus vaſallo *juſtitiam adminiſtrare tenetur* II. *f.* 6. ibi, *ne ſit ei damno de ſua juſtitia*, ſicut etiam vaſallus ei juſtitiam facere obligatur, Zaſi. *par. X. n.* 87. Proinde ſi oritur cauſſa coram Domino, & paribus Curiæ diſceptanda, æquis auribus vaſallo jus dicendum, atque ſi Dominus juſtitiam adminiſtrare recuſat, a ſuperiore cogendus eſt, ut cognoſcat, II. *f.* 22. *cap. XIII. de Offic. Ordin.* Aut agi poteſt, ut Dominus jure proprietatis in feudo privetur II. *f.* 47. II. *f.* 24. §. *item qui Domino*, cum ſenior, & vaſallus ad paria judicentur. Aut conveniat Dominum coram judice ordinario, quia actor tunc ſequi debet forum rei. Aut ſi omnino Dominus non agnoſcat, & ter admonitus juſtitiam facere negligat, cum vaſallo deprædare permittitur II. *f.* 28. quod *barbarum* male ibi Hotom. vocat: nam læſus ſi aliter juſtitiam conſequi non poteſt, contra lædentem jure bellum indicit, Scrad. *par. X. ſect. IV. n.* 204. Muller. *loc. cit.* §. 6. Huc D. Hieronym. *Epiſt. ad Nepotian. Scitum illud eſt Oratoris Domitii: cur ego te, inquit, habeam ut Principem, cum tu me non habeas Senatorem.* Dicam ad II. *f.* 22.

Egeſtas; videlicet, Dominus vaſallo egeno ſuccurrere debet arg. II. *f.* 6., cum ipſe vaſallo ſuo conjux dicatur II. *f.* 58., ſicut de vaſallo erga Dominum ſupra dictum eſt, Roſent. *cap. VIII. 9. in Gloſſa*. *Accuſatio*, quia Dominus vaſallum in cauſſa criminali non debet accuſare, vel teſtimonium dicere, vel advocare, aut pro accuſatore fidejubere, ut vaſallus & Dominus pari fidelitatis nexu devincti videri poſſint. Aliter ſenſiendum, ſi crimen, quod vaſallus, aut Dominus commiſit, Reipublicæ evertit tranquillitatem, ſive jura ejus, ſive Dei lædat, Sonsbec. *par. X. n.* 16., Mullerus *loc. cit.* §. 7. Tunc ſalus Populi, & jus Dei ſuprema lex eſt, cui omnis ſalus, obſequium, lex, & honor ſubmitti debet. Verum non placet Scraderus *in par. VI. c.* 7. *n.* 15., dum aſſeruit, Domino contra vaſallum famoſam licere intentare actionem; nam fidelis, & Senioris inventio pari jure vivit, cui inhærendum, donec a feudi ſubſtantia, natura, pacto, moribus, aut ſcripta lege fuerit derogatum. Errat quoque Scrad. *par. VI. cap.* 7. *n.* 16., dum voluit Dominum a vaſallo juramentum calumniæ exigere poſſe, cui adverſatur textus *in* II. *f.* 33. §. *in quibus*, ibi, *Vaſallus*

ſacra-

juramentum calumniæ a Domino non exigat, quod etiam a parte Domini intelligendum est. In lite itaque inter Dominum, & vasallum disceptanda, calumniæ jusjurandum filere debet.

Injuria; neutpe Dominus pudicitiam uxoris, vel filiæ, vel sororis vasalli violare, aut attentare nequit *arg.* 1. *f.* 5., etiamsi earum voluntas accedat, quia etiam vasallo injuria infertur, cum de juribus non suis disponant, quibus viri, patris, fratrisque honor læditur, etiamsi vasalli concubina fuerit, Afflict. *dec.* 265. *n.* 58., Scrad. *par. VI. c.* 7. *n.* 6. Aut si honores, munia, atque officia domi, militiæque adquisita laboribus, & meritis vasallo debita consequi impediat; aut si calumniis, doloque malo apud Principem ejus famam detrectet, 11. *f.* 6. Aut demum, quod erat possibile, reddat impossibile, ut sex capita *in d.* 11. *f.* 6. etiam Dominus erga vasallum servare teneatur.

Fines; sicut vasallus rerum feudalium fines, & qualitates Domino ostendere tenetur; ita Dominus ejusdem feudi limites, si aliter cognosci non possunt, suo vasso indicare obligatur, Christinæus *to. VI. decis.* 89., Rosent. *cap. VIII.* 93. *n.* 1. & 2., sicut & instrumenta, quæ pacta, servitia, conditiones, vel probationes continent, quia publica monumenta cuivis interesse, hoc est lucrum, aut damnum speranti, si petat, edenda sunt *l.* 2. *C. de Eden.* Nec modo vasallo, sed & ejus agnatis lucrum, vel damnum expectantibus exhibere cogitur. Consuetudo enim est in Europa recepta, ut in feudali concessione duo conficiantur instrumenta, unum penes Seniorem, vel in publico archivo, alterum penes vassallum conservetur. In his vasallus rem feudalem a seniore accepisse fatetur, investituræ pacta, modus succedendi, conditio successorum, servitia, & modus serviendi, & demum fines describi, atque designari solent. Si vasallus hæc amiserit, ejusve agnatus successor, Dominus tunc exhibere compellendus, ut senior, & vasallus pari jure judicentur, Rosent. *loc. cit.*

Hujusmodi jus Longobardum, atque Interpretum doctrina obligationum species in Domino admittit: ad plura tamen tenetur vasallus, a quibus senior immunis est. Nam regula juris docet; ut quoties diversa inter Domini obligationem & vasalli ratio assignari potest, toties mutuis, paribusque juribus non judicantur. Hinc (1) vasallus jurat fidelitatem Seniori, non vicissim, licet etiam Senior fidem non tam astrictam vasallo præstare teneatur 11. *f.* 6. *ibi Andr.* 5., (2) Dominus in vasallo jurisdictionem exercet ex moribus clientelæ natam, non autem vassus in Domino, 11. *f.* 53. §. *præterea inter duos*, (3) sicut vasallus, si graviter delinquit, feudum amittit, ita & Dominus proprietate privatur 11. *f.*

26. §. *Domino*, 11. *f.* 47., sed si Dominus est supremus Princeps, in eum delinquens a feudi dominio non cadit, (4) aut si Ecclesiæ Prælatus in vasallum delinquit, attamen Ecclesia feudo non spoliatur, Andr. *in* 11. *f.* 40. *n.* 22. *& seqq.*, Afflict. *decis.* 265. *n.* 24., ubi nonnullas addit exceptiones.

TITULUS VII.

De expectativa feudali.

§. XV.

Origo, ratio, indoles, & formula expectativæ.

EX voluntate, Dominus aliam sibi obligationem adoptat, quæ ex beneficii expectatione oritur: dum investituras de suis rebus, & juribus aliis exhibere accelerando se obstringit, etiam si sua jura alius sub utili dominio lege fidei nexo possideat. Quæ concessio *expectatio*, sive *expectativa*, vocatur, quæ vox ante seculum XIV. non occurrit, si Ludovico Boehmero *dissert. de nat. & indole expectat. feud. cap.* 1. §. 10., fides præstatur, & infra dicam.

Expectativa definitur *promissio de feudo sub conditione, si sibi apertum fuerit, alteri conferendo*. Aut, ut definit Strykius *to. IV. disput.* 16. *n.* 6. *jus succedendi in feudum a Domino sub conditione aperturæ i. e. si ad ipsum redierit, etiam sine consensu vasalli possidentis, constitutum*. Quod hoc jus Domino competat, fundetur. Conventio enim illa de re, conditione apposita, dum ejus præstatio penes nos est, & qua alterius jus non læditur, justa censetur; quia de re sua disponit. Nec Domini voluntas est, dominium utile, donec vasallus possidet, expectativario concedendi, sed in eventum extincti juris omnium, qui illud in feudo habere possunt, & quo res jure pleno, ideist Dominio & usufructu simul consolidato, collatuum clientelari nexu promittit; & proinde de suo, non de alieno disponere videtur, neque hac concessione jura vasalli adhuc possidentis lædit. Confertur in tempus, quo omne jus vasalli extinctum, vel felonia, vel morte conticescit, & feudum ad Dominum redit, sicut rei nostræ stipulatio non valet, sed si sub conditione fiat, dum nostra esse desierit, tunc valet, cum præstari possit *l.* 31. *l.* 98. *D. de V. O.* Omni itaque justitiæ laudi expectativa innititur, 11. *f.* 26. §. 2. 1. *f.* 3. 11. *f.* 95., Struv. *S. J. f. cap. VII. A.* 4., Boehmer. *de natur. & indole expectat. c.* 1. *D. cit.* §. 7. & 8.

Ex his necessaria expectativæ conditio apparet, ut non pure, sed sub conditione celebrari, nempe si feudum ad Dominum redeat;

Digitized by Google

deat; & nec refert, ſi certum feudum, aut certum vaſallum exprimat, an conditio generalis fuerit, ſi mihi feudum aperiatur; an ſpecialis, ſi vaſallus ſine feudali ſucceſſore decedat, vel Feloniam committat 1. *f.* 9. 11. *f.* 35., 11. *f.* 26. §. *moribus* (*a*). Non poteſt fieri *pure*, quia vaſallus, donec in poſſeſſione eſt, ſine juſta cauſſa non expoliandus, ſed promitti oportet in caſum, quo vaſallus, ejuſque heredes feudum habere deſinant, 1. *f.* 3. 1. *f.* 9. 1. *f.* 27., 1. *f.* 22. §. *ſi quis*, Vultej. *de feud. lib.* 1. *c. V. n.* 19., Roſent. *cap. IV.* 9., Rothius *in Pandect. feud. cap. XII. q.* 25. Idque adeo verum, ut pure, vivente vaſallo, inveſtitura illegitime facta non reconvaleſcat, etſi feudum intra breve tempus aperiretur *arg. l.* 29. *D. de R. S.* Itterus *in QQ. juris feudal. cap. XII. q.* 29. Quod ſi vaſallus poſſeſſor conſentiat, tunc inveſtitura pure facta valet, quia viventis vaſalli conſenſu Dominus jus conferendi conſequitur, Itterus *loc. cit. q.* 30. & tunc potius ſimultanea inveſtitura, quam expectativa cenſetur. Quærit quis, nonne hic latitat votum captandæ mortis, atque occaſio inſidias ſtruendi conſtituitur? Equidem jus civile hujuſmodi pacta reprehendit, *l. fin. C. de pactis*; ſed jus feudale adprobat, ſicut & jus Saxonicum, & Interpretes Germani *inveſtituram de caducitate ſucceſſionis appellant*, Wiſenbac. *ad d. l. fin.*, Vultej. *lib.* 1. *de feud. c.* 7. *n.* 65., Piſtor. *lib. II. q.* 25. *n.* 1.

Feudiſtæ in ſubſtinenda juris clientelaris tutela plurimum laborant: Ego, quid ſentiam, aperiam. Hoc feudale pactum non eſt de futura viventis ſucceſſione, ſed pertinet ad defectum juris tertii, quo utile dominium cum directo conſolidatur, & aliquid licite facere, & aliquid conferre in tempus permiſſum, paria judicamus *l.* 62. *D. de hered. inſtit.* Exemplum jure civili; ſi quis uxori uſumfructum prædiorum reliquit, & pactus eſt, ut poſt mortem ejus prædia cum reditibus ad heredes ſuos tranſeant, conventio valet, & tamen in caſum mortis confertur *l.* 25. *D. de uſufr. leg.*, nec jus civile donationes, ſubſtitutiones, fideicommiſſa, & contractus in tempus mortis extenſos improbat, quia cuique datum eſt

[a] Diſputatum eſt, an expectativa ſpecialis poſterior generali anteriori deroget? Finge: Dominus concedit alicui feudum indefinite, ſcilicet quam primum apertum ſibi fuerit; poſtea alteri expectativam de hoc, vel illo ſpeciatim feudo, in caſu aperturæ concedat, an hic poſterior ſpecialis expectativarius præferatur? Negat Strykius *to. IV. diſput.* 16. *n.* 30., quia expectativario generali tam eſt jus quæſitum, & ſane irrevocabiliter, ſicut in donatione, & hypotheca quoque obtinet *l. ult. C. de revocat. donat.* Et in omni conceſſione, clauſula, *ſalvo jure imperii, & cujuſcumque* intelligitur.

de re sua, quam alteri ad vitam concesserat, post ejus mortem alteri largiri, vendere, aut quolibet modo alienare. Jura etiam liberis legitimam, & quasi dominium in bonis parentum concredant, & de captandæ mortis voto non cogitant. Verum si insidiæ struantur, non personæ succedentis, sed promissionis vitium est; *quid enim est in usu hominum bona, ac licito, unde non possit etiam pernicies irrogari*, inquit, Aug. *in c. 8. XXIII. q. 5.* Cur possum rem meam alteri ita donare, ut post ejus mortem Sabino restituat; & postea Domino de feudo ad se in eventum pertinente, quo sibi aperiatur, disponendi facultas neganda est [a]?

Præterea Dominus, si expectativam concedit, de re in tempus, quo ipsius erit, disponit, & nemini nocet; sed jure civili pactum de viventis hereditate, hoc est, quo quis cum alio pacisci tur, ut bonorum suorum heredem declaret, recte improbandum, quia dubium est, an testator pactionem in eadem perseveret voluntate usque ad

---

[a] Quod & Samuel Strykius *tom. IV. disput. XVI. n. 8. Nostrum opus erit amplius disquirere, an legibus sint consentaneæ?* (Scil. expectativæ) *Imo insignis est differentia inter hereditatem, seu alodialia bona, & feudalia, & consequenter inter pactiones de utrisque intercedentes jus enim civile probibet conventiones de rebus alienis ad se demum per mortem alterius perventuris, de quibus autem nihil proprietatis erat: in feudalibus vero non est de bonis alienis scil. vasalli, sed de re sua potius. Constat enim vasallum non habere dominium directum, quod penes Dominum feudi est, sed solummodo utile. Porro non est de futura successione: sed potius de caducitate successionis, hoc est, de re, quæ successionis jure ad nominem amplius devolvi potest, sed pleno jure ad Dominum expectativam concedentem reversa. Ibi de eo jure agitur, quod ex successione ad ipsos perventurum est. Hic vero de prædio feudali non successionis jure, sed propria sui natura ad Dominum redeunte. Quinimo cum & jure civili ab usufructu, ut post mortem ejus, cui ad vitæ tempus concessus est, ad alterum perveniat, disponi possit l. qui fructus 25. ff. de usufr. legat. l. fundi 38. eo. l. ut heredibus 30. ff. de legat. 2. Et pacisci licet de viventis hereditate, consentiente eo, de cujus hereditate quæritur, per l. fin. C. de pactis. Cur non idem de feudalibus liceat? tum, quod feudum non usufructu magnam habeat affinitatem, Valvej. de feud. lib. 1. cap. 2. n. 9., tum, quod feudum ea lege, & conditione vasallo concedatur, ut eo sine heredibus feudalibus decedente ad Dominum rursus revertatur. Consentiente igitur in hanc conditionem vasallo, nihil diversum a jure civili consuetudinibus feudalibus constitutum esse, oppido apparet.*

Digitized by Google

ad mortem, & simile hemo mutationem timens, insidias testatoris vitæ instrueret. Sed semel, expectatione concessa, cum vasallo ita investito jus quæsitum esset, Dominus orationem retexere non potest, idcirco vasallus de morte sollicitus non erit, Pistor. *lib. II. q. 25.*, Serad. *part. III. C. 2. n. 16.*, Struv. *l. J. F. cap. VII. A. S.*, Rothius *in Pandect. feud. cap. XII. q. 26.* Itterus *in qq. juris feud. cap. XII. q. 26.*

Si itaque Dominus de re sua disponit; consensu vasalli possessoris non indiget II. *f. 26. §. moribus*, quum ipsi non noceat. In Italia autem aliter Placentinis, aliter Mediolanensibus videbatur I. *f. 27.* Nam Placentini asserebant, seniorem non posse quem investire de feudo, quod suus vasallus possidet, nisi ipse possidens consentiat; Mediolanenses, & Cremonenses negabant, modo possessori non præjudicet. Alverotus ibi componit, ut si investitura pure fiat, Placentinorum opinio vigeat; si sub conditione, Cremonensis vincet. Rothius *loc. cit. q. 28.* docet, Mediolanensium opinionem magis juri longobardo convenire II. *f. 26. §. moribus*, & quum a feudista postremo referatur, prævaluisse ostendit. Utraque conciliatio arridet; & nunquam expectatio simpliciter faciunda est, sed potius simultanea investitura, quam expectatio censetur, si prior vasallus etiam consentiat, quia, invito vasallo, in re sibi infeudata, aut ejus legitimis successoribus, alium vasallum Dominus adsciscere, atque ascensere non debet. Nam in prædio, aut jure vasallo infeudato, totum jus ipsi vasallo, & successoribus agnatis queritur, quod sine eorum consensu in alios dividi, & discindi non potest, Rothius *loc. cit. q. 30.*

Denique expectativa moribus populorum, clientelaris beneficii auctorum, nempe Germanicæ gentis apprime arridet, ut Boehm. *de feudis Eccl. cap. III. §. 16. Neque enim, quæ alias pactis successoriis ibilici solent, ita comparata sunt, ut turpitudinem quandam moralem absoluta, & in genere contineant, nec omne quod a morib. Romanis olim alienum fuit, aliarum gentium institutis præjudicat. Germani sane, quibus feudorum origo, & cultura debetur, nunquam a pactis successoriis abhorruerunt, præsertim cum usum testamentorum nullum habuerint. Pactis ubique magis inhæserunt, quam Romani, adeo ut fidem fallere gravissimum scelus esse existimaverint. In primis vero in feudis pactis successoriis opus fuit, quæ sua natura olim usque ad Conradi Salici tempora morte vasalli expirabant, nec jure successionis ordinario in liberos derivabantur. Quod si his de novo conferebantur, id ex speciali gratia Domini, vel pacto cum eo inito dependebat, ut revera successio liberorum esset pactitia, vel nova feudi ex pacto, vel gratia collatio, unde orta simultanea investitu-*

ſitura. Minus doli in Germanicæ gentis contractibus olim erat, Vadiano *de Collegiis German. lib. II.*

Formula, qua expectatio conceditur, eſt, *ſi vaſallus poſſeſſor ejuſque heredes ſint extincti*. Altera, *ſi feudum per mortem vaſalli poſſeſſoris, ejuſque heredum Domino aperiatur*. Altera, *ſi Felonia devolvatur*. Exemplum affert Boehmer. *loc. cit. §. 21. not. a*; Fridericus II. Imp. Henricum Miſniæ Marchionem anno 1246. hac formula inveſtit, *notum eſſe volumus univerſis, quod tibi poſt mortem avunculi tui Henrici, Landgravii Thuringiæ, duos Principatus ſuos, videlicet Landgraviatum Thuringiæ, & Comitiacum Palatii Saxoniæ, & omnia alia Feuda, quæ nobis, & ab imperio tenentur, cum pertinentiis jure contulimus feudali, tali tamen forma, ut ſi ſine herede filio, quod Deus avertat, ipſum præmori contigerit, noſtra conceſſio ſtabilis perſeveret*. Sæpe caſus aperturæ, ſeu devolutionis non definitur, & *expectationem indeterminatam* vocamus, in omnem videlicet caſum collatam, quo jus vaſalli, ejuſque ſucceſſorum morte, felonia, refutatione, incapacitate, aut alio quocunque modo pereat. Sed ſive determinata, ſive indeterminata fuerit expectatio, ſemper ſub conditione faciunda, *ſi feudum devolvatur*, quæ effectu carebit, niſi vel mors, vel felonia, vel refutatio re, & ſententia judicis recepta, & decreta ſit (*a*).

Ex his quattuor deſcendunt (1), quia ex expectatione vaſallo jus quæſitum eſt, pendente conditione, dominus eam revocare nequit, cum dies ceſſerit, quamvis non venerit, ut de venditione conditionali reſpondet Paul. *in l. 8. D. de peric. & commod. rei vend.*; & Stipulatione Pompon. in *l. 10. D. de V. O.* ſcribit. (2) Si expecta-

(*a*) Sæpe in Germanico imperio quæſitum eſt, an Imperator ſine Principum Electorum conſenſu expectativam concedere poſſet? Conſtanter obtinuit, Imperatorem feuda imperio aperta alteri conferri non poſſe, niſi juſta cauſſa ſuaderet, ſicut Carolus V. in Comitiis Wormatiæ an. 1521. ſtatuit. Nihilominus, jure vetere prætermiſſo, hodie Imperator expectativam concedit, quin Electorum auctoritas interveniat. Sic Carolus IV. Landgraviis Thuringiæ Dominatum Coburgum, & Smalkaldiam jam jam imperio aperiendum, contulit. Fridericus III., ejuſque filius Maximilianus I. Domui Saxonicæ expectativam in ducatum Juliaci dederunt. Maximilianus I. Duci Brunſvigenſi Henrico Seniori expectativam in nonnullas Urbes, & Caſtella Comitis Simonis de Lippe, quem ſine heredibus obiturum credebat, conceſſit, teſte Sigiſmundo Bauſſio *in diſputat. inaugurali de poteſtate Imperatoris alienandi bona imperii an. 1695. cap. 2. theſi 12.*

Digitized by Google

pecuniariis pluribus concessa sit, prior præstetur, cui primo jus quæsitum est, quo fine justa causa non privandus. (3) Si Dominus feudum alienat, in quo expectationem alicui promisit, alienatio valet, sed expectativarius rei vindicatione agere contra Dominum non potest, quia jus tantum ad rem obtinuit, atque ideo actione personali se tuebitur. (4) Existente conditione, expectativarius, potest propria auctoritate feudi possessionem, si vacans erit, ingredi; si alius in possessione reperitur, judicis officium implorare oportet, ne ad arma deveniatur, Struv. *S. J. F. cap. VII. A. 7.* Rothius *in Pandect. feud. cap. XII. q. 32. 33. & 35.*, Pistor. *lib. 11. q. 25.*

Ex hac senioris promissione, atque conditionali investitura, ipse, impleta conditione, expectativario feudum tradere obstringitur personali actione, quæ ex dicto promisso orta est, nec id quod interest præstando liberatur, modo tradendi facultatem habeat, Andr., Alver., & Glos. *ad 11. f. 26. §. si facta*, Bodin. *de Republ. lib. 1. c. 8. in fin.*, ut de donatione sanxit Justinianus *in l. 35. §. ult. C. de donat., ibi necessitatem habeat donator omnimodo, vel res, vel partem substantiæ, quam nominaverit, vel totam substantiam tradere.* Aut si vasallus, cui expectatio facta est, ante conditionis eventum decedat, ejus heredibus senior promissionem observare tenetur *1. f. 9.* ibi Andr. *n. 1.*, Pistor. *loc. cit. q. 28.*, licet legatarius ante diei, vel conditionis eventum mortuus, nihil ad heredem transmittat *l. 4. D. quand. dies leg.*, sed imo feudistis displicuit, qui aliorum contrariam opinionem rejecerunt *1. f. 9.*, ut & contractus conditionalis, pendente conditione, ad heredes transeat *§. IV. Inst. de V. O.*, sive in expectatione heredum, vel non, facta fuerit mentio *l. 13. & ult. C. de Contrab. stipul.* Imo hæc juris ad heredes transmissio etiam admittitur, si expectatio in testamento relicta sit, quia etsi conditionale legatum, ante conditionis eventum, non transmittatur, attamen dum conditio ex ipsa re venit, transmissio non impeditur. Nam feudum, vivo possessore, non aliter legari potest, quam sub conditione, *si aperiatur*, nec hic actus proprie conditionalis vocatur, sed a conditione nomen & vim assumit; & proinde, decedente vasallo, ad ejus heredes transit, Struv. *loc. cit.* Pistor. *loc. cit.* Itterus *loc. cit. q. 40. & 41.*

Nec tantum Senior obligatur, sed eo mortuo, ejus successores: verum distinguendum, omnis successor duplex est, hereditarius, & proprius. Successor hereditarius, quia successionis causam a defuncto cognoscit, atque in ejus jus universum succedit, ratum habere debet defuncti factum, sive persona privata, sive Dux, Princeps, Rex fuerit, ut sunt Reges Angliæ, Scotiæ, Hispaniæ, & in Germania, Gallia, Italia Principes, Duces, Comites, Marchio-

chiones, & Barones, qui jure hereditario defunctis succedunt; sicut alia onera, ita & expectativam observare tenentur, *cap. 6. de voto*, *cap. 1. de probat.*, Kloc. *de Contrib. cap. VIII. n. 77.*, P. Greg. *de Republic. lib. VII. c. 20. n. 47.* Aut si expectatio nomine dignitatis, videlicet ducatus, baroniæ, regni facta sit, quia dignitas nunquam moritur, sed uti jus hereditarium ad successores transit *cap. III. §. sed ad hæc de sent. & re judic. in VI.*, & recte Serv. *2. an.* quod Rex *promittit*, *videtur Respublica polliceri*, Rosent. *cap. VI. 15.*, Scrad. *par. III. c. 2. n. 21.*, Rothius *in Pandectis feud. cap. XII. q. 38.*

Successor vero proprius, seu qui jure proprio succedit, non beneficio defuncti vocatus, factum defuncti servare non obligatur, quia non succedit in jus morientis, sed in jus aliunde sibi quæsitum, a genere, stirpe, seu majoribus profectum *l. 3. D. de Interd. & releg.* Quod dupliciter contingere valet, vel electione, hoc expressa populi, pluriumve voluntate, ut sunt dominia, quæ electione vivunt, vel pacto privatorum, ut in feudis ex pacto, & providentia constituitur. In his enim adquirendi modis, si expectatio ab ultimo possessore promittitur, ejus successor observare non cogitur. Exemplum constat in Regnis Poloniæ, Bohemiæ, Hungariæ, quæ electione fruuntur. Si vero expectatio, sicut quodlibet onus bonum publicum respicit; nemini negandum, successorem teneri. Sicut successor etsi hereditarius in Regnis, & Principatibus factum defuncti non semper servare compellendus, si Reipublicæ salus periclitatur, nempe, si de magna rerum domanialium expectatione ageretur, quæ Populi commodo, & utilitati noceret Kloc. *loc. cit. n. 83.*, quia *obligatio, quæ tendit ad conservationem salutis publicæ, quæ suprema lex est, semper potentior est nemo hereditarius, & lex altioris ordinis semper facit cessare legem inferioris ordinis*, inquit, Itterus, *loc. cit. q. 38.* Expectationem Ecclesiasticam infra dabo.

TITULUS VIII.

De Clerici vasalli obligationibus.

§. XVI.

De militaribus servitiis.

COnstanter in Clericis duplex visa est militaris conditio, *naturalis*, atque *adventitia*. A prima Ecclesiæ ætate ad secu-

lum

lum usque VI. & VII. omnis armorum usus clericis interdictus est, quia adhuc recens nostri Redemptoris præceptum eorum auribus personabat, *Regnum meum non est de hoc mundo*, videlicet non sicut cetera regna viribus, armis, & potentia, sed orationibus, lacrymis, & prædicatione sustinetur, & viget, Joan. *c. XVIII. v. 36.* Quamvis ante hanc ætatem militiæ clericalis exempla prostrent, ut Eulebius Nicomediensis Episcopus, Bithyniæ Metropolita, deinde Archiepiscopus CP. sub Constantino M. contra Licinium Tyrannum ministerio militari perfunctus est. S. Cyrillus Alexandriæ Patriarcha, armato milite, a sua civitate judæos ejecit. Eandem spartam ejus successor Dioscorus exercuit. Hinc Michael Cerularius Patriarcha, CP. aliique Schismatici Latinam Ecclesiam accusant, dum ejus ministri sanguinem bello effundunt, vid. Nat. Alex. *to.* 14. *p.* 155. Verum eodem vitio Ecclesia græca laboravit, Christian. Lupus *ad can. V. Concil. Remens. to. IV. Concil.* Postea *seculo VIII. & seqq.* cum Civitatum, Oppidorum, & Provinciarum frequentius regimen clericis concredi cepisset, hic abusus undique fere invaluit, Ziegl. *de Episcop. milit. c.* 1. §. 1. Sed de his agere mei instituti non censetur.

Conditio militaris adventitia etiam duplex est: Aut Ecclesia a Principe feudum recognoscit, & ei militare servitium præstare tenetur. Aut Ecclesia bona sua alteri infeudat, & vasallus ad militiam pro Ecclesiæ patronæ defensione obligatur. Hinc Ecclesia vasalla describi potest, *Universitas illa Ecclesiastica, quæ bona secularia a secularibus Dominis in feudum recipit sub obligatione fidelitatis, & servitiorum militarium*, Boehmer. *tit. decr. de feud.* §. 72., quia natura cujuslibet feudi militare servitium secum ducit, nisi senioris liberalitas remittat. Hæc servitia Episcopi in Germania, Italia, Gallia, Burgundia, Lotharingia, aliisque Europæ Provinciis feuda possidentes, armatis hominibus, & loricatis expeditionibus Imperatori, Ducibus, Comitibus seculo præsertim VIII. IX. X. XII. *& seqq.* præstabant. Docent antiquæ in Ecclesiis picturæ, quæ Episcopos pluviali, & mitra ornatos pro pedo gestantes gladium, & sine dalmatica exhibent. Carolus M. enim, cum Gallias, Germaniam, regionesque italas suo imperio subjecisset, adeo latifundiis, quodam regendi populos arcano, & feudis Ecclesias ditavit, ut ob illa prædia ad militares copias obligata, Episcopos ad prælia proficisci oportuerit, Lupold. de Babenberg *de Zelo Germano. Princip. c.* IX., Thomasin. *de V. & N. E. D. par. III. lib.* 1. *c.* 45. *n.* 1. (*a*), Theodor.

(a) Anastasius in Epito. Chron. Cassinen. de Carolo M. ac Leo-

de Niem *de privileg. & juribus Imperii*, de Ottone I. inquit; *qui pene omnibus Cathedralibus Ecclesiis in Italia, Gallia, & Germania Burgundia, & Lotharingia constitutis, multas civitates, castra, oppida, villas, & multa alia dominia temporalia, jura, & jurisdictiones donavit, & omnibus illis Ecclesiis propria insignia perpetuo deputavit. Archiepiscopos quoque, & Episcopos ducatibus, & comitatibus, & baroniis communivit, quibus nobiles, & potentes vasallos subjecit, ut semper essent ad resistendum etiam manu forti paganis, & hæreticis in opportuno tempore fortiores.* Boehmer. *Exercitat.* 38. *ad Pandect. to. II. c.* 1. §. 12. Plura exempla refert Godefridus Monacus in *Annal.*, & Chronicon Laurishamense *edit.* Struvii.

Hinc cum Rex, aut Imperator expeditionem aggredi cogerentur; Episcopos vasallos publico edicto vocabant, ut arma arriperent, & castris præsto adessent. Episcopi, convocatis suæ Ecclesiæ militibus, quos *Casatos*, *domicellos*, *plebeos*, *cives*, *rusticos* ab eadem ecclesia feuda recognoscentes, dicebant, ad exercitum pergebant, qui suis senioribus Episcopis servire deberent. Nec per vicariam personam, sed personaliter his muneribus defungi potebant. Sic Philippus Francorum Rex Innocentii III. mandato contra Albigenses bella movit, & anno 1207. comitia apud Meduntam convocavit. Aurelianensis, & Altissiodorensis Episcopi legitime vocati comparere noluerunt, nisi etiam Rex bello interesset. Verum ob eorum contumaciam regalia confiscavit: & Rigordus apud

---

Leone III. coronato, scribit, *factus itaque Imperator concessit Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus Civitates, Villas, & Castra, Ducatus, Marchias, Comitatus, Monetas, Teloneum, Advocatias, jura Centurionum, & Cartes imperii, RETENTA SIBI ORDINATIONE EARUNDEM RERUM, TRIBUTIS, ET BELLICIS EXPEDITIONIBUS. Sanxitque ut de jam dictis omnibus Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates sibi, & Successoribus suis fidelitatem, & hominagium facerent, & servitium exhiberent, deinde vero Romano Pontifici responderent.* Ex his verbis inferri non displicet, Romanis Pontificibus ab Apostolis usque ad Pipinum, & Carolum M. nullam Romæ competiisse temporalem jurisdictionem. Pipinus deinde, Carolus M., Ludovicus, aliique temporale dominium in Ravennæ Exarchatu, urbibus, & provinciis primum concesserunt, verum superioritatem sive jus eminens sibi retinuerunt. Donec Carolus Calvus jus omne in urbe a se abdicasset, & Joanni VIII. an. circiter DCCCLXXVI. ejusque Successoribus dedisset, ut satis evincit Nat. Alex. *H. E. seculo IV. dissert. XXV. to. 9.*

Digitized by Google

apud Thomaſin. *Loc. cit. cap.* 49. *n.* 1. ſcribit, *cum omnes Barones, & Epiſcopi vocati ad hunc exercitum conveniſſent apud Meduntam & miſiſſent apud mandatum Regis homines ſuos, prout debebant, in expeditionem illam. Aurelianenſis, & Altiſiodorenſis Epiſcopi cum militibus ſuis ad propria ſunt reverſi, dicentes ſe non teneri ire, vel mittere in exercitum, niſi quando Rex ipſe proficiſcitur. Et cum nullo ad hoc privilegio ſe tueri poſſent, generali conſuetudine contra eos faciente, petiit Rex, ut hoc emendarent. Ipſis autem emendare nolentibus, Rex eorum regalia confiſcavit, ſcilicet, ea tantum temporalia, quæ ab eo Feodaliter tenebant* (a).

De hac controverſia ſæpius ab Aurelianenſi, & Altiſiodorenſi Epiſcopis Innocentius III. interpellatus vetuſtis Galliæ conſuetudinibus, & feudorum naturæ derogare noluit, ſicut *ex lib.* 111. *Epiſt.* 106. 107. & 121. *regeſt.* 15., & *lib.* 1. *epiſt.* 190. *regeſt.* 13. conſtat, ſed præſertim *lib.* 111. *Epiſt.* 40. *reg.* 15., in qua ad Philippum Galliæ Regem miſſa factum Epiſcoporum excuſare conatur, nec juris ordinem ſervatum monet; *quod autem eos ſpoliaveris nondum confeſſos, nec convictos, vel ad ſatisfaciendum commonitos, ex tenore literarum tuarum, quas præfatis Epiſcopis direxiſti, manifeſte perpenditur. In quibus continetur expreſſe, quod militibus eorum præceperas, ut irent cum Baronibus illis, quos ad quendam locum duxeras deſtinandos: & quia illi ad præceptum tuum illuc accedere noluerunt, dixiſti dictos Epiſcopos erga te de exercitu defeciſſe, & propterea illorum ſatiſti regalia, & illa, quæ in eis pertinent ad juriſdictionem terrenam. Ex eo ergo quod ipſorum militibus præcepiſti, ut cum aliis irent, quod Epiſcopi milites ſuos in tuum exercitum deſtinarunt, nec ex illis, vel aliis verbis apparet, quod*

(a) Lupus Ferrarien. *Epiſt.* 32. ad Hludovicum Abbatem, quem monet, ut ab Imperatore militaris ſervitii immunitatem obtineret. *In expeditione Aquitanica, ut noſtis, omnia perdidi: Superiori anno miſſus in Burgundiam, decem equos amiſi. Nunc vos, quam ſignificavi, premit inopia. Cupio etiam, ſi Deo placet, quod didici, & ſemper diſco, docere, quas res* [*præter ultimam; ea enim velut Reipublicæ inutilis judicaretur, quæ meo judicio cæterorum eſt graviſſima*] *ſi me evocare voluerit ad Comitatum, Regi, quæſo ſuggerite, quoniam, niſi ſpoliam altare, aut Fratres importabili alligam inedia, non habeo unde octo dies in ejus poſſim verſari ſervitio, donec novæ fruges optatam referant facultatem. Niſi autem abſque periculo poſſitis, militarium hominum noſtrorum nolo vos otium deprecari; quamquam & illis quam ſit neceſſarium, ultro cognoſcitis.*

Digitized by Google

idem suis militibus probibuerint aliquem tibi servitium exhibere, quod facere debuissent. Et ex hoc, quod dixisti eos de tuo exercitu defeciſſe, quia illorum milites ad præceptum tuum noluerunt accedere quod mandaras, & propter hoc regalia sasiviſti. Considera diligenter utrum recte decreveris adversus absentes, & non monitos, vel citatos, quin etiam ignorantes, quod eorum milites deliquiſſent. Deinde regalia reſtitui precatur; & Rex, tranſacto biennio, reſtituit. Innocentius etſi diu in hujuſmodi Epiſcoporum defenſione ſe occupaſſet, nunquam tamen conſuetudinem Prælatos ad bellum eundi improbavit.

In Anglia feudalis eadem conſuetudo viguit, de qua Matth. Paris ad *an.* 1070. de Willelmo Notho, ſcribit, *Epiſcopatus quoque, & Abbatias omnes, quæ baronias tenebant, & eatenus ab omni ſervitute ſeculari libertatem habuerant, ſed ſervitute ſtatuit militari, inrotulans ſingulos Epiſcopatus, & Abbatias pro voluntate ſua, quot milites ſibi, & ſucceſſoribus ſuis, hoſtilitatis tempore voluit a ſingulis exhiberi. Et rotulos hujus Eccleſiaſticæ ſervitutis ponens in theſauris, multos viros Eccleſiaſticos huic conſtitutioni peſſimæ reluctantes a Regno fugavit.* Non recte Paris legem *peſſimam* vocat, cum ex natura feudi deſcendat. Henricus III. *an.* 1244. contra Scotiæ Regem Caſtra movens, *notificari fecit Rex per totam Angliam, ut quilibet Baro tenens a Rege in capite, haberet prompta, & parata regali præcepto omnia ſervitia militaria, quæ ei debentur, tam Epiſcopi, & Abbates, quam laici Barones. Et profectus eſt cum exercitu copioſo adverſus novum caſtrum*, inquit, idem Paris. De Dania narrat Alb. Krantz. *lib. VI. Wandal. c.* 37., *iam inoleverat apud Danos ab Abſolone tunc defuncto, ut Epiſcopi præeſſent exercitibus. Ergo Petrus Roſchildenſis Epiſcopus Cancellarius, cum Durberno fratre copias regebat. Quadratis agminibus in ſe ibant. Collata manu fit pugna graviſſima. Cadunt viciſſim multi, inter alios Durbernus Epiſcopi frater, agminum ductor; ipſe capitur Pontifex; & lib. V. Wandal. c.* 27., *& lib. VI. Daniæ;* Trithemius *Hiſt. Belli Bavar. ad an.* 1462. De Hiſpania ſanxit Wamba Rex *lib. IX. LL. Wiſigoth. tit.* 2. *l.* 8., ut ſi Epiſcopus, Presbyter, vel Diaconus ad exercitum ire nollent, exilio punirentur. Simplex clericus, vel laicus in ſervitutem, amiſſa dignitate, redigerentur; & damna ab hoſtibus illata reſarciant.

Non modo Epiſcopatus, ſed & monaſteria feudis a Principibus ditata militare obſequium Abbates nunc ipſimet, nunc per ſuos milites ſeu vaſallos a monaſterio de feudis inveſtitos, iis præſtabant; armis cingulo que induti & lorica dimicabant, ut ſexcenta exem-

Digitized by Google

exempla docent (*a*); e male Alteser. *lib. VIII. Ascet. c.* 14. negavit, Godefrid. monach. *ad an.* 1179., Chronic. Augustens. *ad an.* 1078., pro-

(a) Hinc P. Labæus in Collect. Conciliorum *to. IV. p.* 1234. exhibet censum Monasteriorum, jussu Imperatoris Ludovici an. DCCCXVII. actum, in quo nonnulla monasteria militiam, & dona facere debebant, videlicet.

Monasterium S. Benedicti.
Monasterium Ferrarias.
Monasterium Nigelli.
Monasterium S. Crucis.
Monasterium Corbeja.
Monasterium S. Mariæ Svessionis.
Monasterium Stabulaus.
Monasterium Flaviniacum.
Monasterium Eugendi.
Monasterium Novalicium.
Ultra Rhenum.
Monasterium S. Nazarii.
Monasterium Offunwilarii.
in Bavaria.
Monasterium Manausee.
Monasterium Tegnausee.
Monasteria, quæ dona sine militia præstant.
Monasterium S. Michaelis Marefciprimi.
Monasterium Balma.
Monasterium S. Sequani.
Monasterium Natradis.
Ultra Rhenum.
Monasterium Svarizaha.
Monasterium S. Bonifacii.
Monasterium S. Wigberti.
in Alemannia.
Monasterium Clehenwane.
Monasterium Fruhelinwanc.
Monasterium Nazaruda.
Monasterium Campita.
in Bavaria.
Monasterium Altemburc.
Monasterium Alcabe.
Monasterium Creausa.
Monasterium Mathasco.
Monasterium Buria.
Monasteria, quæ nec militiam, nec dona, sed tantum orationes pro salute Imperatoris, ejusque filiorum, atque imperio præstant.
Monasterium Melaredum.
Monasterium Fossatus.
Monasterium Luda.
Monasterium S. Gregorii.
Monasterium S. Mauri.
Monasterium Ebonsheim.
Monasterium Clinga.
Monasterium Saviniciaco.
Monasterium Crudatis.
Monasterium Dusera.
Monasterium Lorwim.
Ultra Rhenum.
Monasterium Scewanc.
Monasterium Scultubera.
in Bavaria.
Monasterium Berch.
Monasterium Mechema.
Monasterium Schovenauva.
Monasterium Alpseburch.
Monasterium Weizzenbrunico.
In Aquitania.
Monasterium S. Philiberti.
Monasterium S. Marentii.
Monasterium Carroffinii.
Monasterium Brantosmurii.

Mo-

prolixe Trithemi. *loc. cit. ad an.* 1462. Annales Fuldenses *ad an.* 849. de Ludovici Imp. bello narrant, *Boemani more solito fidem mentientes contra Francos rebellare moliuntur, ad quorum perfidos motus comprimendos Hernustus dux partium illarum, & inter amicos Regis, comitesque non pauci, atque Abbates cum exercitu copioso mittuntur.* Idcirco monasteria militiam alebant, quæ qualis fuerit, exponit Monachus Hariulfus apud Lupum *loc. cit.*, *illorum nomina recitemus, qui ex Sancto Richario beneficia retentabant, quique cum sibi subditis militibus nostro Abbati, & ministris Ecclesiæ nobiliter satis serviebant terra, marique, vel ubicumque eorum comitatu quilibet e sancti loci fratribus indiguisset.* Centum nobiles recenset, & subdit, *hæc sunt nomina militum, monasterio beatissimi Richarii famulantium, quos ubique Abbas, vel Præpositi secum ducebant, quippe consuetudinaliter in die festo Sancti Richarii, & in Nativitate Domini, vel in Resurrectione, seu in Pentecoste semper monasterio aderant, accurate prout quisque poterat, ornati. Et ex sua frequentia regalem pene Curiam nostram Ecclesiam facientes* (a).

Hujus-

Monasterium S. Savini.
Monasterium S. Crucis puellarum.
Monasterium S. Mariæ in Lemovicas.
Monasterium Mastracurii.
Monasterium Menadinii.
Monasterium Magnilocum.
Monasterium Conquas.
Monasterium S. Antonii
Monasterium Musciacum.
In Septimania.
Monasterium S. Ægidii in valle Flaviana.
Monasterium Psalmodium.
Monasterium Anianum.
Monasterium S. Tiberii.
Monasterium Villamagna.
Monasterium S. Petri in Lunate.
Monasterium Caunas.
Monasterium Castelli Malasci.
Monasterium S. Mariæ Caparensis.
Monasterium S. Mariæ ad Orubionem.
Monasterium S. Laurentii.
Monasterium S. Eugeniæ.
Monasterium S. Hilarii.
Monasterium S. Asperii.
In Tolosano.
Monasterium S. Papuli.
Monasterium Suricinium.
Monasterium Asilo.
Monasterium Venercha.
In Wasconia.
Monasterium Cella Fraxillii.
Monasterium Eimorra.
Monasterium Piciniano.
Monasterium Altum Fragitum.
Monasterium S. Savini.

(a) Hinc Vadianus *de Collegiis, Monasteriisque Germaniæ veteribus lib. II.* apud Goldastum *Script. Alleman. tom. 3. p. 42.*, *unde & militiam ingredi, & stipendia merere, mediæ antiquitatis Abbatibus libuit, & licuit. Nostros enim Abbates armatis servitiis,*

Hujusmodi monasteriorum vasalli, *homines*, *ministeriales*, *casati* dicebantur, Honori. III. *in cap.* 2. *de Treug. & pac. in* 5. *collect. Ministerialibus*, Ecclesiæ Magdeburgensis, hoc est Feudatariis scribit. Promiscue annales Steronis *ad an.* 1257. *ministeriales*, *& vasallos per privationem feudorum*, *quæ tenent ab Ecclesia coarctando.* In media ætate duplex præcipue ministerialium occurrit significatio: Prima est virorum equestris ordinis, qui servitia militaria, vel aulica præstabant: Secunda plebei generis homines non raro ostendit. Quare inter feuda quæ Aquilejensis Patriarcha olim concessit, feuda Pistorum, Scutellarum, Tabellariorum, Sartorum, Murariorum, Saccigerulorum, sternendi lectices, Carpentariorum, & Manganorum recensentur, Murator. *Dissert. XI. in fin.* Joan. Estor. observat. *juris feud.* §. 15., 18. & 34. In Imperio enim, & Regno erant feudorum matriculæ, et Imperator, aut Rex optimatibus, sive laicis, sive Ecclesiasticis significabat, ut ad bellum suos Ministeriales, seu vasallos mitterent. Et Ministeriales banno Regis sub mulcta heribanni citabantur, aut citatio sub banno Comitis fiebat. Unde Lupus Abbas Ferrariensis *Epist.* 25. hominibus suis bello, & sumptu fatigatis vacationem per biennium deposcit, *homines nostri toto hoc fere biennio*, *aut nobiscum*, *aut soli generalis expeditionis difficultatibus fatigati*, *censu rei familiaris in hujusmodi servitio effuso onere paupertatis gravantur. Subveniat itaque illis vestra insignis clementia*, *& si posse fieri*, *licentiam domum revertendi obtineat*, *ut possint populum respirare*, *atque futuri servitii rursus impendia præparare.* Ivo Carnotensis Epist. XVIII. *Casati Ecclesiæ*, *& reliqui milites pene omnes*, *vel absunt*, *vel excommunicati sunt*, *quos sine satisfactione reconciliare non valeo*, *& excommunicatos in hostem mittere non debeo* (*a*). Si enim Episcopus,

tiis, *& in militiam eductis Episcopo Basilienſi adversum Clarissimam Urbem Basileam suppetias tulisse olim*, *nec parum in alea illa martis Monastici de sorte decessisse Monasterio quod illius plus satis intestinæ*, *& mira factionum turba excitatæ discordiæ afflixerant. Ad hæc & Regibus assuisse*, *sed servitia armasse*, *misisseque auxiliatum vel in Chronicis nostratibus legimus.*

(*a*) Hettus Archiepiscopus Trevirensis *in Epist. ad Fretbarium Tullensem Episcopum an.* 817. *apud Sirmund. in supplem. Concil. Galliæ p.* 104. *Notum sit tibi*, *quia terribile imperium ad vos pervenit Domni Imperatoris* (*Ludovici*) *ut omnibus notum faciamus*, *qui in nostra legatione manere videntur*, *quatenus universi se præparent qualiter proficisci valeant ad bellum in Italiam: quoniam*, *insi-*

pus, vel Abbas legitime vocati sine justa caussa recusabant, feudo privari poterant: Gunther. *lib.* II. *v.* 40.

. . . . . Tunc præco regius omnes
Convocat a Dominis feudalia jura tenentes
Excubias Regi prima celebrare fideles
Nocte, vetustorum debent ex more Parentum.
At quicumque domi, Domino nolente, relictus
Defuerit, feudo privari Curia censet.
Tunc quoque nonnulli censura Vindice regni
Amisere diu tali possessa reatu.
Quin & Pontifices, Halberstadiensis, & ille
Sub quo Brema fuit, tali regalia jura
Amisere nota: personæ scilicet ipsæ
Non tamen Ecclesiæ: neque enim quod Pastor inique
Gesserit, Ecclesiæ fas est in damna refundi.

Alter modus quo militaris conditio in Clericis consideratur, est, dum Ecclesia bona sua, vel regalia a laicis habita infeudat, vel subinfeudat, ut ad militiam pro Regum, & suæ Ecclesiæ juribus defendendis vasallos paratos haberet, Albert. Krantz. *lib. IX. metropol. c.* 2. inquit, *bona quæ pridem Waldemarus Marchio Brandenburgensis ab Ecclesia in feudum tenuit per ejus mortem vacantia, cum prolem non relinqueret, contulit Ottoni Duci Luneburgensi, ut haberet Ecclesia defensorem, qui opportuno tempore gladium vibraret.* Et constat ex designatione in Castro Tulpiaco facta *an.* 1021. Vassorum Ecclesiæ, & Episcopi Trajectensis, nempe Dapiferi, Venatoris, Marechelci, Camerarii, Janitoris, Pincernæ, Signiferi, inter quos, & Comes Gelriæ tanquam liber feudalis Ecclesiæ Trajectensis numeratur, Adrianus Buddingh *dissert. de orig. & nat. contract. feud.* §. 30. Nam, sicut Imperator, aut Rex Ducibus, Marchionibus, Comitibus, provincias, regiones limitaneas, territoria, præ-

insidiante Satana, Bernadus Rex disponit rebellare illi: propterea tibi mandamus, atque præcipimus de verbo Domni Imperatoris, ut solerti sagacitate provideas cum summa festinatione omnibus Abbatibus, Abbatissis, Comitibus, Vassis Dominicis, & cuncto populo parochiæ tuæ, quibus convenit militiam regiæ potestati exhibere, quatenus omnes præparati sint, ut si vespere eis adnunciatum fuerit, mane, & si mane, vespere absque ulla tarditate proficiscantur in partes Italiæ, quia Domnus Imperator suum iter præparat, ut quanto citius poterit in partes illas una cum fidelibus suis pergat.

Digitized by Google

prædia, & Civitates jure feudi concedebant. Sic & exemplo Regum hujusmodi Comites, Duces, & Marchiones sibi earum feudi portionis infeudatione vasallos, sive subvasallos creabant. Eadem consuetudo ab Episcopis, atque Abbatibus servata est, cum sudrum regalium partem, vel suæ Ecclesiæ bona, aut officia jure feudi aliis concederent, Altesser. *lib. X. Assert. c. ult.*, *& de O. f. cap. IV.* eleganter Thomasin. *de V. & N. E. D. lib. I. par. III. c. 47. n. 7. Reges soli, aut Principes jure utebantur creandi milites, hoc est equites, & nobilitatis titulos solemni addendi diplomate. A verosimile non abhorret, nobilitatis insignibus ab Episcopis donatos fuisse eos, qui ab illis clarioribus Ecclesiæ fundis donabantur, militiam obituri, & stipendia facturi in exercitu regio. Eo quoque forsitan hic interdicebantur Abbates a Concilio, ne præclariora cænobii prædia laicis darent, quo eos haberent nexu, & beneficio suo obligatos, vasallosque nobiles forsitan, & insignioris vexilli sui signiferos. Indubium est enim opulentioribus cænobiis vasallos fuisse quosdam nobiles, & præpotentes, qui insigne vexillum cænobii gestarent, sive in castris regiis, & exercitibus, sive in bellis privatis, quæ Advocato, seu Defensori Cænobii quandoque subeunda erant, etsi non inferenda.*

Hinc Chronicon Monasterii Laurishamensis Ecclesiæ suæ milites in illustres, nobiles, & ministeriales distinguit. Illustres fuisse duodecim narrat, quorum insignia in militari Cænobii clypeo expressa erant, ipsorum singuli centum milites præstare debebant. Clypeus erat summa Monasterii dignitas, idcirco idem Chronicon Bennonem Abbatem arguit, qui septem millenis suæ Ecclesiæ feudis uni Godefrido Comiti Palatino Rheni dedit, *cujus septem principalia beneficia, quæ vulgo appellantur Volleben morte septem nobilissimorum Ecclesiæ fidelium in unam personam Godefridii in hereditatem voluta sunt. Et post ipsum ad Generum ejus ducem Welephonem transierunt, maximo videlicet Ecclesiæ detrimento. Exinde si quidem militaris clypeaturæ, scilicet, hereschilt integritas confusa, atque in diversa distracta est, & Ecclesiæ status tam in militari frequentia, quam in re stipendiaria, in suis opportunitatibus, ei regalibus expeditionibus imminutus est, multorum servitiis in unam personam vel labis, solumque remansit inane nomen Domini, & hominii.* Hanc consuetudinem feudales suarum Ecclesiarum milites bonorum subinfeudatione creandi Carisiaca Synodus in litteris ad Ludovicum Germaniæ Regem commendat. Et Constantiensis Ecclesiæ Chronicon, Sanctum Geberardum Episcopum laudat, qui fundata a se monasteria non solum feudis, & possessionibus, sed etiam militibus ditavit, *qui equitando deservirent, semperque parati essent, ad equitandum, & commodandum fratribus suos caballos.* In Galliæ quo-

que monasteriis Regiæ, Ducalis, vel Comitatensis fundationis Reges veteranum militem imponebant, ut ab iis aleretur, Altesер. *loc. cit.*

Hujusmodi feuda, quæ Prælati, atque Abbates concedebant, ut primæva clientelarum natura jubet, omnibus subiiciebantur oneribus, nempe militari servitio, homagio, investituræ petitioni, non posse sine Prælati consensu alienari, Seniorem, domi, militiæque tueri. Scribit Chron. Lubecense *ad an.* 1317. Gerardum Holsatiæ Comitem bona Lubecensis Ecclesiæ diripuisse, postea veniam ab Henrico de Bockholte ejusdem Ecclesiæ Episcopo petiisse, *cum XL. militaribus ad pedes ejus veniam postulans de commissis, & terram suam ab eo recepit in feudum, & homagium ei præstitit, sicut progenitores sui facere consuevarunt.* Chronicon Bergense *an.* 1453. de familia Wanslebrana scribit, quod habuerit, *beneficia seu feuda Familiæ hujus hereditaria partim ab Archiepiscopatu Magdeburgico, partim ab Abbatissa Gandersheimensi dependentia, ad familiam Alvenslebianam devoluta sunt. Hundesburgum Russo Wanslebius vendidit Ludolfo, Bussoni, & Gebhardo Fratribus Alvenslebiis. Consensit venditioni Fridericus Archiepiscopus Magdeburgius, emptoribus in fidem, & clientelam receptis.* Chronicon Rastedense, de Ottone Comite, inquit: *Iste Comes accepit Delmenhorst in feudum ab Ecclesia Bremensi, & promisit fidelitatem, & servitium Archiepiscopo.* Chronicon Osnaburg. narrat, *Nobilis enim, & illustris Nicolaus Inswerin, & Jekenenborg Comes, similiterque nobilis Baldewinus in Heinsorde, humiliter prout debebant officia, & bona ab eodem Episcopo* (Joanne sub Carolo IV.) *personaliter receperunt in feudum. Homagia sua, seu fidelitatis juramenta præstando, & recognoscentes Dominum eorumdem.* Altesер. *de Q. f. cap. VIII.*

Præter hæc onera vasalli Ecclesiarum, & monasteriorum ad tria alia nempe nonas, decimas, & sarta tecta tenebantur. Carolus M. *lib.* 1. *capp.* 163., *ut qui Ecclesiarum beneficia habent, nonam, & decimam ex eis, Ecclesiæ, cujus res sunt, donent.* Carolus Calvus *in capp. an.* 846. *cap.* 63., *hi vero, qui ex rebus Ecclesiasticis natas, & decimas persolvere, & sarta tecta Ecclesiæ, secundum antiquam auctoritatem, & consuetudinem restaurare debeant, & hoc non solum negligunt, verum, & per contemptum dimittunt, atque clericis fame, & penuria, Ecclesiastica quoque ædificia dissolutione advallari permittunt tamdiu ab Ecclesiastica communione separentur; usque dum diligentia emendare studeant, quod socordia neglexerunt.* Imp. Carolus *in lib. III. LL. Longob. tit.* 3. *l.* 2. 3. & Ludovic. *in l.* 5. *eodem lib. & tit. De novis, & de decimis considerandum est, ut de frugibus Terræ, & animalium nutrimine persolvantur. De opere vero, & restauratione*

Eccle-

Ecclesiarum, Comites, & Episcopi, seu Abbates, unus cum misso nostro, quem sibi ad hoc elegerint, considerationem faciant, ut unus quisque eorum tantum inde accipiat ad operandum, & restaurandum, quantum ipse de rebus Ecclesiarum habere dignoscitur. Similiter, & vassi nostri aut in commune tantum operis accipiant, quantum de rebus Ecclesiarum habere videntur, & unusquisque per se juxta qualitatem, quam ipse tenet. Aut si inter eos convenerit, ut pro opere faciendo argentum donet, juxta æstimationem operis in argento persolvat. Cum pro pretio Rector Ecclesiæ ad prædictam restaurationem operis conducere valeat, & materiam possit emere. Et qui nonas, & decimas neglexerit dare primum quidem de illis secundum legem suam restituat, & insuper bannum nostrum persolvat: ut ita castigatus caveat, ne sæpius iterando, beneficium amittat (a). Ex fructibus beneficii has nonas, & decimas solvebant, & Ecclesias ædificiis restaurabant, sæpiusque pro nonis, & decimis pecuniam Episcopi vasallorum voluntate exigere poterant, Gonsal. *ad cap.* 1. *de Eccl. ædifican. in not.* 2., Thomasin. *de V. & N. E. D. lib.* I. *par. III. c.* 8. *n.* 3. *&* 3.

In Imperio itaque, & Regnis Episcopi, Archiepiscopi, Abbates, & Abbatissæ, ab eo regalia obtinentes, & inter seculares Principes recensiti, feudalibus obnoxii servitiis, non modo nobiles vasallos, sed & Comites, Barones, & Principes ipsos sub se habebant. Videlicet, Archiepiscopus Moguntinus, Trevirensis, Colonienſis, Magdeburgensis, Saltzburgensis, Bremensis, & Regensis. Episcopus Herbipolensis, Mindensis, Constantiensis, Lubecensis, Abbas

(a) Ejusdem Præceptum Imperatoris Ludovici apud Balutiam *to. IV. Miscellan. p.* 422. *an.* 816. *Noverit utilitas fidelium nostrorum Comitum videlicet, & vassorum nostrorum, ut quisquis beneficia ex ratione Monasterii Sancti Michaelis habere videtur, ubi Venerabilis Vir Smaragdus præest Abbas, quia sicut Domnus & genitor noster præcepit, ita & nos præcipimus, ut eidem monasterio annis singulis de eisdem beneficiis nonas, & decimas de omnibus pleniter non negligatis. Proinde præcipimus, atque per has litteras omnibus quæcumque ex largitione nostra, vel Comitum, aut vassorum de rebus præfati Monasterii beneficia habetis, nonas, & decimas annis singulis; & præditum est, præfato venerabili Smaragdo, suisque successoribus, vel missis ejusdem Monasterii absque ulla contrarietate, & negligentia dare non negligatis; & ad domos ipsius Ecclesiæ restaurandas, unusquisque pro viribus suis adjutorium ferre non differat. Et nullus, qui beneficium de rebus præfati Monasterii habet, contra hoc jussionis nostræ præceptum facere præsumat.*

Digitized by Google

Abbas Fuldensis, Campidonensis, Stabulensis, Corvejensis, Murbacensis, Brumensis, Hirsfeldensis, Sixtin. *de Regal. lib.* 1. *c.* 4. *n.* 128. Domi, militiaque suos Seniores juvabant; si publica urgeret expeditio; aut crimen aliquod, calumnia, periculum, pœna, nempe degradatio, depositio, suspensio Episcopis, & Abbatibus eorum Dominis immineret. Sic vasalli Ecclesiæ Babenbergensis suum Episcopum de Simonia apud Sedem Apostolicam accusatum defendunt, Schafnaburg. *de Rebus German.* Recensentur vasalli Ecclesiæ Trajectensis Joannes Dux Barbantiæ, Wilhelmus Comes Hollandiæ, Reynaldus Comes Geldriæ apud Chronicon Belgicum. In publicis judiciis eorum assensus requirebatur, Chron. Belg. inquit. *Idem vero novus Pontifex* (Willibandus sub Gregor. IX.) *in Trajecto pro tribunali sedens, dictante sententia, principalium vasallorum, Comitem Geldriæ cum ceteris captivis e carcere Castellani Kovordensis absolutum esse judicavit.* In Abbatum, & Episcoporum electione, vel postulatione interveniebant, Schafnaburg. *loc. cit. Similiter defuncto nuper Udalrico Abbate de Loressan, cum monachi, & milites in electionem Præpositi concorditer adunati, ad curtem venissent, neque Rex aliter sensurus putaretur propter multa servitia, quibus ille dum Præpositus monasterii esset, gratiam, dilectionemque ejus, officiosa admodum sedulitate redemerat.* Denique hæc militaris Clericorum conditio Conciliis displicuit, etsi aliter feudorum natura juberet, Synodus Svession. *an.* 744. *Abbates legitimi hostem non faciant* (hoc est per se in exercitum pergant) *nisi tantum homines eorum transmittant.* At ipsimet Pontifices, quorum primus Greg. VI. fuisse dicitur, ut & Greg. VII., Joannes XI., Leo IX. Arma, quin imo loricati pertractarunt, Christian. Lupus *loc. cit.*

§. XVII.

Jusjurandum, renovatio, expectativa.

QUamvis Pontifices omnem lapidem movissent, ne Prælati aliquo jurisjurandi vinculo Principibus devincerentur, obtinuit tamen ut Ecclesia dum ab Imperio, vel Comite, Marchione, Duce, vel a privato investitur, fidelitatis *jusjurandum* præstare deberet *cap.* 30. *de jurejuran.*, *cap. un.* §. *verum de statu regul. in* 6. Et sicut pupillus, minor, uxor, universitas, ita & Ecclesia per procuratorem jurat cum ipsa personaliter fidem pro feudo jurare non possit, quo jure Imperium hodie utitur. Etenim feudi Ecclesiastica indoles laicorum clientelæ cohæret, eademque vivit vita, & regulis utitur, P. Greg. *Synt. lib. VI. c.* 15. *n.* 9., Gudelin. *de feud. par. II. c.* 7. *n.* 10. *& cap.* 8. *n.* 10., Rothius *in Paind. feud. cap.* XIII.

XIII. 'q. 12. quia hominium non contemplatione perſonarum, ſed rerum & poſſeſſionum detentione præſtatur, ut in Gallia nunc ſervatur, Ciron. *parat. decret. de feud.*

Renovatio: Eccleſia vaſalla, ſi Senior, vel Prælatus morte naturali, aut civili, aut translatione, renunciatione, vel refutatione, mutatur, inveſtituræ renovationem petere debet, quia hæc obligatio deſcendit ex natura contractus, cui tantum contrahentium voluntas, non diverſa vaſallorum conditio derogare poteſt, Alver. *ad* 11. *f.* 40. §. *fin. n.* 4., Curt. *par.* 1. *q.* 2. *n.* 5. quamvis per procuratorem petere valeat. Tempus petendi eſt annus, & dies, & a die electionis, vel poſtulationis Prælati currere incipit, ſed prius legitimum electionis documentum Seniori debet exhibere, Boehmer. *tit. decr. de feud.* §. 97. & 98.

Ex hoc celeberrimum illud in Anglia, Germania, Gallia, aliiſque Europæ Dynaſtiis jus natum eſt, cujus origo latet, & *regalia* nuncupatur. Videlicet ut Rex, vel Imperator, uſumfructum feudi ad ſe devoluti, ſede vacante, perciperet, donec novus Epiſcopus ejuſdem inveſtituram a ſuo Seniore accepiſſet, & fidelitatis jusjurandum præſtitiſſet. Ac ſi ipſe feudi vaſallus fato cederet, & proinde feudum caducum evaderet, quod ex lege clientelarum *relevari* a novo Epiſcopo oportebat. Nomine uſusfructus venit omne, quod ex feudo vel natura, vel induſtria percipi poſſit, imo & jus conferendi beneficia, quæ ex feudo dependent: ut ſicut feudum, ita & beneficium ad Seniorem devolvatur, cum hodie jus conferendi beneficia inter fructus quiſque recenſeat, Roye *ad cap. VII. de jurepatro.* P. de Marca *de Concord. Sacerd. lib. VIII. c.* 22. *n.* 7. Nec tantum ſumma poteſtas hoc jure ex natura feudorum profecto utebatur, ſed & Comites, ut Raiiſmundus, & Idelphonſus Comites Toloſani, Ermengardis Norbonenſis Vicecomitiſſa, olim Fridericus II. Nat. Alex. H. E. *ſeculo XIII. & XIV. diſſert. VIII. art.* 4. Nec Summis Pontificibus diſplicuit, cum Greg. X. in Concil. Lugdun. *an.* 1274. *die* 7. *Maii can.* 12. Alex. III. D. Bernardus, aliique comprobaſſent. Jus enim *Regaliæ* tribus innititur rationibus, *legibus feudorum*, *cuſtodiæ*, & *defenſioni*. Lex feudi eſt a ſua origine petita, ut ſucceſſionem non cognoſcat, ſed morte vel naturali, vel civili vaſalli expiret, & ad Dominum redeat, apud quem tamdiu remanet, donec novus ſucceſſor a Seniore non relevaret, unde relevium invaluit. Interim tamen Senior fructus percipiebat, ob onus cuſtodiæ, & defenſionis, quo Eccleſia vacans tunc magis indigebat. Et quia Senior etiam Eccleſiam conſtruxerat, non modo feuda, ſed & cetera Eccleſiæ bona, ne deriperentur, tuebatur, Nat. Alex. *loc. cit. n.* 2. Nec ex hiſto-

historia constat, olim feuda a Principibus Ecclesiæ concessa a feudis a laico possessa differre, etsi suspicari possimus, Principes potius Ecclesiis, quæ non moriuntur, quam Prælatis dedisse, quorum morte caduca evaderent. Et quoniam jus feudorum ex consuetudine descendit, non in omnibus Ecclesiis Gallia, vel Germania, vel Anglia jus regaliæ, etiam quoad usumfructum feudorum ad Ecclesiam spectantium vindicabat, Recte P. de Marca *de C. S. lib. VIII. c. 22. n. 5. Quod jus in primis introductum est in provincias, in quibus mutatio Domini necessitatem imponit solvendi commodum aliquod, & utile Domino superiori, quod relevium vocant, ut dixi, cum e contra in illis, quæ huic juri relevii obnoxiæ non sunt, nihil a Regibus tentatum fuerit quoad usumfructum regalium.* Et Greg. X. in Conc. Lugdun. *in cap. 13. de Elect. in 6.* jus regaliæ ad eas provincias redigit, in quibus consuetudine obtinuit.

Si itaque feudum obitu Episcopi vacat, Dominus ad se recipit, & tamdiu retinet, donec novus Episcopus investituram acceperit, eique clientelare præstituerit Sacramentum, sed interim Dominus feudi usumfructum sibi percipit, quod ex vera clientelarum natura proficiscitur, quæ non successionis auxilio, sed nova investitura, seu voluntate Domini deferebatur, & eleganter P. de Marca *de Concord. lib. VIII. c. 19. n. 1., quemadmodum enim in Republica quoddam bonorum genus extat, quod vulgo feudum vocant, incognitum Romano juri, ideoque novis constitutionibus, & antiquarum legum dispositioni contrariis inductum: sic, cum Ecclesiæ Regum beneficio donatæ fuissent bonis hujusmodi, necessarium prorsus fuit, ut illæ possident feuda iis conditionibus, quas in prima feudorum origine invexit publica utilitas. Ergo personæ Ecclesiasticæ, quæ possidebant, per consequentiam fiebant vasalli Regum, illisque præstare tenebantur homagium, & juramentum fidelitatis, itemque certum militum numerum juxta valorem feudorum. Præterea Regi tradere tenebantur arces, & castra, quoties id Regis utilitas postulabat. Unde sequitur necessario, Regem post obitum Episcopi, quod eo casu feudum vacet, illud ad se recipere posse ac retinere, donec novus Episcopus investituram feudi receperit, homagiumque, ac juramentum fidelitatis præstiterit. Interim tamen Regi competit jus quoddam fruendi reditibus, dum custodia durat.*

Nec tantum novus Ecclesiæ Prælatus investituræ renovationem a Domino petere cogitur, sed & novus feudorum Ecclesiasticorum vasallus ab ipsamet Ecclesia, a quo feudum recognoscit, petere debet. Attamen sicut Ecclesia & quælibet Universitas, sive sacra, sive profana fuerit, vasalla indiget provasallo, qui nomine ipsius servitia, & quæ feudum requirit, peragat; ita & Ecclesia Domi-

na

na indiget prodomino, qui exigat, recipiat, & concedat, quæ natura feudi, vel conſuetudo expoſtulat. Nam renovatio, jurisjurandi præſtatio, atque exhibitio ſervitiorum, ſive ab Eccleſia vaſalla præſtentur, ſive ipſa recipiat, vix ab ea expediri poſſunt, niſi ſingularis perſona ejus nomine hæc agat, ne vaſalli conditio damnum patiatur 11. *f.* 55. §. *præterea ducatus*, 11. *f.* 77.. Prodomini vicem occupat Epiſcopus in ſuæ Eccleſiæ feudo; quod ſi Eccleſia vacat, & feudi collatio ad Epiſcopum, & Capitulum pertineat, Capitulum renovationem, petere, atque exigere valet: Si ad Epiſcopum dumtaxat, Capitulum ſe intromittere nequit, ſed expectandum, donec novus Epiſcopus ſuccedat. Dum feudi collatio ad Epiſcopum tantum ſpectat, Capitulum nec novi feudi, nec veteris inveſtituram facere, & renovare poteſt, Boehmer. *tit. Decret. de feud.* §. 54. Sic Philippus Vicecomes filius Joannis Galeatii inveſtituræ renovationem de Caſtro Surlæ ab Henrico Epiſcopo Derthonenſi an. 1414. ind. 7. petit apud Ugell. *Ital. Sacr. to. IV. p.* 644. *Epiſcopus pro tribunali ſedendo ſuper quodam banco, ſito in prædicto Caſtro in Camera Conſilii præfati, Domini, quod idem d. Epiſcopus pro ſuo loco, & tribunali juridico elegit, ad hunc actum faciendum; inveſtituras prædictas, & utramque ipſarum ac confirmationem factam per D. Petrum de Georgiis præfatum tum Epiſcopum Derthonenſem, & omnia, & ſingula in prædictis infraſcriptis, & quolibet eorum contenta, ratificat, approbat, & confirmat, nec non præfatum Nicolaum præſentem procuratorem præfati D. Philippi Mariæ in feudum honorificum antiquum, & gentile, de toto caſtro Surlæ cum territorio, curte & pertinentiis, mero, & mixto imperio, & omnimoda juriſdictione, terris, pratis, vineis, boſchis, herbis, caſtagnetis, molendinis, poteſtariis, furnis, decimis, & jure decimandi, piſcationibus, aquæductis, homagiis, vaſallis, & juribus vaſallorum, commoditatibus, utilitatibus, præeminentiis, honorantiis, & omnibus, & ſingulis villis ſpectantibus, & ſolitis ſpectare ad prædicta, & dependentia a prædictis, ac etiam de omnibus condemnationibus, multis, pœnis, & jure condemnandi, & multandi, & omnibus regalibus, & quæ appellatione regalium comprehenduntur, ac comprehendi poſſunt, ac poſſent cum vero enſe evaginato, quem dictus D. Epiſcopus ſuis tenebat manibus, inveſtituram totaliter, ac tali modo fecit, prædictam inveſtituram infeudationem, & inveſtituram in feudum, & innovationem, & confirmationem Uz., quod ipſe præfatus D. D. Philippus Maria Dux Mediolani &c. & quibus, & quoquo modo conceſſerit.*

Expectativa, cujus origo hæc eſt. Ab invecta ſacrorum beneficiorum origine, quiſque Epiſcopus in ſua Dioceſi ea benemeritis con-

conferebat, quin R. Pontifex consentire, vel dissentire, vel cognoscere posset. Primus seculo XII. Alexander III. Episcopos admonere cepit, ut alicui clerico forsitan pauperi beneficium proxime vacaturum conferrent. Quo jure Alexandri successores usi sunt, qui cum adversus Ecclesiasticam disciplinam agere se animadverterent. Idcirco ne Episcoporum jura imminui viderentur, initio litteras *admonitionis*, quibus si non parerent, secundo *præceptionis*, tertio si contumaces essent, *executionis* scribebant. De his litteris mentio *in cap.* 17. 19. 27. 31. 34. 37. 38. 40. *de Præscript.* occurrit. Delegato videlicet executore, qui de beneficio proxime vacaturo provideret. Quia, & procedente tempore, statim executorem addebant, qui, nolente Ordinario Collatore, conferret. Istud Pontificis mandatum *ad vacatura* appellatur *Gratia expectativa*, quam omnino Trident. *sess. XXIV. cap.* 19. abrogavit, Florent. *tit. Decr. de Rescript.* Espen. *par. II. sect. 3. tit. 6. cap. 2. & 3.*

Prælati, inventa expectativarum doctrina, in præbendis, & feudis Ecclesiasticis adhibebant; quarum duplex erat ratio, *simplex*, & *qualificata*, ut loquitur Boehmerus. Simplex nudam promissionem præbendæ nondum vacantis, sed vacaturæ continebat. Hanc Alex. III. in *Conc. Later. an.* 1179. quod Raymundus in *cap. 2. de Concess.* præben. refert, ob votum captandæ mortis, prohibuit. Quæ prohibitio ad feudales expectativas respicere nequibat, cum antiqui feudorum compilatores ante Concilium latera, scripserint. Imo sicut hæc prohibitio haud impedivit, quominus clericis expectativæ beneficiorum concederentur, ita & antiqua consuetudo feudales expectativas conferendi ad nos usque perducta constans permansit, & in jure longobardico in feudorum Ecclesiasticorum collatione clericis confirmata videtur 1. *f.* 3. 2. *f.* 26. §. 2. *moribus*, 11. *f.* 35. Boehmer. tit. Decret. *de feud.* §. 4. *n.* 44. in dissert. *de feud. Eccl. cap. III.* §. 16. *& Exerc. ad Pandect. to.* 2. *Exerc.* 38. *cap.* 3. §. 21. Simplex expectativa jus ad rem, qualificata jus in re parit: primam Prælati Successor non exequi, secundam servare cogitur, quum secundæ investitura abusiva, sive canonica institutio accesserit. Hinc Alex. III. *in cap.* 9. *de præben.* & Innoc. III. *in cap.* 7. 14. 19. *de Consess. præben.* secundam non abrogarunt, ne juri quæsito expectativam noceret.

His præcognitis: distinguendum. Si Prælatus in bonis patrimonialibus expectativam concessit, successor ratihabere tenetur, quia clerici in his bonis tanquam laici considerantur 11. *f.* 35. Si autem concessa est super feudo, quod est Ecclesiæ, & iterum distingui oportet: aut prædecessor consensu expectativarii simul, & vasalli feudum possidentis investivit, & in possessionem induxit, &

ejus

Digitized by Google

ejus successor adimplere expectationem tenetur, 1. *f.* 3., quia traditione possessor jus reale adquisivit, quo jure quæsito ab investientis successore non est spoliandus, Pistor. *lib.* 11. *q.* 27. *n.* 40., Vultei. *lib.* 1. *de feud. cap.* 10. *n.* 22., Struv. *f. j. f. Cap. VII. a.* 9. *n.* 5., Rothi. *in Pand. feud. cap. XII. q.* 39. Dubitatum est, qui fieri possit, ut vasallo possidente, investitus in feudi possessionem mittatur? Duo viderentur in solidum possidere: quid aliis sedeat, consule Pistorium *loc. cit.* Dicam: Dominus in caducitatem feudi investit, deinde consensu possessoris constituit ei jus reale ex missione in possessionem ortum, cujus executio sub conditione, & lucrum suspenditur, & interim possessori jus suum integrum reservatur. Nam dominium, & possessio sub conditione transferri potest, & non ante in accipientem transit, quam si conditio extiterit, Julian. *in l.* 38. §. 1. *D. de adq. poss.* Sicut lex commissoria, addictio in diem, & retractus constitutio exempla ministrant. Vasallus igitur recte consensit, ut Senior expectativario immissionem possessionis in expectativam feudi concedat, qua jus reale expectativarius adquirat, sed sub conditione, ut illud non exerceat, non fruatur, nisi consentiens possessor decedat. Dominii vel directi, vel utilis traditio non est actus legitimus, qui si esset, conditionem non acciperet, quod & mens Andr. est *ad d.* 1. *f.* 3., Struv. *loc. cit. n.* 8., Rothius *loc. cit.*

Quod si Prælatus simpliciter expectativam sine possessione promiserit, post ejus mortem successor ratam habere non cogitur 11. *f.* 35. nam Prælatus est administrator dumtaxat bonorum Ecclesiæ, nec ejus successor a se causam, sed ab electione recognoscit. Inter bona, & fructus Ecclesiæ censetur collatio feudorum, quæ successori præripienda non est, cum ipse decessor de bonis Ecclesiæ nequeat disponere, 11. *f.* 26. §. *moribus* 11. *f.* 35. 1. *f.* 25. *cap.* 2. *de donat. cap.* 1. *de præben.*, Rosent. *Cap. VI.* 16. *n.* 13. & 14., Struv. *loc. cit.* Boehmer. *de feudis Eccles.* §. 20., & de precariis sanxit Lothari. *in lib.* 111. *LL. Longobar. tit.* 10. (*a*). Tres excipiuntur casus, (1) si decessor consensu Capitu-

(a) Ex his intelligatur, quomodo Prælati successor, atque ipsamet Ecclesia de facto defuncti Prælati obligari possit. Si Prælatus heredem instituit Ecclesiam, vel debita ob Ecclesiæ utilitatem contrahat, successor tenetur *l.* 8. *D. de adquir. hered. can.* 3. *XII. q.* 5. Cum æquum videatur, qui fructus percipiat, onera persolvere. Quod si sine utilitate, & caussa Ecclesiæ contractus peragat, & obligationes suscipiat, successor satisfacere non cogitur,

Digitized by Google

li eam conceſsit, quia capitulum non moritur, & ipſa Eccleſia conceſsiſſe videtur, & promiſsionem naturaliter morte Prælati extinguendam, ad ſucceſſorem prorogat, atque ita collegium Lipſienſe, & Francofordienſe judicavit, Piſtor. *loc. cit.* Modo feudi collatio conjunctim ad Capitulum, & Epiſcopum pertineat. Si vero ad Epiſcopum dumtaxat, etſi opus fuerit Capituli conſenſu; ſi aperturæ tamen caſus, vivo Epiſcopo, non contingat, expectativa expirat, *ut ex cap. un. Ne ſede vacan. in 6.* Boehm. *exercit. ad Pand. to.* II. 38. *c.* 3. *n.* 18. (2) Si evidens ſuadeat Eccleſiæ utilitas, videlicet, ſi expectativarius fuerit vir potens, jura Eccleſiæ ab invaſoribus tueatur, & judicat æquitas, cum Prælatus ſucceſſor bonum, & utilitatem Eccleſiæ promovere teneatur. (3) Si magna ſint in expectativario erga Eccleſiam merita, & beneficia, quum in meritorum compenſationem facta videatur, atque ex juſtitia commutativa ipſam Eccleſiam promiſſa ſervandi merita obligant, atque ipſa obligatio cum Eccleſia in ſucceſſorem tranſit, Itterus *QQ. jur. feud. cap. XII. q.* 39., Rothius *loc. cit.* Denique in ceteris feuda Eccleſiaſtica ſecularium feudorum obligationes ſequuntur.

TI-

---

gitur, quum nullum jus a defuncto recognoſcat, niſi in quantum in Eccleſiæ utilitatem verſum fuerit *cap.* I. *de depoſito*, ſucceſſor enim non uti hereditarius, ſed ſingularis ex canonica inſtitutione ſuccedit, nihilque a Prædeceſſore capit, ſuumque jus a Collatore repetit. Idem de Regni ſucceſſore dicendum, cui non a defuncto, ſed populo jus competit, qui illam familiam elegit. Laudatur Titus, & omnes ex Tiberii inſtituto Cæſares, *qui beneficia a ſuperioribus conceſſa Principibus aliter rata non haberent, quam ſi eadem iiſdem & ipſi dediſſent*, inquit, Sveton. *in Tito c.* 8., prolixe Grotius *de j. B. & P. lib.* 2. *c.* 14. *n.* 11. P. Greg. *de Republ. lib. VII. c. fin. n.* 51. Aliter obtinet, ſi contractus, vel quælibet conventio nomine ipſius Regni, dignitatis, vel conſenſu Populi acta eſſet, tunc ad ſucceſſorem tranſit *cap.* 14. *de offic. deleg. cap.* 5. *de reſcrip. in VI.* Niſi magnopere Regni conditioni noceret, ut ſi magna regii domanii, & jurium coronæ quantitas alienaretur, P. Gregor. *loc. cit.*

Digitized by Google

TITULUS IX.

De Vaſallorum Regni Neapolitani obligationibus.

§. XVIII.

De Fidelitatis, & aſſecurationis juramento.

VEtuſtiſsima Regni hujus conſuetudo in inveſtituris juris Longobardici ſolemnitates, & ſymbola, videlicet, annulum, enſem, haſtam, aliave abrogavit, etſi in monumentis, non autem ſcriptis legibus, nonnulla reperiam, & alias induxit. Conſtat ex *Regeſtro Caroli I. ſignato* 1269. *B. fol.* 10. *XII. indict.*. *Karolus dei gratia Rex Siciliæ Ducatus Apuliæ, & principatus Capuæ almæ Urbis Senator Andegavie Provincie, & Forcalquerii Comes. Per preſens privilegium notum facimus univerſis tam preſentibus, quam futuris, quod nos attendentes grandia grata, & accepta ſervitia, que Petrus de ſommeroſo miles dilectus familiaris noſter nobis exhibuit, & que ipſum exhibiturum ſperamus in poſterum, terras, opidi, Abbani, Caſalaſpri, & Trivine ſitas in Juſtitiariatu Baſilicate cum Caſtris hominibus, & vaſallis Domibus poſſeſſionibus terris cultis, & incultis vineis, pratis, paſcuis, nemoribus planis montibus aquis aquarumque decurſibus proventibus juribus juriſdictionibus, & pertinentiis ſuis, que de demanio videlicet in demanium, & que de ſervitio in ſervitium eidem Petro, & ejus heredibus utriuſque ſexus, ex ipſius corpore legitime deſcendentibus, natis jam, & etiam naſcituris, ex cauſa donationis damus concedimus, & donamus de liberalitate mera, & gratia ſpeciali inveſtientes eumdem Petrum per noſtrum ANULUM preſentialiter de terris prædictis, ita quod terras eoſdem a nobis noſtriſque in Regno Siciliæ heredibus, & ſucceſſoribus perpetuo in capite teneant, & poſſideant, nullumque alium preter nos, & heredes, & ſucceſſores noſtros prædictos Superiorem aut Dominum recognoſcant, pro quibus utique terris ab eodem Petro ligium homagium, & fidelitatis recepimus juramentum.*

Nam vel feudum de novo erigitur, & vaſallus noſtri Principis abuſiva non indiget inveſtitura, ſed privilegium dumtaxat conceſsionis, ſeu in feudum dationem ab eo impetrat, atque expectat, Conſt. *dignum lib. III.* 4. (*a*), poſtea in poſſeſsionem ejus mandato immittitur, aut

K 2

(a) Dum Princeps feudum alicui concedit, non paribus, aut alio ritu opus eſt, ſed ejus privilegium, ſeu donatio vim legis, & ſolemnitatum ſupplet. Andr. *in* 1. *f.* 25. §. *ſciendum in fin.*, Capyc.

aut propria auctoritate ingredi, quia Regis privilegium omnis in-

---

pyc. *in* 11. *f.* 55. §. *præterea si quis infeudatus lim.* 3. Exemplum ex Regio Archivo petam, nempe ex Archa A. Marzo 27. an. 1382. n. 2. in quo Carolus III. Carolo Ruffo plura castra, & bona in Justitiariatu terræ Hydrunti, in provincia Vallis Gratis, & Terræ Jordanæ, & in provincia Basilicatæ jure feudi concedit, *cum honoribus, casalibus, castris, fortaliciis, homnibus, vassallis, feudatariis, & subfeudatariis tenentibus feuda, pro quibus, non Regie nostre Curie, sed Principibus, & Domnis principatibus Tarenti, & aliis utiliter Domnis, aliorum predictorum bonorum consueverunt de servitiis respondere, terris cultis, & incultis planis, montibus, pratis, pascuis, molendinis, domibus, possessionibus, vineis, olivetis, silvis, nemoribus, aquis, aquarumque decursibus, censibus, redditibus, querquetis, bactinceriis, tenimentis, territoriis, juribus rationibus, & pertinentiis illorum omnibus, & singulis, que videlicet de demanio in demanium, & que de servitio in servitium, & cum potestate vendicandi, revocandi, & reintegrandi ad jus, & proprietatem dictorum castrorum, & bonorum feudalium omnia, & quecumque bona, que de dictis terris, castris, & bonis per nos concessa fuissent, vel predecessores nostros reges Siciliæ, vel per Principes, & Dominos dicti principatus Tarenti, vel alias personas quascumque minus debite concessa alienata illicite, vel distracta tanquam rem nostram, & ut nostram, damus, donamus, tradimus, & de novo concedimus in feudum nobile, harum serie proprii motus instinctu, de certa nostra scientia liberalitate mera, & quam speciali pro eo valore annuo, quo si de novo feudo fuerint castra, & bona ipsa prout in registris nostris Regalibus annotantur. Et si de antiquo feudo fuerint, prout per inquisitionem de mandato nostre Curie faciendam, vel aliter bona ipsa fuerint valere comperta, & sub servitio exinde contingenti, ad omnem pro singulis viginti unciis annui redditus in bonis stabilibus concessi, de uno integro servitio militari, juxta usum, & consuetudinem Regni nostri Sicilie, ac generalis, & humane pro avite sanctionis edictum de feudorum successionibus in favorem Comitum, & Baronum omnium dicti Regni nostri Sicilie, atque felicis adventus in ipsum clare memorie Domini Regis Karoli primi abavi nostri Comitatus Baronias, & feuda inibi ex perpetua collatione tenentium, factum dudum per Dominum Regem Karolum secundum, & in parlamento celebrato Neapoli publice divulgatum ..... investientes dictum Karolum pro se, & dictis ejus heredibus de presenti nostra concessione, & quam per annulum nostrum modo premisso presentialiter ut est moris.*

Digitized by Google

inveſtituræ vicem gerit. Antequam tamen poſſeſsionem apprehendat, fidelitatis juramentum, ut *in* 11. *f.* 6. ſeu ligium homagium noſtro Regi præſtare tenetur. Nam ſi Regis privilegium vicem inveſtituræ ſubſtinet, hæc concedi non poteſt, quin hominium præſtetur, 11. *f.* 3. *in fin.* P. de Gregor. *de Conceſ. feud. par. VIII. q.* 16. *n.* 1. Rex particularem conſtituit perſonam, ut ejus nomine homagium recipiat, & Commiſſarius *ligii homagii* appellatur, ne Sereniſsimus Rex noſter aſsidue ab hoc detineretur. Praxis ſane apud nos antiquiſsima, & occurrit in Regeſtro R. Ladislai *ſignato* 1393. *fol.* 33. *Ladislaus Rex &c. Magnifico Viro Loyſio olim de Capua militi Vicemgeremti noſtro Ducatus Calabrie Conſiliario, & fideli noſtro dilecto gratiam, & bonam voluntatem. De fide prudentia ſollicitudine, & legalitate tua plenam gerentes fiduciam ab experto tibi cum conſenſu, & autoritate Reverendiſſimi in reſcripto Patris Domini Angeli tituli Sancti Laurentii in Damaſo presbiteri Cardinalis &c. preſentium tenore de certa noſtra ſcientia committimus, & mandamus quatenus a viro magnifico Loyſio de Sancto Severino milite recipias pro parte Majeſtatis noſtre ligium homagium, & fidelitatis debite juramentum juxta formam noſtre Curie in talibus obſervatam, poſt cuius quidem homagii receptionem mandes ipſi Loyſio ut infra certum terminum, per te ſibi prefigendum coram noſtra ſe conferat Majeſtate facturus fieri de receptione dicti homagii duo publica conſimilia inſtrumenta quorum uno tibi retento aliud, ad noſtram curiam debeas deſtinare Inibi pro cautela ejuſdem Curie conſervandum. Data Cajete in abſentia Logothete, & Prothonotarii Regni noſtri Sicilie, & ejus Locumtenentes per virum nobilem donatum de Aretio Legum Doctorem &c. anno Domini Milleſ. CCCLXXXXII. die XVIII. Septembris prime Indictionis Regnorum noſtrorum anno ſexto -- Nos Angelus Cardinalis Florentinus*, Andr. *in* 11. *f.* 20. *n.* 2., Capyc. *in inveſt.* §. *feudorum aſſecurationes*, Montan. *in* 11. *f.* 55. §. *præterea ſi quis infeudatus n.* 39. (*a*).

Præ-

(a) Eadem in Anglia conſuetudo erat, ut Rupertus Senior Bavariæ Dux poſtquam Richardi II. Angliæ Regis homo ligius evaſiſſet, Rex Commiſſarium ad homagium recipiendum deſtinavit, *ad homagium ligium ipſius Ducis in hac parte, ac etiam ad Sacramentum corporale ejuſdem Ducis, pro obſervatione omnium, & ſingulorum promiſſorum, vice, & auctoritate noſtris capiendum, & recipiendum, ac ad inſtrumentum publicum ſub magno ſigillo ipſius conſignatum, ſuper præſtatione, ac factura homagii, & juramenti*

præ-

Digitized by Google

Præstito ligii homagii Sacramento, & apprehensa feudi possessione, Rex Comiti, aut Baroni concedit litteras assecurationis, quæ non realis investituræ vicem occupant, ut vulgo creditur; nam nisi posidenti non permittit, Glos. & Andr. in Const. *Comite lib. III. 24.*, & *in 11. f. 40. n. 2.*, sed tanquam vetus investitura consideratur; ut sicut jure longobardo vetus investitura possessori datur, ita & vasallo, qui auctoritate Regis posidet. Atque si vasallus habeat jus in feudo, hoc investitura confirmat, quum ipsa jus novum non tribuat, sed adquisitum conservet. Proinde assecuratio jus novum non tribuit, & Dominus vasalli possessionem, salvo jure suo, roborat, Andr. *in 11. f. 3.*, Montan. *loc. cit. n. 13.*, nec possessionem producit, sed investituræ vicem obtinet, quatenus primam investituram, hoc est, concessionis privilegium confirmet, ut securius vasallus possideat. Ex his, nisi me opinio fallat, juramenti assecurationis origo deprehendi potest. Nam Principes Longobardi vel jure successionis, vel electionis Principatus, & Comitatus possidebant. Successio erat frequentior adquirendi modus, electio vix obtinebat, sicut ex Anonymo Cassinensi, Erchemperto, Falcone, aliisque ostenditur. Hinc, occiso Sichardo Beneven. Principe, omnis Beneventi Provincia Radelgisum ejus Thesaurarium, sive primum Ministrum elegit, Erchemp. *in Hist.* §. 14. Et in successione non raro tacitus quidam populi consensus interveniebat. Hæc assecurationis consuetudo sub Longobardis nata, sub Normannis adulta, ad nos legibus deinde constituta transiit. Quid enim si Baro, vel Comes in populum odia, aut inimicitias nutriat? Quid si tyrannidem exerceat? Domanium vasallorum impediat, destruat, aut occupet? Populus, postquam semel Regis imperio se subjecit, invitus alteri subiiciendus non est, Grotius *de J. B. & P. lib. II. c. 6. n. 3. & seqq.* Recte itaque in infeudatione Castri, Civitatis, aut Territorii vasallorum consensus religione firmatus requiritur, ut & sua jura, & Baronis conservet; quamvis hodie velint nolint, consentire, & expedito infeudationis diplomate, assecurationis jusjurandum præstare teneantur.

Hoc Assecurationis diplomate, Baro, aut Comes fidelitatis jusjurandum a suis vasallis exigere potest, Imperat. in Const. *Domini a vasallis suis assecurari debent, videlicet de vita, membris, & captione corporis sui, & terreno honore, consilium quod eis crediderint, nulli revelent, & si aliquod siniſtrum de eis audierint, quod per*

prædictorum, petendum, recipiendum, & ad præsentiam nostram deferendum, inquit diploma apud Dumont. *to. II. corpor. univ. diplom. an. 1397.*

Digitized by Google

per ſe, vel per alium diſturbare non poſſunt, eis aut alias pro parte eorum, per ſe, vel per alios quam citius poterunt, nunciare curabunt, non erunt in arte, conſilio, vel conſenſu qualiter Domini terram, quam habent, amittant, imo eam ipſis, contra omnem hominem defendere non poſſe curabunt, ſalva per omnia fidelitate, mandato, & ordinatione noſtra, & heredum noſtrorum lib. III. 18.

Formulam exhibet Fridericus, quæ ſic concipi poteſt: *Ego Titius ſuper hæc Sancta Dei Evangelia juro, quod ab hac hora in antea uſque ad ultimum diem vitæ meæ, ero tibi fidelis contra omnem hominem, præter Dominum Regem, ita quod eum aſſecuro de vita, & membris, & quod non carceretur de perſona, & quod non perdat ſuum honorem, & quod ſecretum ei creditum, & conſilium non revelabit, & quod ſi aliquod ſiniſtrum de Domino audiret, procurabit per ſe, vel alios pro poſſe diſturbare: & ſi id facere non poteſt, revelabit Domino, quam citius poterit: & quod nunquam ſcienter erit in conſilio, vel auxilio, quod Dominus terram, vel domum, quam habet, aut habebit, ipſam amittat: imo ipſum Dominum contra omnes homines defendere pro poſſe curabit, ſalva fidelitate, & mandato, & ordinatione regia, & ſuorum heredum.* Ex qua conſtat (1) homines feudi jurare cogendos illa ſex, incolume, tutum, honeſtum, utile, facile, & poſſibile 11. *f.* 6. (2) hocce jusjurandum non eſſe ligium, ſed ſimplicis fidelitatis, quum vaſalli, ſalva Regis fidelitate, jurent, quæ excepta ſemper intelligitur. (3) Omnes, qui ſub juriſdictione Baronis ſunt, huic juramento obſtringi, ſive feuda a Barone teneant, ſive allodia poſſideant: imo ſubvaſallus duplex tenetur præſtare jusjurandum, fidelitatis, quia vaſallus, & aſſecurationis, quia in feudo bona habeat, & habitet; ut ſi primum interitu, vel refutatione feudi periret, alterum permanere poſſet, Andr. *in* 11. *l.* 6., Montan. *in* 11. *f.* 55. §. *præterea ſi quis n.* 16. & 39., Curt. *in diver. par.* 2. *c.* 2. *n.* 3.

Et quoniam aſſecurationis diploma duplici munitur ratione, juriſdictionis, atque æquitatis, idcirco omnes qui in baronia incolunt, jurare compellendi, ut Baro tutus ſit ab iis, qui in ſuo feudo habitent, nec tamen ſola habitatio in vaſallis hanc obligationem inducit, ſed ſub juriſdictione Baronis reperiantur oportet, 11. *f.* 5. ibi, *ſi vero domeſticus, ideſt familiaris ejus ſit, cui jurat: aut ſi ideo jurat fidelitatem, non quod habeat feudum, ſed quia ſub juriſdictione ſit ejus cui jurat, nominatim vitam, membrum, mentem, & ejus rectum honorem cuſtodire jurabit* (a). Hinc ex-

[a] Aliud tamen obtinet, ſi alius Baro in capite a R. Curia

excipitur Clericus, qui non Baroni, sed suo Episcopo subest *cap. VI. de major. & obed.*, *cap. XII. de foro compet.*, nisi ab eo feudum cognoscat, quum propter feudum Clericus seculari subdatur jurisdictioni, Concilium Rothomag. & Clarom. apud Order. Vital. *Hist. Eccl. lib. IX. ad an.* 1095., & Evermodus Raceburgensis Episcopus Henrico de Anehold. Raceburgensi Comiti hominium praestare renixus est, quia suae Ecclesiae nulla contulit bona, Krant. *lib. V. Wandal. cap.* 42. *an.* 1177., & Charta Ducum Nortmannorum apud Ducheſnium *in Hist. Nortman. pag.* 1060., quam infra referam.

Ex his colligitur (1) quod si in uno feudo Mævius jurisdictionem civilem, Titius criminalem possideat, juramentum assecurationis non Titio, sed Mævio praestandum, qui proprie Dominus feudi vocatur, & utilis Dominus est. Titius vero criminali fruens jurisdictione non Dominus feudi, sed criminalis dici potest. Ratio nostros adhuc latuit; quia jurisdictio civilis, magis naturae feudi cohaeret, proxima est, & similitudinem cum eo dicit, quam criminalis, quae prorsus a feudis removetur, *lib. II. §. 34. tit.* 14. & *an.* 1443. Rex Alphonsus pro Abbate S. Joan. Baptistae in Lamis civilem jurisdictionem in Terra S. Joannis Rotundi habente contra seipsum declaravit, & assidue judicatum apud nos reperitur, Frecc. *de subfeud. lib. II. auct. 2. n. 20. & 21.*, Marad. *Animad. ad singul.* 207. *n.* 30., Capyc. *in invest. loc. cit.*, Afflict. *in* 11. *f.* 7. *n.* 13. (2) Sine Regis mandato Comes, aut Baro a vasallis assecurationem recipere nequit, secus feudo cadit, Const. *Comite lib. III.* 24. *Comite, vel Barone viam universae Carnis ingresso, filii eorum, aut nepotes eorum recipere ab hominibus Sacramenta non audeant, nisi prius de Sacramentis ipsis recipiendis ab Excellentia nostra, prout moris est, obtentis, licentia, & mandato. Quod qui contra fecerit, tam baroniam praedictam, & feudum, quam reliqua bona sua tam mobilia, quam stabilia noverit publicanda.* Sive Baro sit Clericus, sive Laicus, sive simplex feudatarius censeatur.

Ratio legis, quia solus Rex est Dominus personarum Const. *quia frequenter lib. III. 9.*, & recipere fidelitatem nemini, nisi nostro Regi, aut alteri, ejus licentia, permissum obtinuit, quum quodam praeferat potestatis dominium, Petr. de Greg. *de*

---

ria in Castro meo feudum possideat, sicut Const. *post mortem* jubet. Tunc vasalli istius Baronis non mihi Domino castri, sed Baroni jurant, quia Baronis vasalli dicuntur, ut Andreas in Regestris Friderici II. legit, Afflict. *in* 11. *f.* 5. *n.* 12.

Digitized by Google

de Conceſ. feud. par. VIII. q. 16., Afflict. *loc. cit. n. 3. Et ſcias, quod quando moritur Comes, vel Baro in Regno, ſuperſtite filio, vel agnato, caveat filius, vel agnatus, ne recipiat juramentum fidelitatis a ſuis vaſallis ſine litteris Regis: quia ex hoc poſſet regius fiſcus petere, quod declaretur ex hoc perdidiſſe Comitatum vel Baroniam, ut in Conſt. regni Comites, de ſucceſ. Comi. & Baro. Tamen dicta conſtitutio pœnalis non habet locum in prælato ſucceſſore exigente juramentum fidelitatis a ſuis vaſallis; quia non extenditur dicta conſtitutio ad hunc caſum; quia eſſet oneroſa Eccleſiaſticis perſonis, & ideo declaravit Rex Carolus Secundus ad Car. 21. quod Prælati legitima contradictione non obſtante exigunt, quod eis debetur, & poſſunt exigere ſine litteris Regis. Bene concordat cap. Papæ Honorii, quod incipit, omnes Eccleſiæ.* Modus exigendi aſſecurationis jusjurandum, eſt, ſi Rex alicui committat, ut illud nomine Baronis a vaſallis recipiat, Gloſ. *ad d. Conſt. Comite.*

Sic Regina Sancia Aragonenſis Roberti Regis uxor feudum Biniani, & Jamiliſii in Provincia Terræ Laboris in capite tenens a Regia Curia, Aegydio de Binania militi aſſenſu Regis vendidit, ejuſque feudi poſſeſſionem obtinuit. Aegydius aſſecurari a vaſallis a Roberto petiit. Robertus, in Archivo Archa A. Marz. 9. n. 12. an. 1337. 28. ſui Regni 7. April. ind. 5. Andreæ de Sirignano Locumtenenti Aemilii de Baucio Terræ laboris juſtitiarii commiſit, ut aſſecurationis jusjurandum exigi, ſi Regni conſuetudo ſanciret, permittat. Andreas legitimus detentus inquiſitionem Notario Angelo concredidit. *Cum itaque ad executionem predictarum literarum velimus cum diligentia procedere, nec ad id perſonaliter vacare poſſimus diverſis, & arduis negotiis Regiis occupati, executionem eandem vobis de quorum ſufficientia teſtimonium laudis accepimus duximus loco noſtri prout ſubſcribitur fiducialiter committendam, qua fungimur auctoritate ex Regia parte preſentium tenore dantes expreſſe, quatenus ad predicta caſtrum, & caſale vos perſonaliter conferentes, quia conſtitit nobis, quod idem Dominus Egidius per alios ejus nomine non predicta caſtrum, & caſale cum predictis omnibus ad illa ſpectantibus ex prenominata cauſa tenet, & poſſidet ut præfertur, ac recepto demum ab hominibus, & vaſſallis eiſdem pro Domino noſtro Rege, & dictis ſuis heredibus fidelitatis ſolito juramento faciatis poſtmodum dicto Domino Egidio, vel certo ſuo pro eo procuratori aut Nuncio ab ipſis hominibus, & vaſſallis juxta dicti Regni uſum & conſuetudinem aſſecurationis debite ſacramentum præſtari, ubique intendi & reſponderi de omnibus in quibus tenentur & debent, fidelitate regia, prediſtincto quoque feudali ſervitio debito proinde ut premittitur & præſtando & majori ſi majus forſi-*

tan propterea debeatur, criminali jurisdictione prefata, regiisque aliis, ac dicte Regine juribus & cujuslibet alterius semper salvis: de executione vera presentium cum earum forma fieri faciatis tria puplica consimilia instrumenta, quorum uno dicto Domino Egidio, vel ejus nuncio traddito, alia duo nobis celeriter transmittatis, ut uno ex illis nobis retento nostri ratiocinii tempore producendo, Reliquum tertium mittamus Dominis Magistris Rationalibus Magne Regie Curie Neapoli residentibus pro cautela in Archivo ipsius Curie conservandum. Datum Trajecti tercio Aprilis 5. ind. Ad quarum litterarum executionem dictus Notarius Angelus volens procedere reverenter, requisivit nos qui supra judices Notarium & testes subscriptos, ut executioni literarum ipsarum per eum faciende personaliter interesse deberemus visuri ad oculum executionem dictarum literarum per eum exinde faciendam, & de executione eadem ad regie Curie certitudinem, & prefati Domini justitiarii seu ejus locumtenentis predicti ac ejusdem Domini Egidii cautelam faceremus tria publica consimilia instrumenta ut in predictis literis continetur quorum unum dicto Domino Egidio vel ejus nuncio aut procuratori pro eo tradendo, & reliqua duo dicto Domino Andree celeriter transmittenda ut uno ex eis penes eundem Dominum Andream remanente ejus ratiocinii tempore producendo, Reliquum tertium Dominis Magistris Rationalibus Magne Regie Curie Neapoli residentibus transmittendum pro cautela in Archivo ipsius Curie conservandum. Nos autem ejus requisitioni utpote juste annuentes prefato Notario Angelo . . . & nobis presentibus, presente quoque factio de Benano Vicario & Nuncio speciali prefati Domini Egidii de Benano, ad hec per eundem Dominum Egidium destinato prout nobis exinde plene constat; dictus videlicet Notarius Angelus eodem septimo die dicti mensis Aprilis auctoritate literarum ipsarum, recepto prius coram nobis per eum pro parte regie Curie ab hominibus & vassallis omnibus dicti Casalis Jamilisii, quoniam in dicto castro Biniani nemo exinde habitabat pro dicto Domino nostro rege, & dictis suis heredibus fidelitatis solito juramento, fecit prefato servitio nomine & pro parte dicti Domini Egidii & heredum suorum ab ipsis hominibus & vassallis casalis predicti juxta dicti regni usum & consuetudinem assecurationis debito sacramenta prestari, ac mandavit hominibus & vassallis predictis, ut eidem Domino Egidio vel prefato ejus nuncio aut procuratori pro eo respondere deberent, & intendere de omnibus in quibus tenentur & debent fidelitate regia, prediffincto quoque feudali servitio debito proinde ut premittitur & prestando & majori si malus forsitan propterea debeatur, criminali jurisdictione prefata regiisque aliis & dicte

Domi-

Domine regine juribus & cujuslibet alterius semper salvis.

(3) In Baronia successor non cogitur licentiam a Rege obtinere ut a vasallis assecurationem recipiat, intra annum, & diem, ut jure longobardo sancitum est, cum a lege cautum non sit, sed Baro si eam non petit, nec cupit, vasallos sibi jurare, non puniendus, Afflict. *ad d. Const. Comite n.* 11. cum ex *pragm. XIX. de feud.* successor particularis feudi, non universalis huic oneri obstringatur. (4) Sicut Civitas vasalla, Castrum, & universitas per procuratorem jurat, sic etiam vasalli Baroni assecurationem per Syndicum præstant, 11. *f.* 3. §. *personam*, ibi Alvero. (5) rescribitur alicui Officiali, ut homines feudi Baronem feudi possessorem fidelitatis præstatione excipiant, Afflict. *loc. cit. n.* 14.

§. XIX.

De Successoris obligatione.

ACtum hactenus est de novi feudi erectione, ejusque obligatione: nunc de obligatione ejus, qui vel morte antecessoris, vel alienationis titulo feudum adquirit. Defuncto Barone, vel filius, aut agnatus succedens investituræ renovationem a Rege petere non tenetur, sed relevium R. Curiæ solvere, quod loco investituræ successit, quia sicut investituræ renovatio est obsequii, & venerationis recognitio, ita & relevium Seniori officium debitum ostendit, Rovit. *ad prag. IV. de feud. n.* 90., Cypic. *in* 11. *f.* 55. *p.* 55. *limit.* 14., & eleganter Andr. *in* 11. *f.* 1. *n.* 6. *In regno Siciliæ, ubi denunciatione mortis facta, inquiritur de quibusdam Capitulis: si est filius, vel alius heres, ut frater, & de valore feudi propter relevium, & de aliis, nec postea fit alia investitura per curiam, nisi quod mandetur assecurari ab hominibus feudi, quod tenet, & possidet: non ergo investitur, id est in possessionem inducitur: sed cum de novo datur, dicitur in privilegiis istius temporis (licet non in antiquo) quod investivit eum: non tamen est necessarium in regno .... non est dicendum, quod heres ante investituram non possideat: nam aliter non habet literam assecurationis, nisi possideat.*

Soluto relevio, Rex assecurationis diploma concedit, quo filius, aut agnatus a vasallis fidelitatis juramentum expoſcit *d. const. Comite*, nec antea assecuratio permittitur Const. *post mortem lib. III.* 25., Capan. *de jure relev. par. III. q. 6. n.* 6. Et quamvis jure longobardo, si successor intra annum, & diem investituram non petat, feudo cadat, 11. *f.* 55. §. *præterea si quis*, jure tamen regni, salvo feudo, duplex solvit relevium, ut infra docebo. Nec hodie

Digitized by Google

cap. apud Fogiam R. Roberti ſervatur, quo ſanxit, ut ſucceſſor ſtirpis maximus, ſi feudum eſt juris francorum, vel omnes, ſi juris longobardi, neceſſario intra annum, & diem a morte Baronis, coram Rege, vel ejus Prorege ſe ſiſtere teneantur, & ligium hominium præſtare, & deinde juſſu Regis a ſuis vaſallis jusjurandum, aſſecurationis recipere, ſecus feudo privandi, & in *Pand. jur. feud. regni Neap. lib.* 1. *tit.* 14. *l.* 2. *&* 3. dictum eſt.

Mulier quoque, defuncto viro, aſſecurationis Sacramentum præſtare compellitur; videlicet ſi maritus Comes, vel Baro ei dotarium in feudo conſtituit, mortuo viro, uxor vidua, quæ tenet terram ſibi pro dotario conceſſam, aſſecurationem Comiti, vel Baroni præſtabit, vel heredi ipſius mariti, qui in Baronia ſucceſſit: Conſt. *mulier lib. III.* 16. *mulier, quæ dotarium habuerit in terra, poſt mortem viri heredem, vel Dominum Baroniæ de dotario aſſecurare tenetur, videlicet de vita, membris, & captura corporis ſui, & quod non quærat artem, vel ingenium: qualiter prædictum dotarium de Baronia, vel Comitatu ſubtrahatur, ſalvo per omnia mandato ſuperioris Domini.* Nam licet hæc mulier utilis dominii exercitio utatur fruatur, militare ſervitium, hoc eſt adoham, ſolvat, & adjutoria a vaſallis recipiat, tamen ejus dotarium eſt pars totius baroniæ, cui, non niſi jurejurando, ſubiici oportet, quam a feudo ſubtrahi mulieri prohibetur. Nequit vero Comes hoc juramentum ab ea exigere, niſi Regis placitum accedat, *dict. Conſt. Comite.* Quod ſi filii defuncto patri in feudo ſuccedant, mater eos aſſecurare non cogitur, quia, matrem filiis, hoc eſt ſuis viſceribus, vim, inſidias, & læſionem inferre, & ſtruere non ſuſpicatur. Atque ſicut ipſa Comiti jurat, ita a vaſallis ſui dotarii jusjurandum petere valet, & vaſalli ejuſdem dotarii, ſalvo mulieri jure dotarii, Comiti quoque jurabunt *d. Conſt. mulier.* Hodie mulier, defuncto viro, hoc dotarium forſitan in feudo conſtitutum, nunquam poſſidere, nec in illud immitti poteſt. Sed tantum contra heredes mariti agit, ut ſolvant, vel fructus feudi auctoritate judicis ſibi vindicet. Contra ipſum feudi corpus nihil gerere valet, quia feudum eſt individuum, & dividi ex *pragm. IV. de feud.* prohibetur.

Non modo ſucceſſione feudum, etſi improprie, adquiritur, ſed etiam alienatione, videlicet venditione. Si feudum Comes vendit, illius emptor ligium hominium Officiali a Rege aſſignato præſtare tenetur, deinde litteras aſſecurationis obtinere debet. Nam prius Regi a Barone, poſtea Baroni a vaſallis jurari oportet. Atque aſſenſus Regis in regiſtris R. Cancellariæ, & in quinternionibus Re. Cameræ deſcribendus; quæ ſolemnitas in alienatione

neceſ-

necessario requiritur, quique assensus respectu emptoris pro investitura censetur, ut sanxit Granvela in *Prag. XIX. de feudis an.* 1572. 23. *Aug. Ordiniamo, che da quà avanti, tutti e qualsivoglieno Baroni, che per nuovo titolo, e non per successione acquisteranno Terre, e Feudi con vassalli, senza peso, o patto* de retrovendendo *siano obligati fra il termine d'un' anno dal dì della spedizione del regio assenso sopra l' acquisizione predetta spedire* in forma Cancellariæ *le lettere di assecurazione di Vassalli, e mediante quelle prestare l' homagio, e giuramento di fedeltà debito al detto Commissario, giusta la forma delle dette regie lettere in nome di sua Maestà, e consecutivamente ricevere il giuramento di assecurazione di detti vasalli.* Rovit. *ad prag. XXIII. eo.* Marin. *lib.* 1. *resol. c.* 123. *n.* 4.. Excipitur emptor cum pacto de retrovendendo, qui fidelitatem jurare non cogitur *d. prag. XIX.*, Montan. *ad* 11. *f.* 55. §. *præterea si quis infeudatus n.* 35., dicam infra. Quod ligium hominium, & litteræ assecurationis intra annum a die elapsi biennii ad assensus registrationem concessi expediendæ sunt ab emptore, qui novo titulo feudum adquirit, Rosa *consul.* 23. *n.* 65. Nam hodie successor defuncti Baronis jus tapeti, & relevium solvere, non ligium homagium præstare, nec assecurationis litteras obtinere tenetur.

§. XX.

De jure Tapeti.

SOlemnitas conferendi feuda, cum universa populorum moribus innitatur, diversa ob locorum consuetudines apparet, sicut aut meritum Vasalli, aut Principis voluntas quoque suadet. De Hunniade Hungariæ Duce scribit Aeneas Sylvi. *de Statu Europ. sub Frider. III. cap. XVI. in eo conventu Ladislaus Joannem Hunniadem, qui sibi regnum a Turcarum invasione servasset, ad principatus honorem evexit: qui suggesto in magno Foro apud Carmelitas erecto, sede sedens aurea, regali paludamento, ac diademate ornatus Comitatum ei Bistricensem commisit.*

Princeps in Carinthia dum inauguratur, quidam Rusticus marmoreum lapidem in pratis erectum ascendit, (quod munus hereditario jure sibi obvenit) cui a dextra est bos niger, & macer; a sinistra pari macie deformis equa. Princeps ex adversa prati regione, rustica indutus veste, & uti pastor, simul cum suis Proceribus procedit. Rusticus sermone Slavonico, clamat, *quis hic est, cujus tam superbe incessum video. Respondent. Circumstantes, Principem terræ adventare: tum ille, justusne judex est, salutem patriæ qua-*

Digitized by Google

quærens, liberæ conditionis, dignus honore? eſtne Chriſtianæ cultor fidei, ac defenſor: Reſpondens omnes: eſt, & erit: rurſus ille; quæro igitur, quo me jure ab hac ſede dimoveat: ait Goritiæ Comes LX. denariis abs te hic locus emitur, jumenta hæc tua erunt, bovem atque equam oſtendens. Veſtimenta quoque Principis, quæ paulo ante exuit, accipies; eritque domus tua libera, & abſque tributo. Quibus dictis Ruſticus levi alapa Principi data, bonum judicem eſſe jubet: & ſurgens, jumentaque ſecum ducens, loco cedit. Princeps vero conſcenſo lapide, nudum gladium manu vibrans ad omnes ſe partem convertit, æquum judicium populo promittens, narrat Silvius *loc. cit. cap. XIV.*, & Ferr. Montan. *de feud. lib. VI. c.* 1. *in fin.*, aliaque peragit. Ex quibus ſolemnitas rerum allodialium, aut clientelarium inveſtituras conferendi ſatis oſtenditur.

In Regno quamvis inveſtiturarum ritus exoleverit, & homagii præſtatio ſimpliciter celebretur; nihilominus Reges noſtri in conferendis regalium feudorum inveſtituris, aut hominio recipiendo eoſdem, uti lubet, adhibere valent, quod ab invectis apud nos Clientelis actum eſſe ſuſpicor. Exemplum affert V. Cl. Joan. Pontanus *lib. II. Hiſtor. Neapol. Urſus Neapolim ad Regem* (Ferdinandum I.) *profectus juravit de more Neapolitanorum Regum in ejus verba. Ritus vero jurandi, verborumque hujuſmodi eſt formula. Sedet Rex medius regia in ſella, editiore loco conſtituta. Aſſident juxta primi ordines Optimates, ac Proceres. Stant inde purpuratorum frequentes ordines, loco quiſque ſuo: Regis ad pedes, genibus innitens a dextra procumbit parte Epiſtolarum Magiſter, qui nunc Secretarius dicitur: Siniſtra Antiſtes Evangeliorum libros regio in ſinu adſtratos tenens. Horum medius genibus & ipſo ille inniſus procumbit, qui in verba jurat, utraque manu libris adapertis impoſita. Ibi epiſtolarum Magiſter verba præit: quæ juraturus in verba, ſequitur.*

Igitur poſteaquam Urſus regios ad pedes provolutus, palmam in Codice utramque expanſam ſtatuit, tum magiſter præire verba hæc cepit, Urſuſque ea eſt ſecutus: Urſus ego Urſinus, Nolæ, & Atripaldi Comes, Aſculi, Lauri, ac Forini Dominus, illorumque & agrorum, & civium, ac popularium, tibi Ferdinando Regi, liberiſque, ſucceſſoribuſque in regno Neapolitano tuis polliceor, promitto, ſpondeo, pro liberis, ſucceſſoribuſque in hiſce item urbibus, oppidis agris, finibuſque meis fidelem, meque, illoſque utique futuros, tuis illorumque imperiis ubique, me illoſque parituros, atque imperata facturos, cum hiſce urbibus, oppidis, agris, finibus, popularibuſque perpetua cum conſtantia, & fide. Si quid vero adverſus te, illoſve parari fraudis, dolive, inſidiarumve, audiero, ſciero, compertumve ſignificatumve habuero, indicaturum illud e veſtigio, ac facturum

palam

Digitized by Google

palam tibique, illisque: Officia demum obiturum, meque illosque omnia domi, forisque pace, belloque adversum quoscumque ac pro imperio, quæ probi, ac fidelis subjecti jure, lege, natura obeunda, ac præstanda sunt Regi, Deumque his optimumque maximum testem invoco, perque Sacrosancta hæc Evangelia sciens, volens, lubensque verbis conceptis juro.

Atque his dictis manus ipse e libris substulit. Tum Rex Ursi manus utriusque digitis pollicibus apprehensis, suosque intra pollices iis insertis, devinxit illos suis, statuitque super evangelia. Hic rursum Ursus Magistro præeunte verba. Ego me, inquit, cum liberis, successoribusque meis, Ferdinandi Regis mei, Domini mei, liberorum, ac successorum ejus, ligium hominem statuo, dedicoque, eumque me hic sisto. Hæc ter ubi dixit, regios osculatus est pollices, Rexque ore suo illius os excepit, mutuque comiter appellatum dimisit. Hic est effictus jurandi mos in verba Regum Neapolitanorum: quique ligios illorum se faciunt, ipsum hunc servant: dicti inde ligii quod ligatis Reges pollicibus, illos fidei, imperiisque sic suis vinciant, atque obnoxios statuant.

Inolevit quoque apud nonnullas Europæ gentes, ut tempore investituræ, & novi vasalli, aliqua pecuniæ quantitas investienti solveretur; sive pro redemptione, & restauratione feudi, & dum vasallus mutetur venditionis genere, domino quinta pars pretii a venditore, vel emptore præstaretur, quia novum possessorem admittit. Hæc quantitas moribus inconstans est, Cujac. *præf.* 1. *f.* Gudelin. *de feud. par. III. c. 6. n.* 18. Quin etiam lex quibusdam feudis imposita est, ut vel calcaria, par chyrothecarum, vel falconum, aut canis unus, aliudve honoris caussa darentur. In Regno hujusmodi quantitas *jus Tapeti* vocatur, & satis apud nos vetustum existimamus, de quo meminit Ritus R. Cameræ *rubr. de offic. Camer. Item habebit a quibuscumque personis facientibus homagium pro quolibet feudo militari unciam auri unam, de qua medietas debet esse Cambellariorum Regis.* Olim M. Camerario, hodie R. Curiæ solvitur ad herede Baronis, qui in feudo succedit, videlicet pro quolibet centenario duc. XIII., tarenus unus, & grana XV. numerentur, Curte *resol. feud. cap. III. n.* 76., Capan. *de jure relev. par.* 1. *q.* 1. *n.* 25., Afflict. *in* 11. *f.* 40. *n.* 8.

Appellatur *jus Tapeti*, quia dum novus vasallus ligium homagium præstabat, ante Regis pedes Tapetum, seu aulæum, vestem nempe variis coloribus intextam, qua parietes, mensæ, & lecti, vel equi insternuntur, deferre debebat, ut splendidius fidelitatem, & novum vasallitium Principi exhiberet, sicut hodie in Imperio coram Imperatore celebrari solet. Atque apud nos heres Baronis simul

Digitized by Google

simul cum relevio persolvit, nec adoha hujusmodi jus diminuit; ut judicatum invenitur an. 1554. 2. April., Capan. *de jure adobæ q.* 28. *n.* 7., Ageta ad Moles, §. 22. Et quamvis relevium, & jus tapeti diversa sint, ab uno tamen fonte descendunt, nec alterum sine altero constitui potest, nec relevium sine jure tapeti, & viciſſim præstatur, quia ambo propter baronis mortem intra annum, & diem Regi denunciandam debentur. Relevium in recognitionem directi dominii debetur, quo veterem investituram Rex confirmat. Jus Tapeti pro aulæo solvitur, quod ante pedes Regis sternebatur, ubi successor homagium præstabat. Hinc primo jus Tapeti, quam relevii Regi competit, quia jusjurandum fidelitatis confirmationem investituræ præcedit, Thorus *in supplem. compend. decis. Neap. V. jus Tapeti*. Hodie vero solemnitas, ornandi pavimentum tapetibus in domo, ubi nova investitura, & homagium recipiebatur, silet, & jus solutionis dumtaxat remansit, Luca *de feud. discurs.* 28. *n.* 8.

TITULUS XIX.

De Militaribus Servitiis.

§. XXI.

De Tempore belli.

OBligatio cum feudis nata militare servitium constanter respexit, & quamvis in pluribus hodie Europæ regionibus adoha pro eo solvatur; nihilominus, dum senior, aut Supremus Princeps bellum gerere compellitur, vasalli in Regno non adoham, sed personale servitium præstare tenentur, quique si legitime admoniti, comparere renuant, feudo cadunt. Hinc jus commune differt a jure regni; jure communi, est in arbitrio vasalli, vel pecuniam solvere, vel personale exhibere servitium, vel substitutum æque idoneum mittere; jure autem Regni Rex eligit, an adoham, an personale servitium vellet, Montan. *in* 11. *f.* 55. §. *firmiter n.* 27., dicam infra.

Si autem vasallus velit ipse servire, Rex pecuniam nequit petere, quia personale servitium naturaliter feudo cohæret, pecuniæ præstatio ex æquitate descendit 11. *f.* 55. §. *firmiter*, Andr. *in* 11. *f.* 51. *n.* 14., Afflict. in Const. *errores n.* 4. Excipitur, si favor Reipublicæ aliud suadeat, nempe vasallus senectute, infirmitate, aut ætate nimium recente serviendo non est. Aut ad defendendum, pugnandumque miles generosior inveniatur, cui stipendium ex vasalli

Digitized by Google

ſalli pecunia ſubminiſtrandum, Andr. *loc. cit.* Præterea jure Longobardo incerta eſt ſervitii quantitas, nec conſtat, quamdiu vaſallus ſervire teneatur 11. *f.* 28. quot equis, quot hominibus, cujus expenſis, ignorat; [illegible], hoc eſt dimidium reditus unius anni Patrono adminiſtrare debuerit 11. *f.* 55. §. *firmiter*, Cumia *in cap. ſi aliquem V. ſervitii conſueti n.* 18., Montan. *loc. cit. n.* 30.

In Regno autem certum eſt, videlicet, ſi ipſe ſervire velit, debet tribus equis, tribus menſibus, & ſuis expenſis anno ſervire, nec niſi venia Regis, ab exercitu diſcedere. Quod tempus a die computatur, quo *monſtram*, hoc eſt bellici apparatus exhibitionem peragat, & Rex vaſallum ad ſervitium paratum cognoſcat; & Sanxit Carolus II. *in Cap. item ſtatuimus, quod Comites, Barones & alii feuda tenentes ultra tempus trium menſium non teneantur ſervire Curiæ ſumptibus propriis, ſed ſi eos ultra prædictum tempus Curia voluerit in ſuo ſervitio retinere, ipſis gagia debet miniſtrare*, Andr. ad conſt. *hoſtici lib.* 11. 20., *&* *in* 11. *f.* 10. *in fin. &* 11. *f.* 51. *n.* 14., P. de Greg. *de Conceſ. feud. par. VIII. q.* 2. *n.* 20., Cumia *loc. cit. n.* 31., ſicut Libertus ſuo victu, veſtituque operas præſtare debet *l.* 18. *D. de Oper. libert.* Vel ipſe in bello, juſte detentus, ſervire nequit, & pecuniam ſolvere tenetur, nempe X. auri uncias & mediam Andr. *loc. cit. &* 11. *f.* 56. *n.* 57., *&* 11. *f.* 51. *n.* 15., modo ex feudo quotannis XX. uncias percipiat. Nam apud nos feudum XX. unc. annui reditus eſſe debet, etſi Rex caſtrum, aliudve concedere valeat, quod ceptum quotannis contribuet. Si feudum vero non habeat vaſallus, ſex uncias, ſi in reditibus conſiſtat, quinque ſolvuntur, Andr. *loc. cit.*, Capan. *de jure advoba q.* 24. *n.* 9., Montan. *ad d.* §. *firmiter n.* 32.

Hoc militare ſervitium vaſallus præſtat, ſi admonitus legitime fuerit, vel dies interpellavit *d.* §. *firmiter*, & ſi comparere recuſat, feudo cadit 11. *f.* 24. §. *ſed non eſt.* non ipſo jure, ſed cauſſa cognita, Curt. *par. IV. n.* 61., Andr. tamen in Conſt. *ſi vaſallus lib. III.* 19. concludit, Regem, comperta vaſalli contumacia, auctoritate propria feudi poſſeſſionem capere, eique eripere, nec reſtitui, nec audiri, niſi de juſto conſtiterit impedimento, P. de Grego. *de Conceſ. feud. par. VIII. q.* 5. Modus citationis eſt, edictum, vel litteræ ſigillo Regis monitæ, quibus omnes Regni Barones, ut in certo loco, indicta die, atque hora, pugnatores inveniantur. Sic Imp. Frider. II. *an.* 1233. apud Richar. a S. Germ. in Chron. *omnibus generaliter, Prælatis, Comitibus, Baronibus, militibus, tam feudatis, quam non feudatis mandat, ut ad ſe cum toto ſervitio, quod facere tenentur apud Politorum in futuris calendis Februarii accedere ſint parati. Et ad an.* 1243. *menſe Febr. milites omnes, qui*

ſervire tenentur, jubentur ex parte Cæſaris, in Equis, & armis bene parari, ut ire debeant in Kal. Apr. primo futuri ad ſervitium ſuum. Diverſamque militaris ſervitii præſtationem in monumentis, & hujus Regni regeſtis inveni. Fride[illegible] an. 1231. apud Rich. a S. Germ. *loc. cit. mandat generaliter [illegible] qui de feudis ſervire tenentur, tam Prælatis, quam ceteris aliis, ut una decem feuda conferant, de quibus Comes, vel Baro, qui decem feudis præerit, & pluribus, melior, nec non ditior, eligi debeat, & taxari, & præparari ſe debeant in duobus Equis, ſomario uno, & armis, ac ceteris proportionaliter, & habeat pro conredo unius anni unc. L. præfixo termino proximi paſſagii men. Martii in portu Brunduſii præſentandus, ut abinde ſecundum ſuam diſpoſitionem debeat transfretare.* Et *an.* 1228. narrat ipſemet Richardus, *dicto Abbati Caſſinenſi ab Imperatore in mandatis datur, ut centum ſervientes bene paratos inveniat cum expenſis, & armis per annum neceſſariis ad ſervitium Terræ Sanctæ.* Et ad an. 1239. *Barones, & Milites infeudati de Regno per juſtitiarios ſingulos, ut ſe in Equis, & armis præparent, ſummonentur.*

Regale itaque edictum vel Juſtitiariis provinciarum, aut cuidam Baroni, ſive eccleſiaſtico, ſive laico indicitur, ut ſtato tempore, loco armis, & equis inſtructi compareant. Ita Carolus I. *an.* 1279. *M. Apr. XIII. ejuſdem VII. Indict.* (a) apud Turrim Sancti Heraſmi prope Capuam ſcripſit Juſtitiario Hydrunti (ut conſtat ex faſciculo fol. 293.) *Nuper ad aures noſtræ Majeſtatis advenit. Quod nonnulli Comites Barones & Feudatarii Regni noſtri, occaſione mandati noſtri facti tam tibi quam ceteris noſtris Juſtitiariis dicti Regni de mendando eis quod eſſe deberent in armorum & equorum continua apparatu cum toto ſervitio quod pro terris & bonis phrodalibus quæ a Curia noſtra tenent nobis præſtare tenentur & debent & de recipienda ab eis noſtra ipſius ſervitii. Subventiones a vaſallis eorum intendunt exigere. Et eis collectas propterea imponunt & imponere intendunt pro eorum arbitrio voluntatis a nobis inde licentia non petita & abſque celſitudinis noſtre mandato ac contra inhibitionem in hiis per curiam noſtram factam, Quod ferre nolentes & etiam non debentes cum intentionis noſtre non fuerit nec ſit quod ipſi vel aliqui eorum a vaſallis eorum poſtea ſubventiones aliquas exigant vel requirant noſtra conſcientia inconſulta ſet quod tantum noſtram faciant de ſervicio ipſo & in equorum & armorum exi-*

(a) Suſpicor Carolum I. Michaeli Paleologo CP. Imperatori bellum indixiſſe, ſed ob Siciliæ recuperationem a Petro Aragonenſi jure occupatæ, abſtinuit.

Digitized by Google

exiſtant continuo apparatu parati & prompti ad juſſa noſtra efficacite exequenda ſicut in litteris noſtris proinde directis tibi & ceteris Juſtituariis expreſſius continentur (a).

Poſtea, cum hjus regii mandati continuationem caries corrupiſſet, proſequitur, *cum die jovis primo Junii major pars Baronum & pheodatariorum terræ Ydrunti coram me apud Brunduſium convenisſent dicentes ſe velle facere moſtram equorum & armorum ſuorum . . . . debitum & conſuetum ſervitium debitum per eoſdem pro terris & bonis pheodalibus quæ tenent & Regia Curia requirebat ſicut a quondam Domino Guidone de foreſta tempore officii tui dicebant eis fuiſſe injuctum dum quantitatem hujuſmodi ſervitii penitus ignorarent. Judex Jacobus de Gifono Judex & aſſeſſor predicti quondam Domini Guidonis in eodem officio aſſerens predictum ſervicium in quaternis exiſtentibus in ſcrineis predicti Domini Guidonis continentibus inquiſitionem per eum factam in preſentia ejuſdem judicis per partes & membra de annuo valore terrarum & pheodorum Baronum & pheodatariorum ipſorum particulariter contineri. Quaternos ipſos de ſcrineis predicti quondam Domini Guidonis accepit & ſcripto ab eis in ſumma valore annuo terre ſeu pheodi ſingulorum Baronum & pheodatariorum terre Ydrunti ipſum in uno quaterno redegit quem aſſignavit mihi ſub ſigillo ſuo ut juxta ipſius tenorem procederem ad recipiendam moſtram predictam.*

Deinde deſcribit nomina & cognomina feudatariorum, & pecuniæ quantitatem, quam R. Curiæ ſolvebant, cum in bellum ire nollent. Sane diligenter provinciarum Juſtitiarii, vel quiſquis mandato Regis, feudorum reditus, quantitatem, & taxationem inquirebant, ne Regia Curia dolo Baronum læderetur. Imo cura erat, quibuſnam armis, equis, quo colore, quo ſtigmate, Barones ad bellum pergerent. Hinc idem Caroli I. præceptum in dicto faſciculo ſubdit, *cujus quaterni tenorem cum diligentia proſecutus, vidi & recepi moſtram ſubſcriptorum Baronum per eos mihi factam in forma ſubſcripta videlicet. Dominus Iohannes biloctus moſtravit equm unum ad arma de pilo morello balzanum in pede ſiniſtro poſteriori. Coctum in omnibus pedi-*

(a) Conſt. *quamplurium* Baro adjutorium a vaſallis exigit, ſi Regi in bello ſervire contingat. Nec opus erat Regis aſſenſu, ſed Carolus I. uti ex hoc Faſciculo conſtare videtur, vetuit lege ad nos non perducta, ne, ſe inconſulto, peteret. Quod ejus filius Carolus II. in *cap. item ſtatuimus & Cap. Comites, Barones* abrogavit. Hodie ex pragm. Ferdinandi I. & Caroli V. regius aſſenſus requiritur, apud Tapiam *lib. VI. juris Regni tit.* 13. infra dicam.

Digitized by Google

bus mercatum mercu ad M *cobopertum cum cobopertis de bucharano & centato rubeo ad arma ipsius Domini Johannis & ipse erat armatus asbergo. Cervelleria gorgerea. Caligis ferreis super puncto de bucharano cum centato rubeo ad arma ipsius scuto ense & lancea & elmo. Item palafredum unum pili baii oscuri coctum in omnibus pedibus-mercatum merco ad* A.[1] In eodem fasciculo, qui bellicum apparatum, atque expeditionem continet, Barones armati cum diversis armorum speciebus occurrunt, nempe clave ferrea, stivalectis, ferreis cervelleriis, barbuta, juppo, collario, jambereis ferreis, elmo, capello, quibus tunc utebantur.

Tempore belli quisque sui feudi quantitatem ostendere tenebatur: nonnulla enim feuda unum militem, alia duos, tres, quatuor, & deinceps præstare debebant, sicut annuus reditus ab initio perpensus vel major, vel minor erat. Nam feudum jure regni quotannis reddere debet uncias XX. ut affidue investituris regni legitur, licet Rex concedere possit, quod majores reditus contineret, exemplum refert Camil. Tutinus *de M. Comestabuli*. Hæ unciæ computantur, & apparet, quot milites Baro Regi tempore belli præstare posset, quot unciis opus esset ad alendos milites. Hinc dicitur illud feudum unum militem præstare, duos, tres, vel amplius. Hodie hæc computatio cessat, & Baro aliter adoham solvit, ut infra dicam. Sed juvat veterem feudalis clientelæ disciplinam in Regno cognoscere, quibus vera juris nostri principia assequimur. Willelmus II. quum Terræ Sanctæ expeditionem susciperet, Barones Regni recensuit, quorum matriculam ex regio Archivo, sive Regesto sumptam integre refert Carolus Borrellus *in Vindice Neapol. Nobil.* in fine, ex qua nonnulla colligo.

Comitatus Gravinæ.

Comes Gilbertus Gravinensis tenet Cannas, quod est Feudum IX. militum, & cum augmento obtulit milites XVIII. & servientes XVIII.

Idem Comes Gildebertus de Gravina, sicut inventum est in quaternionibus Curiæ. Demanium suum Gravinæ est Feudum militum VIII. Et de Spineaczola IV. militum. Et de Florentia est demanium suum militum IV. Demanium suum de Pulignano est Feudum IV. militum.

Domini de Aquino.

Raynaldus de Aquino dixit, quod tenet a Domino Rege in demanio Roccam Siccam, quod est Feudum III. militum, & hoc quod

Digitized by Google

quod tenet in Insula, & Casali Cantalupi, & tertiam partem Aquini est Feudum III. militum. Et cum augmento obtulit milites XVIII. & servientes XX. Et hoc quod tenet in Valle Gunii est Feudum III. militum.

Landulphus de Aquino, sicut dixit Atenulphus Casertanus, tenet a Domino Rege septem Fratres, quod est Feudum III. militum, & octavam partem Aquini, quod est Feudum I. militis. Et cum augmento obtulit milites VIII.

Atenulphus de Vicoalbo, sicut dixit, tenet Visum Album, quod est Feudum II. militum, & Postam, quæ est Feudum I. militis, & cum augmento obtulit milites VII.

Roffridus de Insula, & nepos ejus, sicut dixerunt, tenent Insulam, & Castellucium, quod est Feudum IV. militum, & cum augmento obtulerunt milites VIII. & Servientes X.

Raynaldus Buccavitellus, sicut dixit, tenet in Insula Feudum II. militum, & de Quarterio Aquini Feudum II. militum. Et cum augmento obtulit milites VIII. & Servientes X.

Simonis Comitis de Sangro.

Comes Simonus Filius Comitis Todini, sicut dixit Hugo Valerius, tenet in Principatu Capuæ Castellum Sangri, quod est Feudum V. militum. Scheniam Fortem [illegible] Sicca in Terra Burrellensi, quod est Feudum I. militis, & Alfidenam in Terra Burrelli, quod est Feudum III. & Barreiam, quod est Feudum IV. militum, & Roccam de Entremonte, quod est Feudum IV. militum, & Roccam de quinque milliis, quod est Feudum I. militis, & Collem Angelum in Alba, quod est Feudum I. militis, & Scamnum, quod est Feudum I. militis, & Fraxinum, quod est Feudum I. militis, & Castrum, quod est Feudum I. militis, & Aversam Curiam, quod est Feudum III. militum, & Bugnaram, quod est Feudum III. militum, & Pilem in Terra Burrelli quod est in Ducatu, quod est Feudum III. militum, & Castellum Taffi, quod est Feudum I. militis. Una sunt de proprio Feudo Simonis filii Comitis Todini milites XXXII. & augmentum milites LXVIII. Una inter Feuda, & augmentum demanii sui obtulit milites C. & Servientes CCL.

Rapolla.

Liardus tenet in Rapolla Feudum pauperrimum I. militis, & cum augmento obtulit milites II.

Sanson de Rapolla tenet pauperrimum Feudum I. militis. Et cum augmento obtulit milites II.

Guido

Guido de Rocca dixit, quod tenet in Rapolla Feudum I. militis, Et cum augmento obtulit milites II.

Milites Venusii.

Palaginus dixit, quod tenet Feudum militis, non tamen integre. Et cum augmento obtulit milites II.

Curia tenet Feudum, quod tenuit Guillelmus Filius Maynerii, quod est I. militis. Et cum augmento obtulit milites II.

Achilles dixit, quod tenet Feudum I. milites. Et augmentum ejus I. Una obtulit milites II.

Uxor Barensis, sicut dixit, tenet Feudum dimidii militis. Et cum augmento obtulit militem I.

Milites Venusii cum augmento sunt IX.

Leo de Fogia tenet Pardam, quod, sicut dixit, est Feudum II. militum. Et cum augmento obtulit mili[illegible] Servientes VIII.

Indicto bello, & cognita singulorum F[illegible]uantitate, Baro, sive pupillus, sive justa de caussa detentus [illegible]stitutum servire potuerat. Ut ex eodem Caroli I. Fasciculo *fol.* 198. *a t.* constat, in quo tutor pro pupillo se exhibuit. *Predictus Dominus Johannes Garzia balius heredis Domini Ranei petri pro parte ipsius monstravit equum unum ad armas pili liardi balzanum in pedibus sinistris anteriori & posteriori & collum in pedibus anterioribus cum cohopertis de Fustaneo rubeo depicto ad lilia alba cum uno equite super eum armato panceria. Caligis ferreis, Collario. Cervelleria. Cappello de ferreo perpuncto de centato rubeo, & Jalino ad lilia alba. Scuto. Lancea. Ense & cutello.* Et *fol.* 299. Dominus Raho per procuratorem comparet, qui ejus nomine pugnat. Et fol. 300. inquit, *Nicolaus de Sominante pro parte Domini Petri Hispani egrotantis monstravit equum unum ad arma pili morelli cum cohopertis de bucherano & idem Nicolaus erat armatus asbergio caligis ferreis. Cervelleria barbuta ense lancea targia & cappello.*

Nec tantum inconstans militum numerus, sed & diversa pecuniæ quantitas sæpe constituitur: Imp. Frider. generalem Capuæ rexit curiam, & statuit, *ut singuli Feudatarii darent pro unoquoque feudo octo uncias auri, & de singulis octo feudis militem unum in proximo futuro mense Maii, in quo ad Terræ Sanctæ subsidium transfretare disposuit*, teste Richard. *loc. cit. ad an.* 1227. Fatendum, ante d. Cap. *item statuimus* Caroli II. & deinceps, Reges nostros, pro majori, aut minori Feudi fructu a Vasallis nunc plures,

Digitized by Google

ra, sunt pauciores, æquitati tamen nixos, militiæ, aut pecuniæ quantitatem expostulasse, simul & Regni utilitas exigebat.

Quæritur est, an Baro extra Regnum servire teneatur? Moribus nimium vetustis apud nos invaluit, non teneri; Matth. Spinel. in Ephemer. Neap. de Manfredo Rege, inquit, *omnes Barones, qui erant in castris recepernnt se ad tentorium Comitis Molisii: conclusumque protestari, quod non obligarentur de Regno egredi ad bellum Papæ infernalem, sed solum ad Regnum defendendum: quo intellecto, fecit Rex modeste tractari, ut Barones reciperent se in domos suas: sibi autem mutuo dederunt non pecuniam, quam secum in expeditione assumpsit.* His nunquam Fridericus II. paruit. Verum si de Regni [illegible] agatur, sive bellum in Regno ardeat, sive timeatur [illegible], præveniatur potius, quam in domo propria expe[illegible]. Aut § Provincia, vel Regnum ab hoste injuste occu[illegible] velit, Andr. *in tit. f. 40. n. 40. & 41.*, Montan. *in d. §. firmiter* n. 35. Demum vassallus ex fidelitatis juramento suum Principem ubique comitari non denegabit, cum non privata, sed publica versetur actione, Ayellus *tract. de jure adobæ n.* 15. Atque hoc in Regno & alibi, Consuetudo maximam juris publici partem occupat

TITULUS XX.

De Adoba.

§. XXII.

Origo, natura, qualitas Adobæ.

Primævo Feudorum jure, Vasallus ipse militare tenebatur præstare servitium. Postea personarum conditione, & justis impedimentis obtinuit, ut per substitutum æque idoneum servire posset. Videlicet Ecclesiastica persona, Universitas, Fœmina, impubes, infirmitas, major Vasalli dignitas, ut supra probatum est, Strum. *S. J. F. Cap. XI. A. IV.*, etsi aulica servitia ab ipsomet Vasallo præstanda sint, Rothi *in Pand. feud. Cap. XVIII. q.* 15., Gudelin. *de feud. par. IV. c. 6. n.* 3.

Supervenit Constitutio Conradi *in* II. *f.* 40., qua in Romandiola, sanxit, *in petendis hostenditiis (hostenditiæ dicuntur adiutorium, quod faciunt Dominis Romam cum Rege in hostis pergentibus) Vasalli, qui cum eis non vadunt. Verbi gratia: in Lombardia de modio XII. denarios: in Teutonica terræ tertiam partem fru-*

fructuum, facta computatione fructuum, solummodo ejus anni, quo hostem faciunt. In Lombardia igitur, si Vasallus in hostem, hoc est exercitum ire nolebat, duodecim denarios, seu dimidium; in Alemannia tertiam fructuum partem solvere deberet. Deinde Frider. I. *in* 11. *f.* 55. §. *firmiter* dimidium reditus feudi unius anni tam in Italia, quam in Alemannia constituit. Hodie itaque Vasallus vel ipse vel substituto æque strenuo, vel pecunia Domino servire valet Alver. *Hotom.* Montan. *n.* 63., & Gamerar. *pag.* 92. *ad d.* §. *firmiter*.

In Regno etiam personale servitium excepit pecuniæ præstatio, idest adoha, cujus origo antiquissima est, exemplo forsitan Conradi apud nos sub Nortmannis recepta. Et in laudata Caroli I. expeditione occurrunt nonnulli Barones, qui [illegible] bellum non iviſſent, pecuniam R. Curiæ solverunt, videlicet

Dominus Hugo Comes Brenne ... uncie cen[illegible] & novem & tareni quinque.

Dominus Thomasius de Brueriis ... uncias centum sexaginta quatuor tarenos decem & novem gr. octo.

Dominus Odo de Soliaco ... uncia ducentum decem tareni sexdecim & gr. tredecim.

Dominus Nardo de Tucciaco ... uncia centum septuaginta gr. octo.

Ybanus filius quondam Domini Leonardi de bononia ... uncie tres tarenus unus & med.

Domina Constantia uxor quondam Johannis Baniardi ... tareni decem & octo.

Ricardus Rolellus ... uncia una tareni tres & med.

Petrus filius quondam Domini Guillelmi de Noa ... uncie decem tareni duo gr. quatuor.

Dominus Simon de bellovidere pro terra quam tenet pro parte uxoris suæ ... unciæ duodecim tareni viginti.

Item idem Dominus Simon pro terra quam tenet ex dono Regis ... uncie viginti octo tareni duo gr. novem. Et deinceps alii Barones describuntur.

Hanc servitii clientelaris consuetudo a Nortmannis ad Andegavenses perduravit. Nos tamen latet, cujusnam quantitatis fuerit, cum regestra Nortmannica tempus subripuerit. Sed obtinuit, quod si quis a regia Curia feudum teneat, quod quotannis XX. uncias auri, hoc est CXX. duc. redderet, tribus mensibus, tribus equis, sumptibus propriis servire cogeretur. Quibus elapsis, si Curia in suo servitio retinere velit, Regis expensis serviet, Carolus II. in Cap. *item statuimus, quod Comites, Barones, & alii feuda tenen-*

tes

Digitized by Google

os ultra tempus trium mensium non teneantur servire Curiæ sumptibus propriis: sed si eos ultra prædictum tempus Curia voluerit in servitio retinere, ipsis gagia debeat ministrare. Hoc Capitulo Carolus II. retinere annuit, quod prius Honorius IV. tempore regiæ captivitatis statuerat, nempe *Barones, vel alii extra Regnum, nec servire personaliter, nec addobamenta præstare cogantur. In casibus quoque in quibus intra Regnum servire, vel addobamenta præstare tenentur, servitia exhibeant, & addobamenta præstent antiquitus consueta, videlicet ut vel tribus mensibus personaliter serviant cum numero militum debitorum, vel pro singulis militibus ad quos tenentur pro quolibet trium mensium prædictorum tres uncias, & dimidiam auri solvant, & hæc ita de cetero inconcusse de nostro præcepto observentur.* Computatio a die lustrationis, sive bellici apparatus, ut Andreæ, & Frecciæ *lib.* 11. *de subfeud. auct.* 5. *n.* 14. placuit, vel monitionis, atque dum a domo sua egrediuntur, ut Lucæ de Penna, contingit.

Adohæ Etymon explicat Moles *decis. R. C. de jure adbæ*, videlicet, omne feudum est reditus XX. unicarum auri, & pro unoquoque feudo Rex unum militem exigit; vel si adoham præstari velit, uncias X. & dimidiam habeat. Sed erant, & hodie sunt Barones, qui integrum Feudum XX. unci. non possident, forsitan jure Longobardo viventes plures heredes illud inter de diviserunt. Rex servitium petebat, tunc omnes conveniebant, & quisque pro portione solvebat, donec unum militem, vel uncias X. & dimidiam Domino præstandas, complerent. Hæc solutio a pluribus simul conjunctis facta, *adoba, adobamentum, adobum* vocatur, Capyc. *in initio. §. feuda adohant*, Intrigl. *cent.* 1. *q.* 45. *n.* 3. (*a*) usu etiam invaluit, ut omne servitium militare in pecunia ab uno Barone, aut feudatario præstitum, sive major, sive minor XX. unciis fuerit clientela, adoha etiam diceretur, Montan. *ad d. §. firmiter n.* 64., Capan. *de jure adohæ q.* 2. *n.* 5. Ageta ad Moles *loc. cit. §. IV. n.* 17. Camerarius *in* 11.

(a) Et Andr. *in n.* 11. *f.* 40. *n.* 13. *in Regno Siciliæ vocantur adobamenta, quæ præstantur in pecunia: quia consueverunt duo, vel tres non habentes feudum integrum, combinare se, & facere unum Militem: quilibet pro paga hujus Militis confert pro rata.* Ab aduno, adunas, & non modo significat onus feudatari, sed etiam collectam Populo, & Universitati a Rege, vel Barone impositam Lipar. *ibi*. Proinde mittebant militem, cum tribus equis atque armis, qui tribus mensibus Regis servitio vacare deberet.

Digitized by Google

f. 55. §. firmiter pag. m. 92. Verum quia multa feuda minoris reditus sunt, ut rei huic succurreretur, inventum fuit, ut multa feuda simul unirentur, ut hæc servitium unciarum decem a quolibet feudo integro solvi posset, itaque stipendia militibus solverentur. Adoa barbaro modo ait conjunctio dicta, sive ipsam conjunctionem in feudis, quæ minoris erant, consideraveritis, sive in his quæ majoris redditus erant, & taxa militum conjungendæ erat ut sciret Curia quot milites ab uno feudatario exigere posset. Et Scip. Mazzella *in Descrip. Regni Neapol. lib. II. pag. m. 330.*

Post Capit. Caroli adoha cepit esse, decem unciarum quantitas cum dimidia realis servitii loco subrogata; & in tribus feudorum speciebus præstari poterat: si feudum esset cum Vasallis XX. annui reditus, X. unciæ cum dimidia; si absque vasallis, sex unciæ, si in annuis reditibus nempe gabellis, dohana, quinque, unciæ exsolvebantur, Andr. *in* 11. *f.* 10. *in fin. secundum usum Regni Siciliæ, quando injungitur servitium, scilicet quando est guerra in Regno, non aliter: si personaliter vadit ad exercitum, tribus mensibus de uno feudo ad expensas sui, scilicet Vas. & feudatarii, ad certos equos suos prout est moris: si personaliter non vadit, solvit pecuniam pro servitio ex causa: nam Dominus non compelleretur recipere aliud pro alio, nec feudatarius solvere ff. si cert. pet. l. 2. §. 1. nec in alio loco C. de sol. usuras & l. cum. est tamen commoditas feudatarii, quia multo plus expenderet, si personaliter iret, sed si vellet ire, non posset cogi ad aliud. Tunc quando pecunia solvitur pro servitio, dat* 10. *uncias, & mediam pro servitio. Feudum communiter est in Regno de* 20. *unc. annuis, & sic remanebunt sibi novem & media. Imo tantum subvenietur ei a vasallis feudi ut in Const. Regni quamplurium lib. 3. Sed si feudum esset in Terra non habente vasallos solveret 6. unc. quia non potest subveniri sibi a vasallis, quos non habet. Si vero esset in pecunia puta* 20. *unc. annuæ in tali dohana, quæ tibi propterea assignetur, solves quinque tantum.* Et eadem explicat *in* 11. *f.* 51. *n.* 14. 11. *f.* 16. *n.* 9. 11. *f.* 56. *n.* 59. ibi Lipar. & Laratha in *Theatro feud. par. XII. dilucid.* 22.

Quoties Feudatarius adoham solvebat, a suis vasallis subventionem exigere poterat, quam statuit Carolus II. in Cap. *Comites, Barones, & Feudatarii si subventionem a vasallis eorum deposcant pro servitio debito quod fecerunt anno illo. Quæ subventio semel tantum in anno præstetur Dominis a vasallis. Habeant enim & exigant a vasallis ipsis medietatem pecuniæ ad quam ascendit servitium præstitum nostræ Curiæ per eosdem; dum tamen non excedat medietatem collectæ* (hoc est unius ducati) *generalis pro nobis, & Curia nostra vasallis*

impositæ anno ipso. Atque si [illegible]datarius majorem subventionem exigisset, damnum vasallis illatum & [illegible] illius quod extorsit, R. Curiæ restituere cogebatur, Carolus II. in *Cap. item statuimus, quod Comites*. Modum generalis in Regno collectæ exponit idem Carolus II. in cap. *Statuimus, mandamus*, casusque constituit Honor. IV. *in cap. ideoque ut omnino*.

Atque sic se res habuit, donec Alphonsus I. an. 1442. in publicis Ecclesiæ D. Laurentii Comitiis precibus Baronum, quorum opera Regnum Neapolitanum, expulsis Andegavensibus, adquisivit, adoham eisdem remisit in *capit. X. Gratianum*. Quod Carolus V. an. 1507. iisdem Baronum votis motus confirmavit, *Cap. X. Grat. Placet, Reg. Ma. quoad jus adohæ illud tempore pacis in perpetuum modo aliquo non imponere, nec exigere tempore vero guerræ serventur jura, Capitula, Constitutiones, & Consuetudines Regni*. Intelligit Cap. *item statuimus*, Caroli II. Et dum Baro tempore belli adoham solvebat, vasallis onus erat pro rata contribuendi, nempe pro quolibet fumante carolenos quinque, Ageta ad Moles §. *IV. n.* 23. Quæ contributio ad Ferdinandum usque Catholicum obtinuit, sub quo liber confectus est, qui *cedularius* dicitur, quique censum omnium Regni Baronum comprehendit, simulque, deducta vasallorum rata, adohæ quantitates describit. Hinc liber Cedularius differt a quinternionibus. Cedularius adohas continet; quinternio feudorum concessiones, pacta, modum succedendi exhibet, Rosa *Consult.* 30. *n.* 4. Ageta *loc. cit. n.* 25.

Sub Ferdinando itaque cum continuo lites Barones inter & Universitates ob vasallorum contributionem oriuntur. Ipse *anno* 1504. vasallorum ratam, sive contributionem reservavit, quæ hodie onera fiscalia, sive quotam a singulis Regni Universitatibus R. Curiæ solvendam constituunt. Nec Barones nunc petere valent, sed provinciarum Præceptores nomine Regis exigunt. Et Adoha supputari cæpit, nempe si feudum cum vasallis esset, & quotannis XX. uncias auri feudatario redderet, pro centum erit 32. deducta rata vasallorum cum dimidia, modo solutio quinque carolenorum a focularibus faciunda medietatem hujus taxæ, sive adohæ non exuperaret. Si enim exuperat, tunc erit 26. $\frac{1}{4}$ duc. pro centum. Si autem rata vasallorum minor erit medietate taxæ, quod minus erit, solvet Baro. Et hodie, provinciarum Præceptores 26. $\frac{1}{4}$ exigunt. Si feudum sine vasallis erit, adoha ad 30. duc. pro quolibet centenario ascendit. Si in reditibus fiscalibus consistit, pro centum 26. $\frac{1}{4}$ æstimatur, Laratha *in Theatro feud. par. XII. dilucid.* 22. *in fin.*, Mazzella *in descript. Regni Neap. lib. II. pag.* 332.

Quoniam adoha reali ſervitio ſucceſſit, idcirco eſt onus non perſonale, ſed reale; & poſſeſſorem ſequitur, & tanquam ſervitus feudo inhæret, a quo, ſine Regis conſenſu, avelli non poteſt. Sapienter Frider. II. in Conſt. *reali* ſanxit, *ſive reali, ſive perſonali actione conventus, & contumax reputatus, ſi infra legitima tempora poſſeſſionem rerum feudalium ob cauſſam contumaciæ, aſſignatam recuperare voluerit, tantum minus nomine fructuum a poſſeſſore requirat, quantum pro ſervitio, quod Curiæ noſtræ de re poſſeſſa debetur, poſſeſſor exolvit. Ad hoc enim, ut ſervitiorum noſtrorum actio non fruſtretur, ab illis feudorum ſervitia debita volumus exigi, qui feuda ipſa quolibet titulo detinere noſcuntur*. Sive poſſeſſor, aut ſimplex detentor cauſſa lucrativa, aut onerosa poſſideat, atque incumbat, modo fructus percipiat. Finge, creditor in poſſeſſionem immittitur, fructuſque lucratur, donec de credito ſibi vaſallus ſatisfaceret; nam ſi fructus colligit, ut principale debitum pereat, non ipſe, ſed vaſallus adoham ſolvere tenetur. Aut ſi ob contumaciam debitoris feudi poſſeſſionem obtinuit, ſed fructus non percipit, etiam vaſallus adoham ſolvit, Roſent. *Cap. Scrad. par. VI. C. 6. n. 70.* Qua de re conductor, ſive ad longum tempus, videlicet decem annorum, ſive breve, ſi fructus lucratur, adoham, non locator, ſolvit, Capan. *de jure adobæ q. 58.*; Ayellus *loc. cit. n. 59.* Fructuarius, uxor pro feudali dotario, ſive a Rege, ſive a Barone recognoſcat, quæ a Domino Baroniæ ſubmonita ſolvere cogitur, Ayell. *loc. cit. n. 56.*, Barth. de Capua ad Conſt. *licentiam lib. III. 15.*, non tamen adohas præteritas, ut judicatum eſt, Capan. *loc. cit. q. 55. n. 10.*

Propterea ſi Baro adoham ſolvere recuſat, a Præceptoribus provinciarum, nomine Fiſci actione reali conveniri poteſt, & pro præteritis contra tertium poſſeſſorem agere, quum onus reale cenſeatur (a). Statim ac inveſtituram de feudo accepit, Fiſcus

(a) In ſingulis enim Provinciis adſunt Præceptores, ſeu Theſaurarii, qui Regis reditus, nempe Univerſitatum quotam, Baronum adoham, relevia, alioſque exigunt, & ad Regis ærarium traſmittunt. Et Conſtitutam a Fiſco notam recipiunt, quantum a Baronibus adohæ, vel relevii exigere deberent. Quique ſub Republica Quæſtoribus ærarii, ſub Cæſare Comitibus Sacrarum largitionum comparari poſſunt *l. 3. C. ubi Senator*. Tacitus *lib. XI. annal.* Wiſſenbac. *ad tit. C. de O. C. S. L.* eadem Comitum provinciarum ſub Barbaris cura fuit, Bignon. *ad Marculf. lib. 1. c. 8.* & prolixe Roye differt. *de Miſſis Domin. paſſim.* Singulis quatuor men-

ſcus tacitam pro adoha ſuper feudi fructus hypothecam conſequutus eſt, qua non Baronem, ſed feudum ipſum proſequitur, Andr. in Conſt. *ſive reali lib.* 1. 103. Ponte *de Pot. Pro tit. de regal. impos n.* 10. *&* 11., P. de Greg. *de conceſ. feud. par. VIII. q.* 4. *n.* 19. quia feudum eſt res fiſcalis, & proinde fiſci privilegio fruitur. Quid ſi Baro ſolvere negat, cum in inveſtitura ſui beneficii de ea nihil occurrit? Nihilominus actio ex reticentia non prodeſt, quominus a fiſco cogatur; nam omnis inveſtitura, quamvis de ſervitio nihil expreſſit, de eo intelligitur, quod fidelitati ineſt, nempe incolume, totum, honeſtum, facile, poſſibile, utile contineat. Fidelitas ſuadet domino per ſe ſerviendum; ſervitium in Regno in pecuniam redactum eſt, ejuſque contraxit naturam; igitur etſi nihil de eo dictum ſit, ſervitium in loco conceſſionis præſtari ſolitum comprehenditur; idcirco vaſallus adohæ ſemper obligatur, Capan. *loc. cit. q.* 35. *n.* 8., Scrad. *par. VI. C.* 6. *n.* 3., Jac. a S. Georg. *§. qui quidem inveſtiti n.* 65.

Et Frider. II. in Conſt. *Conſuetudinem pravam*, poſtquam in feudis tricenalem præſcriptionem admiſit, ſubdit, *ex quibus præſcriptis nullum poteſt Reipublicæ præjudicium irrogari cum apud quemcumque reſideat ſervitium deſignatum, & debitum, quod non eam perſonæ, quam rei ipſum aſcriptum eſſe digneſcitur, minime amitti poterit, vel in aliquo minorari.* Servitium in feudo eſt tanquam evictio in contractu, ut ſicut evictio naturaliter contractui cohæret, ita & feuda ſervitium, quod potius rei, quam perſonæ inhæret. Laratha *in Theatro feud. par. XII. dilucid.* 36. *&* 37.

Ex his colligitur (1) quotannis adoha ſolvenda (2), ab omni feudo exigitur, niſi fuerit francum, ut Hoſpitale, & Domus S. Annuntiatæ Neapolis, ſicut ex Cedulario Baronum conſtat, (3) Ado-

---

menſibus rationem exactionis traſmittunt, & ſi quod ex cauſſa lucrativa adquirunt, non ſcribunt, puniendi ſunt *l.* 1. *C. de apoch. public.* Præceptores vero, & Limenarchæ, hoc eſt Magiſtri portulani, ſingulis menſibus in Regia Camera rationes vulgo *bilancium* exhibent. Et in fine anni totius adminiſtrationis deinde ratio perpenditur, Mutius *ad Surgen. Neap. illuſtr. cap. XVII. n.* 25. In Conſtitutionibus, & Capitulis Regni provinciarum Theſaurarius nuncupatur *Magiſter Camerarius*, poſtea *Secretus*, qui totius Regalis patrimonii curam gerebat, Conſt. *Magiſtri Camerarii*, Conſt. *Magiſtros Camerarios*, *Conſt. dohanæ de ſecretis*. Hic alios Officiales ad regalis reditus collectionem creabat, quos hodie Rationales dicimus, prolixe Joſeph. de Roſa *in prælud. feud. lect. IV. n.* 51. *& ſeqq.*

Digitized by Google

Adoha ſemel æſtimata, nec augetur, nec diminuitur, etſi feudi fructus induſtra vaſalli, vel natura augeantur, vel diminuantur, quia vaſalli calamitas ſicut Regi nocere, ita induſtria ejus vaſallo non debet. Qua de re Valent. *in l. 2. C. de fundis rei privatæ*, reſcripſit natura, vel arte augmentum, vel diminutionem in privato Principis patrimonio, divinæ domus prædiis, ſive regali domanio actam iis, cedere, qui colunt: *Unaquæque villa cum eo onere, vel forma, cui nunc habetur obnoxia, ad novi domini jura migrabit: ut ſi quid adjecerit ſumptus cura, vel ſolertia, quicquid mancipiorum, vel pecoris accreverit, capitationis, aut Canonis augmenta non patiatur, ſed ſolis Dominis, heredibuſque Dominorum ſit ceſſura Felicitas.* Et *l. 16. C. de Omni agro deſer. l. 2. C. de alluvion.*

Præterea in Regno duplex eſt adohæ præſtatio vetus, & nova. Vetus minima erat, cum fructus eſſent exigui; nova contingit, ſi feudum ad Regem, vel lineæ interitu, vel felonia devolvitur. Si iterum Rex jure feudi dare velit, perpenſa fructuum quantitate, adoham augere poteſt, cum apud eum non jure feudi conſideretur, ſed allodii, quod ſi in feudum deinceps concedat, legem apponit, quæ ipſi placet. Aliud obtinet, ſi Baro, vel Comes omnino feudum alienet, aut cum pacto retrovendendi vendat, tunc vetus adoha manet, etſi exigua, nec Rex augere valet. Nam feudum alienatione priſtinas qualitates non amittit, ſed dumtaxat penes emptorem nova clientela ſiſtitt: Et quamvis Camera Summariæ ante Carolum V. novam adoham augere contendiſſet, tamen Imp. Carolus Baronum precibus in *Cap. X. Gratiarum an. 1536.* ſanxit, *placet Cæſ. & Cath. Maje. ut in alienationibus feudorum deinceps nulla ſit differentia in æſtimatione adobæ, inter venditionem, ſeu aliam alienationem, vel ſucceſſionem, ſed idem jus ſervetur, & eadem æſtimatio fiat in adoba in caſu prædicto venditionis, ſeu alienationis, quæ ſervatur, & fiat in ſucceſſione.* Hoc eſt vetus adoha maneat, Revert. *deciſ. R. C.* 300. & 515. prolixe Roſa *in prælud. feud. lect. V.*

Carolus V. eandem Gratiam explicavit *anno* 1540. *cap. 2. in volum. Gratiar. an.* 1540. *Item per togliere le difficultà che poteſſe ponere la Regia Camera ſe ſupplica ſe degne declarare che tutti quelli, che tenono Terre, Caſtelle, feudi, e intrate feudale per compra, o qualſivoglia altro contratto de alienazione, e hanno promeſſo de vendere ſeu retrovendere tam in continenti, quam ex intervallo, etiam ſe lo patto, o promiſſione preditta ſe extengueſſe, e reſtaſſero libere debbano pagare lo adobamento ſeu donativo ſecondo la taſſa antiqua tantum de ditti feudi, etiam per ad quaſcumque manus feuda ipſa ambulaverint cum eadem promiſſione ſeu pa-*

cto,

to, e quando ſe paga lo adobo o donativo in pecunia, come e de juſtitia ſe intenda preſtito ad ſua Maje. pro illo anno militare ſervitium perſonale, quod pro feudo deberetur. Placet Ceſareæ, & Catholi. Maje. & ita jubent obſervari prout fuit conceſſum, per ſuam Majeſta. Cæſ. in parlamento Neapolita. celebrato. Placet etiam quod pro illo anno, quo ſolvetur adoha intelligatur præſtitum militare ſervitium perſonale quod pro feudo deberetur. Et in Archivis Principum Regni ſæpius occurrit formula, quam in aſſenſibus alienationis feudi præſtabant, *natura pheudi in aliquo non mutata, aut ſalvo conſueto ſervitio, ſeu adoha*, Privileg. diverſ. Reg. *ab an.* 1444. *ad* 1451. *fol.* 145.

Quin imo in feudorum devolutione tunc Rex adoham augere poteſt, cum feudum ære alieno non laborat. Si feudum, Creditoribus regio aſſenſu obligatum eſt, adoham augere non debet, ne ipſis noceat, quibus ſatisfacere tenetur, Marin. *in obſerv. ad Revert. deciſ. R. C.* 515. Hieronym. Philipp. *in alleg. apud Marin.* 116. P. de Greg. *de Conceſſ. feud. par.* 1. *c.* 11. *n.* 14., Ayell. *n.* 55., quamvis jure communi, ſi augmentum, vel diminutio plurimum contigerit, militare ſervitium augeri, vel minui oportet, P. de Greg. *loc. cit.* & nos ſupra. Diſputatum, an devoluto ad ſeniorem feudo, ipſe oneribus ſuo aſſenſu a vaſallo contractis ſatisfacere teneatur? In Regno, & Germania præſertim, communi Interpretum ſenſu obtinuit, teneri, Roſa *loc. cit.* Vultej. *de feud. lib.* 1. *c.* X. *n.* 114. quibus in fine *lib. IV.* adhæream. Ne hypotheca legitime ſuper feudo contracta rueret, ne Rex contra proprium factum veniret, & jus creditori vel minueret, vel auferret. Dum Rex conſenſit, *videtur conſentire pro acceptore, & ſuis heredibus*, inquit, Andr. *in* 11. *f.* 8. hoc eſt pro creditore, ne jus ſuum in feudo debitoris ſine Regis aſſenſu evaneſceret. Nec tantum debitor, quam Rex hypothecam conſtituit. (4) vaſallus vel adoham, vel militare ſervitium præſtabit, utrumque Rex exigere nequit, quia non unum, ſed duplex ſervitium tunc peteret, quod vetatur, & ſæpe Regis Camera decrevit, Capan. *loc. cit. q. XI.*

Receptum (5) eſt, arbitrio Regis, vel adoham, vel perſonale ſervitium a vaſallo perſolui, quia Regis voluntate adoha in locum perſonalis ſervitii ſucceſſit, igitur, invito Rege, aliud pro alio ſolvi non poteſt, cum ſit ſervitii creditor, & vaſallus debitor, Afflict. *dec.* 320. *n.* 9., Capyc. *loc. cit.*, quo jure utimur, licet alibi vaſallus eligat, ut ſupra dictum (*a*). (6) Adohæ ſolutio arguit

(a) Ut & idem Afflict. *in* 11. *f.* 5. *n.* 27. *Feudatarius poteſt dico-*

guit rem non allodialem, ſed feudali nexui obnoxiam, quia eſt onus feudi, illudque quaternatum eſſe probat, & pro fiſco eſt juris præſumtio, ſtatim ac adoha in Gedulario reperitur. Secus eſt pro vaſallo, qui tamen in jus vocandus, ut titulum immunitatis oſtendat, cur eam non ſolvat, Afflict. in Conſt. *ſtatuimus lib.* 1. 37. *n.* 10., Intrigl. *cent.* 1. *q.* 45. *n.* 14. (7) ſi eodem anno adoham, & donativum ſolui evenit, unum exigitur, conf. Capan. *loc. cit. q.* 13. Ex his conſtat, ab adoha maximam Regii Domanii partem conſtitui, qua Clementiſſimus Rex noſter onera Regni ſuſtinet.

TITULUS XXI.

De Relevio.

§. XXIII.

Origo, natura, & qualitas relevii.

ANte inveſtum jus Romanum in Europæ populis nulla propemodum rerum traditio præſertim immobilium celebrabatur, niſi inveſtitura, quæ civilis adquirendi modis dicitur. Imp. Guido *lib.* 1. *LL. Longobar. tit.* 37. *l.* 12. *de Cartis vero interdicimus, ut nemini liceat alienas res præſumptive invadere, occaſione cartulæ ab eo factæ, qui inveſtituram legitimam non habens dignoſcitur invaſiſſe.* Ludovicus *in lib.* 1. *tit.* 34. *l.* 3. *lib. IV. Capp. tit.* 34. Alteſer.

---

dicere domino Regi tempore guerræ, nolo ſolvere adobam, ſed vel ſervire perſonaliter pro ipſo feudo militari ad meas expenſas tribus menſibus: tunc non poteſt Rex dicere, volo quod ſolvas. Et ſi feudatarius habet feudum quod eſt valoris unciarum 40. ſolvat uncias 21. vel ſerviet ſex menſibus, & ſic de ſimilibus. Et feudum valet uncias 10. ſerviet, pro uno menſe cum dimidio. Licet Regnicolæ dicant quod quando feudum non eſt, valoris unciarum 20. tenetur ſolvere adobam in pecunia: quia fit coacervatio feudorum, ut faciant unum militem, & ita utitur in Regno. Et e converſo ſi Rex velit, quod vaſallus ſerviat perſonaliter, & ipſe vult ſolvere in pecunia dictam adobam, non poteſt compelli Rex, ut recipiat pecuniam, ſed tenetur omnino ſervire perſonaliter, ſi ad hoc ſit aptus: quia aliud pro alio invito creditori ſolui non poteſt, tribus menſibus Baro expenſis Regis ſerviet *Cap.* Caroli *item ſtatuimus, quod Comites & Barones, & alii feuda tenentes.*

Digitized by Google

teſer. *de O. F. cap. VII.* Jac. Gerckenrod *diſſert. de feudis ligiis* §. 16. Et qui inveſtituram acceperant, Domino feudi, vel prædii cenſiti, aliquid, nempe convivium, vel Falconem, vel par chirothecarum, vel canem venaticum, vel equum, vel enſem aliudue præſtare ſolebant. A quibus rebus pecunia deinde æſtimatis orta ſunt laudimia. Olim enim feuda hereditariam ſucceſſionem ignorabant; proinde Dominus, defuncto vaſallo, tamdiu fructus feudi percipere poterat, quamdiu feudum alii vaſallo non erat collatum. Inducta ſucceſſione, invaluit vaſallum aliquid Domino præſtare, quod Laudimium dicitur, quaſi gratia Senioris in feudo ſuccederet, Chriſtoph. Lorber *Inſtit. jur. German. feud. lib.* 11. *tit.* 32. §. 287. *in not.* Et ſicut olim feudorum, ita & allodiorum utile dominium non niſi ad tempus, vel vitæ dies dabatur, quod, etſi poſtea mutatum ſit, remanſit tamen conſuetudo, ut novus poſſeſſor inveſtituræ renovationem peteret, cujus nomine in bonis cenſitis *laudimium*, in feudis *relevium* ſolveretur, quaſi poſſeſſio a Domino redimebatur, aut vetus confirmaretur. Nam *veſtire* eſt confirmare, & *veſtitura* feudi eſt confirmatio teſtibus adhibitis facta, Gudelin. *de feud. par. III. c. 6. n.* 13., Heinec. *Elem. jur. Germ. lib. II. tit.* 4. §. 119., Lindenbor. *in Gloſſ. veſtitura*, Buddingh *diſſert. de Orig. & nat. contract. feud.* §. 161.

In jure Longobardico relevii ſolutio nunquam legitur, non tamen prorſus latuit: nam *in* 1. *f.* 24. filius ſine maſculo decedens, relinquit filiam, quæ in feudum patris non ſuccedit, *niſi a Domino redemerit*, & in 11. *f.* 15. filia partem feudi accepta a Domino pecunia, recipit. Sed hæc redemptio non in filiis, aut agnatis ſervatur, ſed in iis, qui alioqui jus ſucceſſionis non habent, Cujac. *ad d.* 1. *f.* 25., Gudelin. *de feud. part. III. c. 6. num.* 13. Cardin. de Luca *de feud. diſc.* 59. *num.* 10. (a).

(a) In feudis Zelandicis, deficientibus maſculis liberis. *Filiabus, vel his non extantibus, agnatis maſculis, redemptionem intra ſemeſtre tempus poſtulantibus, præmiumque conſtitutum offerentibus ex gratia ſpeciali denuo conceduntur. Ad hanc vero redemptionem filiæ pariter admittuntur: ſed inter agnatos, vel cognatos unus præ reliquis gradus atque ætatis habet prærogativam: admittitur tamen remotior, ſi præcedens ſuo jure uti nolit. Hæc autem redemptio decimarum feudalium nomine ſolis datur fratribus inter propinquos laterales, nec cuiquam remotiori agnato, vel cognato jus illud competit ..... Elapſis ſex menſibus, quibus redemptio non fuerit*

per

Ceterum omnis investituræ renovatio gratis, non pretio faciunda, sive Domini, sive vasalli persona mutetur, Scrad. *par. VI. c. 3. n.* 24., Jac. a S. Georg. §. *qui quidem investiti n.* 59., Rosent. *cap. VI.* 66., Roth. *in Pand. feud. cap. XVII. q.* 28. Ab hoc jure municipalis Europæ constitutio discessit, & statuit, ut quoties vasalli persona successione mutaretur, toties aliquid pretii Domino in recognitionis, atque obsequii tesseram præstaretur, quod a primæva clientelarum conditione, & nonnullis Romanorum officiis non abhorret. Olim enim nulla in feudis dabatur successio, & si filius, aut agnatus succedere vellet, denuo Dominus investire debebat, ob cujus grati animi beneficium, ut in allodiis laudimum, ita in feudis relevium inductum videtur. Idque non a *laude*, ut Struv. *S. J. F. Cap. X. A.* 12., & Kloc. de *erar. lib. II. c.* 42. *n.* 1. sed a *laudando*, quia Dominus, dum illam pecuniam accipit, laudat & approbat novum Vasallum, & ea Vasallus Dominum recognoscit, Roth. *loc. cit. q.* 27., Peller. ad Kloc. *loc. cit.* (*a*). Atque hæc consuetudo in Germania, Gallia, Anglia, Italia, Flandria, Hannonia, Scotia, Regno Neapol., & Siculo viget, Rosent. *loc. cit.* Capan. *de jure relev. par. I. q.* 1., Gudelin. *loc. cit. n.* 18.

Jure Romano qui militiam adquirebat, aliquid pro *introitu* solveret *l.* 102. §. 2. *D. de leg.* 3. Militia hic est publica quædam exercitatio, populi, vel Principis auctoritate constituta, cui annua salaria, aut ex annonis publicis, aut aliunde erant assignata, vendi, pignorari, alienari, ad heredes transire poterat *l.* 22. *D. de leg.* 2. *l.* 11. §. 16. *D. de leg.* 3., Charond. *Verosimil. lib.* 1. *c.* 14. Plin. *lib. X. ep.* 112. (*b*). Moribus vero hæc solutio pro introitu, seu acci-

---

per filias, vel lateales propinquos postulata, neque pretium oblatum hæc feudo plenissime jure Principi committuntur, inquit Christin. *to. VI. dec. belg. in fin.* ubi clientelarum aliarum nationum onera in alienatione, aut successione describit.

(a) Laudimium, quod sæpe *laudum*, *laudes*, *leudum*, *leudesamium*, *laudominium*, *litimonium* dicitur, erat etiam illa fructuum præstatio, quam Coloni Domino solvebant, unde ager ille *servilis* moribus Germanis, atque aliorum æstimabatur, Tacitus de M. G. *Frumenti modum Dominus, aut pecoris, aut vestis, ut colono injungit*, Ciron. ad *Cap. IV. de Censibus in* 5. *Collect.* qui tamen non recte in legibus Longobardorum feudalibus eandem mercedem usurpari contendit.

(b) Nam vetus consuetudo erat Romanis aliquid præstandi pro in-

Digitized by Google

accipiendi feudi possessione appellatur *relevium*, *relevamen*, *& relevamentum*, a relevare, hoc est in caduci feudi possessionem a Domino immitti, quum morte vasalli jus feudi ad Dominum rediret, & caducum fiebat, consensiente autem Domino, certo pretio hæres caducum prædium feudale relevabat, hoc est quasi jacens resumebat, conf. Dufres. & Spelm. *in Gloss. h. v.*, Matth. Paris *ad an.* 1100. de Henrico I. qui abrogatis Conquestoris legibus, cui successit, scribit, *si quis Baronum meorum, Comitum, vel aliorum qui de me tenent, mortuus fuerit, heres suus non redimet terram suam, sicut facere consueverat tempore patris mei, sed justa, & legitima relevatione relevabit eam. Similiter & homines Baronum meorum legitima & justa relevatione relevabunt terras suas de Dominis suis.* Et Joann. ejusdem Regni Rex, *si quis Comitum, vel Baronum nostrorum, sive aliorum tenentium de nobis, in capite per servitium militare, mortuus fuerit, & cum decesserit, hæres suus plenæ ætatis fuerit, & relevium debeat. Habeat hereditatem suam per antiquum relevium; scilicet hæres, vel hæredes Comitis de baronia Comitis integra per centum libras; hæres, vel hæredes Baronis de baronia integra centum marcas; hæres, vel hæredes militis de feudo militis integro per centum solidos ad plus; & qui minus debuerit, minus det, secundum antiquam consuetudinem feudorum;* Paris *in vita Joannis*. Et Lex Willelmi 1. in Anglia jussit, ut de allodialibus Rex etiam relevium haberet, prolixe Selden. *in*

---

ingressu, vel militiæ, vel artis, officii, corporis, sive Collegii adscriptione, quod vel militiæ, vel Collegii Rectori, vel omnium lucro cedebat. Sic Theodos. *in l. 9. C. de proximis Scrinior.* sanxit, supernumerarium, qui in defuncti locum in officio sacri scrinii succedit, quinquaginta solidos proximo scrinii, mallo proximo autem, vel Adjutori quæstoris, vel viginti, vel quindecim solidos offerre, sicut consuetudo jubet. *Pulveraticum* erat duorum solidorum quantitas, quæ servis dabatur, qui se militiæ offerrent, Pithæus *in Glossar.* Cujac. *IV. Obs.* 18. Bened. Levita *ad lib. VII.* Capp. Franc. Caroli M. 219. Cleri quoque, atque Episcopi pro ordinatione, atque inthronizatione aliquid præbebant, quod cathedraticum dicitur. Cum illud ob adeptam Episcopalem, vel Archiepiscopalem Sedem, vel Thronum solverent. Justinian. his moribus annuit *Novel.* 56. *&* 123. *c.* 3. Ciron. *in parat. Decr. de Censibus*, Nat. Alex. *sec. XV. & XVI. disser. IX. art. VI. n.* 17. & D. Gothofred. *ad Edictum XIII. Justiniani c.* 7. varias hujusmodi prælationum species refert.

Digitized by Google

Notis ad Eadmer. Hiſt. Novor. dicam *in tit. V. S.* (a). Apud Scotos Rex donec novus vaſallus ad an. XXI. perveniſſet, ipſe fructus feudi jure relevii percipiebat, Ciron. *ad cap. IV. de cenſibus in 5. coll.*

In Regno relevium non jure ſcripto, ſed moribus a Nortmannis, niſi decipiam, ortis, qui in regionibus noviter quæſitis induxere; ſi excipias Conſt. *poſt mortem*, de qua infra. Deſcribitur, *honorania penſio, quam novus vaſallus Domino introitus cauſſa in feudum, morte alterius vaſalli anteceſſoris, præſtat* (b). Inveſtituræ enim renovatio, in poſſeſſionem feudi immiſſio, & juramenti fidelitatis receptio cum ſenioris animum defatigent, merito relevium, hoc eſt merocedem expoſtulat. In Regno autem vaſallus inveſtituræ renovationem petere non tenetur, ſed loco inveſtituræ ſucceſſit ſolutio relevii, Andr. *in II. f. 1. n. 6.*, Rovit. *ad Pragm. IV. de feud. n. 90.* Sed an ſit onus intrinſecum, perſonale, an reale? diſſentio eſt: videtur onus a natura feudi abhorrens, quia conſuetudine, non regulis feudalibus inventum eſt. Nihilominus eſt onus intrinſecum, quum ex contractu inter ſeniorem & vaſallum oriatur, & dum vaſſus inveſtituram accipit, ad feudi onera, & præcipue relevium, ſe obligat. Sicut enim mores feudis originem, progreſſum, & formam dederunt, ita & ipſi alias addere proprietates poſſunt, Capan. *de jure relev. par. I. q. 6. n. 16.*

Cenſendum quoque eſt onus non perſonale, ſed reale; ex quo realis actio fiſco adquiritur, quidquid ceteris arrideat. Eſt enim feudi tributum, quo feudum *ſervile* exiſtit. Eſt prædium vectigale, quod ſolvere debet, non ejus poſſeſſor, *l. 7. D. de Publican.* Nam Frider. in d. Conſt. *poſt mortem*, in feudo quaternato *ſecundum quid*, onus eſſe declaravit, & in feudo *ſimpliciter quaternato* etiam idem voluiſſe intelligitur. Si eſt onus feudi, poſſeſſorem ejus ſequitur, ergo reali actione conveniri poteſt; cum hodie de natura Neapolitanæ clientelæ, evaſiſſe dicatur, & ita judicatum eſt, Capan. *ibi. q. 7. n. 20.* Biloct. *concl. feud. XVIII. n. 2.*, Ageta *ad Moleſ.*

(a) Smith de Republ. Angl. lib. III. 7. ubi de Reditibus Britanniæ ſcribit: *Tertio ex relevio, ut vocant, ideſt pretio, quod in feudis recogaſcendis ſolvitur, ut quidam equeſtrium numerum* lx. *milia eſſe prodiderint.*

(b) Hanc penſionem Baro Regi præſtat, quin a vaſallis ſubventionem exigeret, quia Conſt. *quamplurimum* hunc caſum non comprehendit. Secus Baro pœna dupli fiſco applicanda puniri poteſt, Carol. II. in capit. *item ſtatuimus*, Afflict. *in II. f. 40. n. 8.*

Digitized by Google

lef. §. 21. *q.* 8., Ponte *de Pot. Pror. tit. de Regal. impoſit. n.* 13. Et ſucceſſor ſolvit, ſi poſſidet, ſi feudum alius poſſidet, Fiſcus contra poſſeſſorem agit, Cardin. de Luca *de feudis diſc.* 28. *n.* 3. Sicut in emphyteuſi competit domino actio hypothecaria contra tertium poſſeſſorem, ut cenſum, vel laudimium conſequatur, quia canonis, laudimii, decimarum, & collectarum onera rei, non perſonæ cohærent, & quemcumque afficiunt poſſeſſorem, Ponte *loc. cit.*

Relevii quantitas apud nos eſt fructuum medietas illius anni, quo vaſallus decedit, domino faciunda, hoc eſt, non ipſi fructus, ſed eorum æſtimatio, cum relevium in pecunia conſiſtat. Et ſi nulla, aut parva erit fructuum perceptio, eo anno, quo vaſallus vita functus eſt, R. Camera tres annos coacervare ſolet, & ex fructibus trium annorum, relevii quantitatem deducit, Andr. in Conſt. *poſt mortem*, & *in* II. *f.* 40. §. *ſimiliter n.* 14., Biloeta *loc. cit. n.* 4., Barth. de Capua ad Conſt. *minoribus lib.* III. 30. Ex lege Willelmi in Anglia ſtatuitur, *de relevio baronis quatuor Equi cum ſellis*, & *frænis*, & II. *loricæ*, & II. *galeæ*, & II. *ſcuta*, & II. *lanceæ*, & II. *enſes*, & II. *aliæ res*, *unus Equus venatorius*: & *unus palafrenus cum frænis*, & *capiſtris*, Seldenus *loc. cit.*

In Gallia melior equus, aut bos, arbitrio ſenioris; qua de re loci conſuetudo inſpicienda. Fructuum nomine continetur omnis reditus, ſive naturalis, ſive induſtrialis, ſivi civilis, qui ex feudo percipitur, venatio, piſcatio, ſida, diffida, bajulatio, lapidicina, modo naſcatur, & renaſcatur, cretiſodina, nix, arena *l.* 7. §. 13. *D. ſolut. metri. l.* 9. §. 2. *D. de uſufr.*, oleum, ex olivis vaſalli feudalibus, vel tappeto, animalia a ſeniore, vel vaſallo feudi culturæ, & fœcunditati perpetuo deſtinata, P. de Grego. *de Conceſ. feud. par.* VII. *q.* 1. *n.* 8., Caſan. *loc. cit. par.* IV. *q.* 1. Verum ſi Baro criminalem dumtaxat jurisdictionem in caſtro habeat, aut civilem tantum, aut utramque poſſideat, & alter ipſo feudali caſtro utatur. De fructibus utriuſque jurisdictionis non ſolvit, ne gladii poteſtas, & jus dicendi pretio æſtimetur, & quia ex induſtria, & labore Baronis hujuſmodi reditus, ut tranſactio, compoſitio, & mulcta in delictis preveniunt, nec renaſci dicuntur. Sed qui ex caſtro fructus recipit, ad relevium tenetur, Frecc. *lib.* III. *auct.* 2. *n.* 42., Intrigl. *tent.* II. *art.* 2. *n.* 639., Moles *dec.* 4. *de jure relev.*, Capon. *de dote q.* 8. *n.* 56.

Jure Longobardo inveſtituræ renovatio ſicut intra annum & diem petenda, I. *f.* 22. ita in Regno relevii ſolutio facienda, denunciata Baronis morte, intra annum & diem, quod tempus a die mortis vaſalli feudi poſſeſſoris computatur, modo

ſuc-

ſucceſſor, integro anno, ſupervivat. Nam ſi ipſe intra hunc annum, & diem moriatur, novus ſucceſſor integrum etiam annum, & diem habet, & quamvis duo vaſalli deceſſerint, unicum tamen præſtatur relevium, quia ſucceſſor non ex defuncti providentia, ſed ex edicto ſucceſſorio ad feudum invitatur, Andr. *in* 1. *f.* 22. *n.* 1., Jac. a S. Geor. §. *qui quidem inveſtiti n.* 34., Rovit. *ad pragm.* 1. *de offic. Procur. Cæſar. n.* 6. Quæſitum eſt, an civili, an naturali morte vaſallus obire debeat, ut & ſucceſſio, & relevium ingrediatur? Obtinuit, naturali: cum d. Conſt. *poſt mortem* ſimpliciter de morte meminerit, nec appellatione mortis venit civilis, niſi in jure exprimatur *l.* 121. §. 2. *D. de V. O.* Hinc ſi vaſallus forjudicatur, deportatur, aut monaſterium ingrediatur, Filius, aut agnatus, qui ingreſſor potius, quam ſucceſſor dicitur, relevium non ſolvit.

Obligatio itaque ſolvendi relevium heredibus incumbit; heres ſi in feudo tantum inſtitutus eſt, non autem in allodio, ſolvit relevium, & ut heres univerſalis cenſetur, etiamſi titulo legati feudum ſibi obveniat. Modo in aſſenſu Regis ſuper legato adſit clauſula, *ſalvo relevio*, ſecus legatarius relevium non præſtat; cum legatarius ad onera non teneatur; nec inveſtitura indiget, cujus vicem gerit Aſſenſus, Minadoi ad Conſt. *in aliquibus v. de ſucceſſione n.* 53. quicquid Capanus ſenſiat. Nam feudum eſt jus univerſale, & ſucceſſor ejus in univerſum jus feudi, quod teſtator tempore mortis habet, ſuccedens dicitur; ſive hic heres fuerit in inveſtitura vocatus, & ſuccedit virtute legis; ſive extraneus, & conſenſu domini admittitur, quum vaſallus ſive inter vivos, ſive cauſſa mortis de feudo, niſi aſſenſu ſenioris, diſponere nequeat, Frecc. *lib.* 11. *cauſ.* 3. *n.* 21., Capan. *loc. cit. par.* 1v. *q.* 10. Attamen acriter diſputatum eſt, an refutatarius ob refutantis mortem relevium ſolvere teneatur? Regula conſuetudinis eſt, ab eo relevium non ſolvi, qui ex contractu feudum obtinet, ſed qui ex ſucceſſione vocatur, Andr. *in* 11. *f.* 3. *n.* 7., Intrigl. *cent.* 11. *art.* 5. *n.* 1028., P. de Greg. *de Conſuet. feud. par.* v111. *q.* 3. 16. *de jure relev. n.* 3., Rolent. *cap.* v1. 66. *n.* 8. Conſuetudo in ſucceſſione, non in contractu hoc onus induxit: is, cui feudum refutatur, ex contractu, non ut ſucceſſor conſequitur. Hinc ſi pater feudum filio refutavit, mortuo patre, filius non ſolvit relevium, aut ſi filius decedit, cui pater non jure ſucceſſionis, ſed reverſionis ſuccedit, etiam non tenetur.

In Regno deinde aliter conſtitutum, cum ſæpe in fraudem R. Curiæ refutatio, donatio, allique contractus fierent. R. Camera cavit, ut hi contractus, clauſulam contineant modo morte refutantis, vel donantis relevium ſolvatur, Bammac-

mac. *ad* 11. *f.* 26. §. *beneficium a vasallo q.* 1. *n.* 45. . Et *an.* 1557. a Rege sancitum, feuda a Patre filiis contemplatione matrimonii ex quolibet contractu refutata, aut donata, esse ejusdem naturæ feudi antiqui, ac erant penes patrem, et morte patris relevium solvi. Ante hanc gratiam Regni Feudistæ disputabant, an deberetur relevium, hodie necessario præstatur, Carolus V. *an.* 1557. *in pragm. xv. de feudis, Placet Regiæ, & Catholicæ Majestati, quoad donationes tantum quæ ei filio concedantur, qui immediate proxime patri succedens erit ea tamen lege, ut in hujusmodi assensibus præstandis, cum donator discedat e vivis Regiæ Curiæ relevium servetur*, ibi Marad., *singul.* 170., & Constanti., Ponte *de Pot. Pror. tit.* VIII. *n.* 13. Nec refert, an refutans refutatario, donator donatario & vicissim succedat. Etenim refutans in feudo refutato succedit, ut heres, quia refutatione in refutatarium dominium transiit, 11. *f.* 39. Si iterum recipit, heres dicitur, qui non jure reversionis, sed successionis admittitur, etsi improprie reverti videatur, quia ad eum redit, a quo exivit, Andr. *in* 11. *f.* 50. *n.* 7. & in Sicilia servatur, P. Greg. *de Concess. feud. par.* VIII. *c.* 16. *jur. rel. num.* 3. Tapia *lib.* VI. *juris Regni tit.* 21., sive pater, sive avus, sive frater refutent (a).

Excipiuntur casus, quibus relevium non debetur, (1) si uxor feudum in dotem dedit viro, morte viri, non solvit relevium, quia non succedit, nec in dotali feudo est ei heres, cum domina feudi manserit, sicut nec pro dotario, dum assecurationem petit, And. in Const. *post mortem*. Capan. *par.* IV. *q.* 11. *n.* 13. *de jure rel.* (2) si feudum est ex pacto, in quo vasallus, non ut heres, sed ex pacto, & contractu primi acquirentis succedit: & consuetudo loquitur de jure hereditario, quod frequentius est; licet Capan. *par.* IV. *q.* 26. *n.* 49. dubitare non sinat. Cum in feudo ex pacto investituræ recognitio, & quædam successio, intervenit, quibus relevium præstatur, etsi hereditaria desidat qualitas. Merito: jure Longobardico successor feudi ex pacto, & providentia renovatio-

(a) Hinc a Fisco apponitur clausula, *salvis juribus R. C. exigendi relevium secuta morte donantis*. Et est in arbitrio Fisci an refutantis, an refutatarii mortem expectare velit, ut relevium petat. Cum refutatarius uti heres consideretur. Sicut Richardus Mareschallus Henrico III. exoratus, *tandem Rex mutato consilio, metuens, ne pacem Regni turbaret, susceptit homagium ejus, & fidelitatem, & ei omnia jura sua, salvo sibi relevio debito, concessit*, inquit, Matth. Paris *in Henrico III.*

Digitized by Google

vationem petere cogitur. Huic renovationi consuetudo Regni relevium subrogavit, nec perpendit, quo jure, an hereditario, an ex pacto, an mixto vasallus succedit. Relevium est onus feudi cui diversa succedendi ratio nihil detrahit, Tapia *lib. VI. jur. Reg.* 20. *num.* 13.

(3) Si feudum, tempore petendi investituram, ab alio possidetur, quia relevium est medietas fructuum illius anni quo vasallus decedit, si successor non est in possessione, sed alius, merito hoc onus agnoscere non tenetur; verum Fiscus a possessore exigit, Rovit. *ad prag.* 1. *n.* 11. *de Off. Procur. Cæsar.*, modo successor possessionem recuperare non neglexerit. (4) Si vasallus feudum, consulto Rege, extraneo donavit, morte donantis, relevium, nisi reservaverit, non debetur, quia de extraneo *d. prag. xv.* nihil sanxit, Capan. *par. IV. q.* 37. *n.* 12. (5) si unus succedit alteri, non jure hereditario, sed accrescendi, dum pars deficiens ad alterum migrat, quia in relevii solutione, ut heres succedat necesse est. Qua de re, qui jure accrescendi succedit, nec investituram petere, nec sacramentum præstare tenetur, quum hæc onera jam persolverit, Andr. *in* II. *f.* 3. *n.* 6., Capyc. *in invest.* §. *feudorum jus accrescendi*, *Ayellus de jure adobæ n.* 82, Montan. *in* II. *f.* 55. §. §. *pretered*, *si quis infeudatus n.* 49. & proprie non jus adcrescendi, sed expressa, vel tacita concedentis voluntas appellanda, & proinde non ut feudum antiquum, sed novum, de quo relevium non solvitur, considerandum, Laratha *in Theat. feud. par. XII. dilucid.* 50.

(6) Heres feudatarii, qui feudum vendiderat cum pacto redimendi, sive suo, sive hereditario pretio redimat, sibique acquirat. Tempore enim mortis feudatarii, cui succedit, non dominium feudi, sed jus tantum luendi vindicat, quod fructus non producit. Nec relevium hic medietas fructum dici potest, nec heres feudalis existimatur, cum nullos fructus feudales percipiat, Tapia *lib. VI jur. Reg.* 20. *n.* 19.

(7) In usufructu feudi, ut si Mævio est plenus ususfructus, Cajo est minor usufructus feudalis, si Cajus decedat, Mævius relevium solvere non cogitur. Nam non jure hereditario, sed consolidationis dominium recuperat, nec nova indiget investitura, & Cajus feudi possessor, & fructuum perceptor solvit, nec nova acquisitio dici potest, Capon. *de dote q.* 8. *n.* 65. Capan. *par. IV. q.* 13. (8) Emptor feudi non solvit, quia non universalis, sed singularis successor est, Capon. *de dote q.* 8. *n.* 60. Tappia *jur. Reg. to. VI.* 20. *n.* 14. (9) In Regno, prætermissa Prudentum disputatione, relevium non solvitur, nisi onera feudi deducantur, & expensæ; an vita & militia, an adoha,

Digitized by Google

an paragium? Infra dicam, Bilocta *loc. cit. n.* 13.

(10) Nuper probatum est, in feudi refutatione relevium persolvi, cum in fraudem Fisci facta præsumatur. Verum, si bona fides aliud suadet, præsumtio silet, & refutatarius non soluit relevium, nempe pater filio feuda refutat, ut nobiliores iniret nuptias, aut reverentiam, meritæ, obedientiam referret, *Pragm. XX. de feud. ann.* 1779. Moles *in D. R. C. de jure relevii* §. 21. *q. 9. num.* 5. & olim Andreæ, Afflicto, aliisque placuit. Pragmatica tamen requirit refutationes in quinternionibus Regiæ Cameræ describi intra *xv. dies*, ex quo celebratæ sunt. Aut si pater filio primogenito feudum refutat, cum assensu non indigeat, licet certam quantitatem quotannis sibi a filio præstandam reservaverit, nec relevium solvit Marad. *Sing.* 173. Dolus est, si refutatio tempore adversæ valetudinis contingat, si omnia feuda, vel majorem partem refutat *arg. l.* 59. *D. Saluto matrim.* conf. Capan. *par.* IV. *q.* 18. *&* 19.

Nunc ad pœnam: jure longobardico si intra annum, & diem investitura dolo, aut culpa non petitur, causa cognita, vasallus feudo cadit II. *f.* 24. II. *f.* 40. II. *f.* 22. §. *ult.* II. *l.* [illegible] *pr.*. Sed Clementia nostrorum Regum, salvo feudo, duplicatum exigit relevium, quod primum Rex Robertus induxisse videtur, cujus Capit. refert Ayell. *de jure adobæ n.* 72. *Nonnulli spiritu cupiditatis assumpti, & fraudem committere non verentes præsertim contra Fiscum nostrum, qui est publicis utilitatibus præcipue deputatus pro bonis feudalibus, quæ a Curia nostra tenent quodammodo occupata, seu usurpata pro certis retroactis temporibus non præstiterunt servitium, seu adohamentum pro illis Curiæ nostræ debitum. Aliqui vero diminutè solverunt. Quidam successionis tempore non fecerunt pro illis homagium, nec præstiterunt in Camera nostra relevium. Alii bona feudalia, sine assensu nostræ Curiæ vendiderunt, alienaverunt, & in alios transtulerunt, tales, & alias fraudes similes committendo. Nos autem volentes non ad privationem Terrarum ipsarum in præmissis casibus, sed ex benignitate nostra ad compositionem procedere, fidelitati vestræ præsentium tenore committimus, & mandamus, quatenus in præmissis casibus, & similibus pro parte Curiæ nostræ cum uno ex Thesaurariis nostris componatis secundum ordinationem nostræ Curiæ in his habitam. Vel alias secundum conditionem, hoc est qualitatem negotii... Dat. Neap. X. Novemb. X. indict.* Et ad Marinum de Diano, Thomasium de Salerno, & Robertum de Mileto rescribit (*a*).

(a) Aliud ejusdem Regis Clementiæ diploma reperi *in Regesto*

Digitized by Google

Præterea simile ejusdem Principis decretum refert etiam Ayel. n. 72. *Supplicat Maj. Regiæ P. de Stella cum annis jam sæpe quinque vi-*

---

sto signato 1329. E. fol. 15. Robertus &c. Universis presentes literas inspecturis tam presentibus quam futuris cum subditis nostris gratiose libenter affectu Dominico agimus & eorum onerosa dispendia quantum possumus evitamus sane deducto pridem ad majestatis nostre notitiam, quod tres quarte partes Castri Bricculi de Justitiariatu Aprutii Ultra flumen Piscarie propter cessationem solutionis relevii & quod per errorem quatuor annis preteritis ipse partes in apodixas Thesaurariorum nostrorum scripta non fuerant licet pro illis una cum certis aliis bonis cum quibus permixtum tenentur a Curia esset integre adobamentum debitum persolutum erant ad manus nostra Curie rationabiliter devolute. Nos nolentes quod contumacibus contumacia prodesset set benemeritis rependia provenirent attendentes quoque grata utilia & accepta servitia Pisani Gerardi de Neapoli & Johannis de Sancto Germano Secretariorum, ac Roberti de Gondricuria Clerici familiarium fideliumque nostrorum quæ prestiterant hactenus Majestati nostre prestabant tunc & sperabamus eos in antea prestituras eis & ipsorum heredibus ex eorum corpore legitime descendentibus utriusque sexus quartas partes predictas dedimus & donavimus gretiose. Subsequenter autem dicti Pisanus Johannes & Robertus post nostram concessionem hujusmodi cum Gentili de secto milite qui partes ipsas tenuerat & premisso modo defecerat volentes amabiliter & caritative agere in hac parte ad certam cum illo devenire concordiam cedentes sibi jus quod competebat eis in eisdem partibus ex nostra concessione jamdicta. Ut apd eum partes hujusmodi remanerent, nostro tamen ad id assensu & beneplacito reservato. Supplicaverunt itaque dicti Pisanus Johannes & Robertus & Gentilis ut assentire dicte concordie & supplere defectum circa premissa huc usque commissum. Sicut premittitur de benignitate solita & caritate dominica dignaremur. Nos igitur petitiones supplices nostrorum fidelium ad exauditionis gratiam affectu benivolo admittentes, premisse concordie non obstante quod super feudalibus processisse noscitur assentimus de certa nostra scientia illamque de speciali gratia confirmamus supplemusque defectum circa premissa huc usque commissum ut premittitur gratiose. Volentes & declarantes expresse quod de ceteto dictus Gentilis suique heredes legitimi dictas quartas partes immediate ac in capite a nostra curia teneant sub consueto & debito feudali servitio seu adoha dudum curie nostræ pro ipsis quartis partibus cum servitio debito pro aliis suis bonis feudalibus permixtum prestitit per eum-

Digitized by Google

vixerit Dominus Bartholomeus de Fossa Ceca tenens & possidens a Curia nostra cast . , seu Casalia , mortuus fuit. Et Nicolaus de Fossa Ceca filius non dum dictæ nostræ Curiæ denunciavit obitum dicti patris sui, nec alii ejus fratres, nec fecerunt inde homagium , nec solverunt relevium , nec a dicto tempore mortis dicti patris eorum fecerunt servitium pro illis prædictæ Regiæ Curiæ debitum , ex quibus omnibus dicta Castra, atque Casalia sunt ad manus ipsius Curiæ rationabiliter devoluta, & fuerunt servitiorum intuitu , omne jus, omnemque actionem , quod , & quæ dictæ Curæ nostræ competeret , dicto Petro de Stella concedere de gratia speciali dignaremur, & mandare Curiæ Vicariæ, quod ad revocationem dictorum bonorum feudalium , & Castrorum procedat justitia mediante , decretatio talis est . Non intendimus quod Barones regni propter tales defectus bonis feudalibus priventur , dummodo velint defectus hujusmodi emendare , & non in ipsis defectibus perdurare (a).

At quæsitum est; si duo in solidum de feudo investiti sunt , utroque decedente , & quisque suum heredem reliquit , qui ambo etiam in solidum in feudo juris Longobardici successerunt, si unus relevium solvit, an alteri prodesset, ne duplicati relevi pæna committatur? Ex Paulo *in l.* 4. §. 1., & Pomponio *in l.* 5. §. *ult. D.*

eundem Juribus aliis nostræ Curiæ & eodem servitio seu adoba & majori si majus seu majus ipsi Curiæ debentur & cujuslibet alterius juribus semper salvis. In cujus rei testimonium præsentes licteras fieri & pendenti majestatis nostræ sigillo jussimus communiri.

Datum Neapoli per manus Jobannis Grilli de Salerno Juris civilis professoris vicem gerentis protbonotarii Regni Siciliæ anno Domini MCCCXXVIIII. die X. Junii XII. Indictionis Regnorum nostrorum anno XXIX.

(a) Hinc Afflict. in 11. f. 52. §. *quoniam n.* 8. *Voluit sapientissimus Rex Robertus, quod quando Vasallus sine aliqua caussa justa, non præstiterit servicium, vel diminutum præstiterit, vel non petierit confirmationem infra annum & diem, vel similes defectus commiserit, quod Curia ordinaria etiam sine licentia Regis potest ipsos Vasallos componere pro qualitate feudi, & personæ, dimisso ei feudo, quia Rex non vult pati, quod Barones Regni vel vasalli Regis propter tales defectus feudis exheredentur , dummodo velint defectus hujusmodi emendare , & non in ipsis defectibus perdurare . Et ista decreta Regis Roberti habeo in capitulis suis , quorum unum incipit significamus: aliud incipit in alia petitione.*

Digitized by Google

de V. O. decidendum, qui tamen [illegible] Paulus, inquit, ſi pœnæ promiſſor, pluribus relictis heredibus, deceſſerit, & unus contra ſtipulationem fecerit, quæ rem, ſeu factum individuum continet, pœna utrumque obligat, quia quod in partes dividi non poteſt, ab omnibus quodammodo factum videtur. Pomponius vero docet, ſi ſortem quis promiſit, & ea non ſoluta, pœnam: ſi unus ex reis promittendo portionem ſuam ſolvit, alter non ſolvit, adverſus utrumque pœnam committi. Interpretibus hic hæret aqua, & magna excogitandi libertas abſorbet, vid. Langebekium *Annot. cap.* 37.. Charond. *Pareroſ. lib.* 1. *c.* 21.. P. Grangian. *Parad. jur. civil. c.* 69.. Curt. *Conjectur. lib. II. c.* 1.. Gordon. *præterm. jur. civil. c.* 16.. & Taurel. *Enarrat. ad Catonem, & Paulum.*

Placet Giphan. ad *d. l.* 4. & 5. Si ſtipulatio eſt facti dividui, eique pœna acceſſit, heredes promiſſoris non in ſolidum, ſed eos tantum, qui contrafecerint ad pœnam teneri. Si ſtipulatio conſiſtit in re, aut pecunia, cui pœna appoſita eſt, tunc pœna adverſus utrumque, tam qui conditioni paruit, quam qui ceſſavit, exigitur. Diſtinctionis ratio inter factum & rem, eſt: quia in re ſeu datione ſi aliter conſtitueretur, fieret injuria ſtipulatori, ſed in facto ei nulla infertur injuria; quam ſolutio per partes facta habeat incommoda: in facto, ſi ab uno coherede ſatisfactum eſt, & ſtipulatoris nihil amplius intereſt. Hæc ratio in feudis viget; Dum enim duo Barones commune feudum poſſident, ſi unus relevium ſolvit pro portione, ceſſante altero, pœna duplicati relevii contra omnes committitur, quia Domino moleſtia infertur, Capan. *par. v. q.* 12. *n.* 6. Rex enim in feudi conceſſione pœnam tacite adjecit, ut, non ſoluto relevio, ſucceſſor duplicatum ſolveret. Quo pacto ſibi adverſus ſolutionem minutim faciendam proſpexit, ne ex ea damnum pateretur *l.* 3. *D. Fam. erciſ.* Sicut ſi debitor partem dumtaxat creditori ſolvit, pignus tamen creditor non reſtituere cogitur, obligatumque in ſolidum penes ſe adhuc manet, quaſi debitor nihil ſolviſſet *l.* 19. *D. de Pignor.* Rex eſt Creditor relevii. Obloqui quiſque poſſet: Vaſallus ſucceſſor partem ſuam ſolvit, nec delinquit, cur puniendus? Non recte: imo delinquit, quia conditionem in inveſtitura appoſitam ſolvendi relevium, non per partes, ſed integrum, eluſit, non ſervavit.

Quoniam, cauſſa cognita, duplex relevium ob inveſtituram ſtatuto tempore non petitam, perſolvitur, conſtat admitti moræ purgationem, quæ æquitati innititur, æquumque eſt fidelem clientem non contumacem, ſed obſequioſum a Rege recognoſci, Vultej. *lib.* 1. *c.* 11. *de feud. n.* 25. Sylvan. *de feud. recognit. q.* 27. *n.* 3., Intrigl. *cent.* 1. *q.* 95. *n.* 96. An intra biennium, an triennium, aut

aut longius, aut breve tempus, ex circumſtantiis arbitrio Judicis relinquitur, ſive litis conteſtatio, ſive Regis noſtris interpellatio intervenerit. Nec uſuras præſtare cogitur, quia ob moram hæc pæna inducta eſt, & odia coarctari, non extendere licet *cap.* 15. *de R. S. in* VI. Verum ſi legitime vocatus relevium ſolvere renuat, feudo privandus, quum ſenioris juſſa contemnere audeat, conf. Capan. *par. V. q.* 18. Imo, lapſo tempore petendi inveſtituram, ſi vaſſallus petiit, & non obtinuit ob ſenioris impedimentum, nec duplex relevium ſolvit 1. *f.* 22., quia jus Longobardicum, & Regni conſuetudo petitionem dumtaxat exigit; mortem vaſalli denunciare, fidelitatem præſtare, & relevium ſolvere paratus eſt, Andr. *in d.* 1. *f.* 22. *n.* 10., Roſent. *cap.* VI. *concl.* 60. *&* 65. Tutinus *de M. Comeſtabuli*, & Frider. in Conſt. *poſt mortem lib. III.* 25. mortis denunciationem, & bonorum cenſum requirit, cetera ipſe Rex curabit, modo tempore apto, & honorifice inveſtitura petatur. Reliquæ excuſationum cauſæ ex vaſalli, & ſenioris parte ſuperius recenſentur.

Jure Longobardico impubes intra annum, et diem renovationem petare non tenetur, 2. *f.* 26. §. *ſi quis deceſſerit*. Pubes vero ſive minor XXV. an. ſive major, petere debet, ſecus feudum amittunt. Hoc temperamento, ut minor illud reſtitutionis beneficio recuperare poſſit, major, niſi alia, quam ætatis, cauſſa, ſe excuſat, repellendus, Ferr. Montan. *lib. III. de feud. c. b.* Vultej. *lib.* 1. *c.* 7. *n.* 108. Et quoniam in Regno duplicatum relevium propter ſucceſſoris contumaciam, illatamque ſeniori injuriam perſoluitur; cum intra annum, et diem Baronis mortem non denunciavit. Idcirco pupillus adverſus non petitam inveſtituram reſtitutionis beneficium impetrare potuerit *arg. l.* 1. *C. ſi ad verſ. delict.* At cum id ſæpius dolo tutorum R. Curiæ noceret, R. Camera ſub Carolo V. reſidente Reverterio Bartholomæi Camerarii jam perduellis ſucceſſore, *an.* 1530. in controverſia Principis Sulmonæ ſtatuit, pupillos ſtatim a die aditionis feudi ad relevii ſolutionem cogi, ac ſi majores eſſent, Laratha *in Theatr. feud. part.* XII. *diluc.* 46. Quod deinde, lege lata, confirmavit Comes de Villamediana *anno* 1651. *in pragm.* 76. *de offic. Proc. Cæſar. Ordiniamo, che i detti Balii, e tutori debbano per l' auvenire fare la debita denuncia fra il ſudetto tempo ſtabilito dalle leggi, e coſtume del Regno, cioè il pupillo debba pagare ſolo il ſemplice relevio, e quello di più, che importaria il duplicato, che doveria pagare, ſe foſſe maggiore, lo paghi il detto ſuo Balio negligente in fare detta denuncia, una coll' intereſſe, al che ſia tenuto de proprio, ſenza poterlo ripetere dal pupillo, e ſuoi beni, ne poterſegli rimettere in tutto, ne in parte*, Marad. *ad ſing-*

Digitized by Google

gul. 301. *&* 311. *d. pragm.* 76. Rovit *ad pragm.* 1. *de Offic. Procur.* (a).

Modus relevium ſolvendi eſt; Succeſſor defuncti mortem R. Curiæ denunciat, fructuum illius anni, quo vaſallus deceſſit, indicem exhibet, petit inveſtiri, & offert relevium. R. Camera, deductis collectionis oneribus, & expenſis, illud declarat, inſpecto collectionis fructuum tempore; & Præceptoribus Provinciarum jubet, ut de fructuum valore inquirent, & in pecunia numerata exigit, quod & poſtrema ætate conſtituit Carolus II. *an.* 1666. *in Cap.* XIV. *Gratiar.* Quod ſi vaſallus ſolvere negligat, aut moretur, R. Camera Commiſſarium ad fructuum ſequeſtrationem mittit, Capon. *de dote q.* VIII. *n.* 56. Tapia *lib.* VI. *jur. Reg.* 20. Camil de Curt. *reſol. feud. cap. III. n.* 54.. Capan. *par. II. q.* 13. Franch. *dec.* 121. *n.* 11. Et quia relevium eſt quædam recognitio, ſicut inveſtituræ renovatio; conſtat etiam deberi, etſi vi divina, aut culpa hominis nulli legantur fructus, Marad. *ſing.* 310. *&* 311. Capon. *de dote q.* 8. *n.* 64. Nam licet relevium dicatur medietas fructuum, tamen ex fructibus non præſtatur, ſed perpenſo feudi valore, quot eo anno fructus reddere poterat, Capon. *par. II. q.* 5., Franch. *loc. cit.* Aut Fiſcus Fructuum medietatem, perpenſis anni præcedentis fructibus, petit, Moles *in deciſ. R. C. de jure relev.* §. 21. *q.* 1.

Denique actio, qua Fiſcus relevium petit, naſcitur ex quaſi contractu, quia Succeſſor cum omnibus feudi creditoribus contrahere videtur, dum feudo ſuccedit. Fiſcus eſt creditor relevii, quod ob mortem vaſalli, peracta inveſtitura, & hominio, ab herede exigit. Naſcitur, ſecuta morte, exercetur, dum hæc ſolemnia ſucceſſor agit. Eſt realis, qua contra quemcumque poſſeſſorem convenit, Ponte *de Pot. Prer. tit.* IV. *n.* 13. Eſtque hypothecaria, quam ſemper Fiſcus pro omni tributo ſibi debito, & actione ex contractu nata vindicat *l.* 1. *&* 2. *C. Ex quibus cauſ. pign.* Sive ſimplum, ſive duplicatum relevium petere contingat, aut contra ſucceſſorem, aut tertium poſſeſſorem agat, Moles *loc. cit. q.* VIII. *n.* 8. En alter fons, ex qua maxima Regii domanii pars emanat, ærarium efflorescit, & regalium redituum copia creſcit, quibus pacis bellique præſidia Rex noſter tuetur.

TI-

(a) Hinc apud nos textus in 21. *f.* 26. §. *ſi minori* ceſſat Capon. *de dote q.* 8. *n.* 63.

Digitized by Google

TITULUS XXII.

De Vita, & militia.

§. XXIV.

Origo, natura, & qualitas vitæ militiæ.

INventis in Europa feudis, alia ſuccedendi ratio Romanis ignota ſe exhibuit, nempe mares, excluſis fœminis, admitterentur, ut familiarum duratio, & ſplendor vigeret, domi, & militiæ bonum ſervaretur. Nec tantum mares, ſed inter eos ſtirpis maximus ex francorum moribus ſuccederet, hinc jus primogenituræ viſum eſt. Ne tamen naturæ vinculum læderetur, iiſdem francorum moribus, ut primogenitus *vitam* ſecundonato præſtare quotannis teneretur. Sane nihil ad generis conſervationem aptius, ad domus ornamentum ſplendidius, ad poteſtatis præſidium firmius, & ad divitiarum copiam ſapientius excogitari in Regnis, Principatibus, & feudis potuit, quam jus primogenituræ, & appanagii, ſive *vitæ*, quod Romanos latuit. Ut primo Natus ſuccedat, paternos annulos accipiat, donatis aliquo munere junioribus, ſive maſculis, ſive fœminis, ne prorſus a paternis bonis exularent. *Hæc domeſtica lex, majorum eſt pactionibus, teſtamentisque tabulis ſancita a liberis inter ipſos ſeriatim obſervata, ſeculorum vetuſtate confirmata: ut multorum Procerum ſecundogeniti panagium caperent ſolum a patre, fratre natu grandiori, aliove familiæ capite: donati panagio, nullum præterea hereditatis judicium dictarent*, inquit, Choppin. *de Doman. Franciæ lib.* 11. *tit.* 4. Bruchner. *de domaniis Regni Germanici c.* 5. §. 16. Merito Choppinus *domeſticam legem* appellat: nam ſi Collegia, Civitates, municipia leges condunt, cur pater in ſua domo legem condere non poſſit? qua æternitatem ſuæ familiæ communicare præoptat, cum familiæ nihil niſi collegia fuerint (a). Hunc

(a) Exemplum exhibet Chronicon Hirſaugienſe *ad an.* 1482. *Eberhardus Barbatus Comes in Wirtenberg bonus prudens, & aſtutus conſilio ſciens quod juxta dominicam ſententiam omne regnum in ſeipſo diviſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet: Cum Principatus Wirtenbergenſium eſſet in duo partitus, quomodo in unam revocaretur monarchiam prudenter excogitavit. Habebat enim duos ex patruo nepotes, ut dictum eſt ſupra, Eberhardum videlicet Comitem, & Henricum, qui unam partem tenebat Comitatus, Stutgardiam ſci-*

Hunc morem in noſtro Regno primum Nortmannorum populus adprobavit, deinde Frider. II. in Conſt. *Comitibus lib. III. 21.*, & Conſt. *ut de ſucceſſionibus lib. III. 27.*, in quibus tanquam de jure ſatis vetuſto loquitur. Militiam vero Fridericus apud nos primum conſtituit d. Conſt. *Comitibus* & Robertus *in Cap. alienationis actus*.

Hujuſmodi primogeniti onus deſcribitur, *annua præſtatio, in pecunia debita, vita durante, ſecundogenitis fratribus a fratre primogenito ſuccedente in feudo parentum ſecundum jus francorum, conſequenda ſuper fructibus feudi*, Capan. *de Vita, & mil. q. 1. num. 4.* Vita, & militia differunt; vitæ appellatione continentur alimenta, ſuſtentatio: militia militare ſervitium oſtendit, quod ſecundonatus Domino præſtare obligatur. And. *in d. Conſt. Comitibus*, P. de Greg. *tract. de vita, & milit. q. 1. n. 1. & 2.* An vicem alimentorum, an legitimæ portionis ſubſtineat? Diſſentio eſt. Inquam ego: poſtquam tetritoria, caſtra, & civitates feudali titulo adquiſita placuiſſet, ut ad unum ex familia maximum perveniſſent, neceſſario erat inferendum, ſecundonatis nullum jus adeſſe, non quia indigni exiſtimarentur, ſed quia ſic talis ſucceſſionis indoles ſuaderet, idcirco vita non poteſt legitimæ portionis loco ſubrogari.

Nam legitima eſt quota bonorum, non hereditatis; vita & militia eſt quota fructuum. Legitima ex bonis defuncti, ex corpore hereditatis detrehitur; vita & militia non ex corpore feudi, ſed fru-

---

ſcilicet cum pertinentibus ad eam. Ipſe vero poſſidebat Urach alteram Comitatus partem cum oppidis, & caſtellis, & viculis ſuis. Conſilio itaque ſenioris Eberhardi conſenſientes Junior, & Henricus Comitatum diviſum reduxerunt in unum, ſtatuentes, & literis confirmantes, quod regimen Principatus Wirtenbergenſium perpetuo deinceps maneat indiviſum penes unum: de cujus manu heredes reliqui ANNUAM PRO SUSTENTATIONE SUI PECUNIARUM RECIPIANT PORTIONEM. Hac unitate prudenter concluſa per populum quoque terræ unanimiter collaudata, & ſequenti anno conſenſu Principum in Conventu Francfurtenſi per Fridericum Imperatorem confirmata, ſenior Eberhardus juniori præſtitit facultatem accipiendi, utrum vellet præeſſe Comitatui, an vitam in privato cum pace vivere quietam. Conſilio ſuorum accepto, qui non ignorabant ſeniorem Eberhardum pro communi patriæ utilitate ad regimen fore meliorem: ceſſit Principatui, ET PROVISIONE QUINQUE, VEL SEX MILLIUM FLORENORUM ANNUA CONTENTUS.

Digitized by Google

fructibus deducitur. Legitima ad heredes transit, vita & militia morte expirat. Differt ab alimentis, quum hæc officio judicis competant, nec nisi pauper exigit: vitam & militiam secundonatus jure actionis ex *l. Comitibus* nato etiam dives petit. Cum legitima convenit, cum utraque successio in universum jus defuncti dici nequeat. An instar legitimæ æstimetur? infra dicam. Utraque invaluit, ne filii omnino ab hereditate, vel feudo excluderentur (a). Convenit cum alimentis, quia sicut alimentis, ita vita, & militia secundonatus se alit: tam vita, & militia morte pereunt, Minad. *Consil.* 1. *n.* 35. Ne tamen secundonati paupertas primogenito insidias strueret, spe successionis, aut familiæ dedecori esset, alio jure statutum, aliquid subministrari, quo vitam viveret, & alimentorum vicem occupat, quæ beneficio consuetudinis, & juris scripti auctoritate petere potest.

Vita, & militia adeo secundonatis debetur, ut sit reale onus feudi, sicut cetera onera, quibus feudum obligatur, & quemcumque sequitur possessorem, non tamen de ipsius feudi, seu utilis dominii portione, sed de fructibus feudalibus præstanda, Andr. *in* 11. *f.* 8. *n.* 6., & in d. *Const. Comitibus*, Camer. *in* 11. *f.* 55. *pag.* 102., P. de Greg. *de Vit. & Milit. q.* 3. *n.* 3. Nomine fructus venit naturalis, industrialis, civilis, & jurisdictionis civilis proventus. Nomine mortis non modo naturalis, sed & civilis intelligitur, cum hic parem effectum producat. Hinc si pater religionem ingrediatur, vel clericalem habitum assumat, major natu, qui in feudo succedit, vitam & militiam minori natu præstabit. Statim ac monachus, vel clericus evadit, feudum amittit, & jus agnatorum exerceri incipit, 11. *f.* 26. §. *qui clericus*, igitur mors civilis naturali æquiparatur. Nomine secundonati venit naturalis, & legitimus; unde filius naturalis hoc beneficio uti nequit, sive feudum fuerit maternum, sive paternum, quia feudalis successionis incapax judicatur, quum ejus exclusio a feu-

(a) Proinde *militia* dici potest feudum, cum benignitate Regis ex corpore, seu re feudali deducatur, hac lege ut minor natu majori natu armis & equis pro Regis exercitu serviat. Quamvis morte minoris natu expiret, cum id naturæ feudalis clientelæ parum noceat sicut de feudo soldatæ, Guardiæ, Gastaldiæ, Cavenæ, & Cameræ jus Longobardicum statuit. Hinc militia, sine Regis assensu alienari non potest, quia ad rem feudalem pertinet, quæ, inconsulto Rege, alienari vetatur, Laratha *in Thea. Feud. par. XII. Dilucid.* 81. Camer. *in* 11. *f.* 55. *p.* 102. Bammac. *in* 11. *f.* 26. §. *qui Clericus q.* 10. *n.* 194.

Digitized by Google

do hanc fructuum quantitatem præferat, & exclusio successionis est inclusio vitæ, & militiæ, excluditur filius naturalis & legitimus, quia major natu præcedit; excluditur naturalis quia ob maculas natalium indignus censetur; etsi æquitas ei alimenta non deneget, Capon. *de dote q.* 8. *n.* 37. Si vero per subsequens matrimonium legitimus evadit, tunc jus vitam & militiam petendi adquirit, ob vim nuptiarum, quæ omnem labem abstergunt, Bammac. *ad* 11. *f.* 26. §. *naturales n.* 8 *q.* 1. Nec filius legitimus tantum, ut adoptivus, & adrogatus, quum ipsi in feudo non succedant 11. *f.* 26. §. *adoptivus*, nisi in investitura dictum sit, ut succedant, & tunc a vita, & militia non excluduntur, quia ipsius exclusio ob natu majorem est inclusio hujus quantitatis, Vult. *de feud. lib.* 1. *c.* 9. *n.* 176. Nec secundonato rebelli, aut perduellionis reo, quum ipse, si major natu esset, ob hoc crimen feudo privaretur, igitur ab hoc beneficio repellendus, qui contra Regem istius beneficii auctorem deliquit. Quod si a Rege restituatur, iterum jus suum receperat, quia eam Rex repudiare videtur, & tam præteritam, quam futuram excipit, Revert. *decis.* 5. quam Capan. *in decision. de Vit. & Milit.* refert, Afflict. *in d. Const. Comitibus n.* 12., Nigris *ad cap. alienationis actus n.* 10.

Filius a patre exheredatus vitam, & militiam non petit, quia naturæ pietas liberos parentibus alendos etsi sollicite commendaverit, dum tamen liberi contra eos ingratitudinem committunt, paterna obligatio, & pietas cessat. Vita est pro alimentis; si ingratum filium ab hereditate repellunt, ergo & ab alimentis, P. a Monteferte *in d. Const. Comitibus*, & Andr. *eo.*, P. de Greg. *loc. cit. q.* 1v. *n.* 10. Animadvertendum tamen est, hanc filii exheredationem in feudo hereditario, & ex pacto, & providentia novo admitti, non autem antiquo, a quo si exheredari non potest, nec vita, & militia spoliandus, quod Capanus *loc. cit. q.* xiii. *n.* 8. non distinxit, dixi *lib. II. tit.* xvi. §. 44., quia feudum antiquum ex pacto, non a Patre, sed a primo adquirante recognoscit, & patet etiam error P. de Greg. *loc. cit. q.* 1v. *n.* 10. qui generaliter in feudo filii exheredationem admisit. Clericus militiam petere nequit, sed vitam, quia clericatu in bonis sui patris non amittit alimenta; militia est res feudalis, cujus Clericus est incapax, quia cælesti militia miles seculi esse desinit. Nec armis, & equis servire valet, nec militia est nuda pensio, sed pars feudi. Nec ad eam admittitur, etiamsi per substitutum servire vellet, cum hic servitii modus Clericis permissus in jure non reperitur, nec Frid. *in d. Const. Comitibus* de his cogitavit, Bammac. *in* 11. *f.* 26. §. *qui Clericus q.* 10. qui elegantior omnibus hac de re disputat,

Pop-

Digitized by Google

Ponte *de Pot. Prov. tit. de assseng. Regiis* §. 4. *n.* 28.

Mutus, surdus, aliove morbo detentus, & imperfectus vitam, non militiam exigere potest, sive naturalis, sive casualis fuerit morbus, quia exclusio a feudo alimenta non excludit, 1. *f.* 6. §. *ult.* P. de Greg. *loc. cit. q.* 1. *n.* 15. *& q.* 11. *n.* 9., Intrigl. *cent.* 1. *q.* 57. *n.* 27. Reliquis autem secundonatis primogenitus vitam, & militiam præstare cogitur, etiamsi sint divites, & aliunde se alere possint, quia non modo paupertas, sed & præcipue exclusio a successione feudi eam induxit, *d. Const. Comitibus*, ibi Andr., P. Greg. *loc. cit. n.* 5. Afflict. *in* 11. *f.* 55. *n.* 21. Quæsitum est, si pater legatum secundonato reliquit, an cum vita & militia compensandum? dissentio apud Capan. *loc. cit. q.* 15. Mihi suadet non compensari; hæc enim præstatio non est pura, & certa, nec semel, sed quotannis debetur; nec cognosci potest, quamdiu secundonatus vivat, quotiens in bello servire contigerit, quot sumptus expendere cogatur. Debitum illiquidum compensari non potest *l. ult. C. de compensat.* nec si ex una parte est in diem, ex altera purum, in compensationem cadit *l.* 7. *D. de compensat.* Legatum itaque patris purum cum debito conditionali animo compensandi non videtur factum, nisi voluntas legantis aliud ostendat. Debitum vitæ est conditionale, si filius vivat, & quamdiu vivat. Præterea nec vita & militia est debitum patris, sed primogeniti; pater jure naturæ alimenta administrare cogitur; primogenitus ex *d. Const. Comitibus* vitam, & militiam præstabit. Idcireo ubi non est debitum, nec compensatio concipi potest; & obligatio patris alimenta ministrandi, ejus morte extinguitur, Rovit. *ad pragm. XXV. de feud. n.* 9., Muta *to.* 1. *Capp. R. Sicil. cap.* 33. *n.* 188. Nec refert, an feudum, an allodium fuerit prælegatum, Capon. *de dote q.* 8. *n.* 28.

Nec tantum filius primogenitus, sed & nepos nepotibus secundonatis obligatur, quia *d. Const. Comitibus* etiam in feudo avito intelligenda, cum appellatione patris & avus continetur, Afflict. *ibi. n.* 22., P. de Greg. *loc. cit. q. v. n.* 7., sive feudum ab avo, proavo, abavo, aliove ascendente paterno, aut materno, quia nomine parentum venit mater, & avia ad tritaviam usque, proveniat, *l.* 51. *D. de V. S.* atque jure repræsentationis, si frater secundogenitus decedat, uno vel pluribus filiis relictis, ea vitæ, & militiæ quantitas ipsi præstanda est, quam eorum pater, si in vivis degeret, habiturus esset. Si solæ supersunt fœminæ, aut mares cum fœminis concurrant, primogenitus fœminis paragium an contribuere obligatur, quum ipsæ hoc jus ex defuncto non repræsentent, sicut mares in vita, & militia petenda patris jura

ſuſtinere videntur ? Infra dicam . Attamen hæc repræſentatio tunc contingit , quoties ſecundogenitus pater eorum vitam & militiam non petiit, filii deinde petere poſſunt , ſecus morte patris extinguitur , nec ad heredes tranſit, quum alimenta morte expirent; Filius heres jure petit, quod petere defunctus poterat *l.* 1. *C. de hered. act.* Afflict. *ad d. Conſt. Comitibus n.* 14., Andr. *eo.* idem Afflict. *in* 11. *f.* 55. *n.* 22.

Diſputatum, an vita, & militia in linea Collaterali debeatur ? Prætermiſſa opinione dicam: In Regno duplex eſt lex , Conſt. *Comitibus*, & Cap. *alienationis actus* , quæ de vita & militia diſponit , & tantum lineæ deſcendentis meminit . Dum nempe pater , relicto ſtirpis maximo, & ſecundonato , decedit , primonatus cum onere dandi vitam, & militiam ſecundonato , ſuccedit . Sed ſi primonatus decedat , eique ſecundonatus ſuccedat , ſecundonatus fratri minori vitam militiam dare non cogitur , cum de hac collaterali linea leges noſtræ ſileant. Sed tertiogenitus ea, quam percipit, contentus eſſe debet, ne eadem clientela duplici afficiatur onere , quinimo juris francorum auctoritas , & mens læderetur, quæ optat, ut primonatus ob familiæ ſplendorem , & conſervationem plus , quam alii fratres, haberet. Si plures ſunt fratres , & morte ſingulorum vita militia detrahitur, plus ſecundonatus, quam primonatus haberet , quod primogenituræ indoles abhorret . Et ſanxit Carolus V. apud Theodor. *alleg. XX.* & Gizzarel. *dec.* 36. Montan. *in* 11. *f.* 55. §. *præterea ducatus n.* 108.

Ex his colligitur (1) Vitam, & militiam in omni feudo præſtari , etiamſi francum ſit, quia ratio excluſionis, & Principis beneficium æqualiter in utroque reperitur , ſicut & dotem de paragio , ut nubere honeſte poſſint, modo feudum fuerit , in quo ſecundonatus ſuccedere poſſet. Nam ſi primonatus adquiſivit de novo , vel eſſet maternum , & frater ſecundonatus ex parte patris tantum deſcenderet, tunc ceſſat. (2) Ceſſat autem vita militia, ſi inveſtitura fuerit , *pro ſe, & heredibus filiis ex ſecundo matrimonio natis* , tunc filii ex primo matrimonio vitam militiam petere non poſſunt. Nam hæc inveſtitura non modo filios primi matrimonii a ſucceſſione repellit , ſed & a vita militia , quæ eis præſtanda eſt , ſi ſucceſſionis ſpem haberent. Nec ſi pater in vita ſua primogenito feudum novum donaverit , ſecundonatus vitam militiam petere valet: nam primonatus non ex jure ſucceſſionis , ſed contractu acquirit , nec ſecundonatus conqueri meretur , cum pater illud vendere potuiſſet, ſed ipſe illud habebit, quod a patre obtineri, hoc eſt vitam , poterat , & R. Camera decrevit , Laratha *in Theatr. feud. par. XII. dilucid.* 69. Nec ſi pater filio feudum refutat, ſi filius

Digitized by Google

lius sine filiis decedat, pater, qui est proximior agnatus, non jure reversionis, sed successionis succedit, aliis filiis vitam militiam non solvet. Filii enim nullum jus vindicant, donec vivit pater, & lex Regni de morte patris sanxit, cui major natu, excluso stirpis minore, succedit, Larath. *loc. cit. dilucid. 67.* Aliud rebus judicatis apud nos obtinuit, si pater filio primogenito feudum antiquum resutaverit, secundonatus recte vitam militiam petit, quia feudum cum hoc onere, quod secundonatus jure exigit, transit, & in fraudem vitæ militiæ facta præsumitur, Larath. *loc. cit. dilucid. 69.*

(3) Est onus reale, idcirco si major natu feudum vendat, emptoris obligatio evadit, Robert. *in cap. alienationis actus, quocumque procedat titulo, cum causæ transit essentiâ, ut in recipientem jus transferat, vel translationis effectum per obicem impeditionis avertat. Sane Joannotti de Andria familiaris, & fidelis noster, oblata nostræ celsitudini petitio continebat, quod Franciscus primogenitus frater ejus ad supplicationem ipsum fraternum non habens charitatis affectum circa bona feudalia in casalibus M. & N. de provincia Terræ Idronti posita, quæ a nostra Regia Curia ex successione debita communis patris eorum sub servitio tenebat in feudum, in quibus idem supplicans secundum Regni constitutiones,* (sentit Const. Comitibus) *moresque probatos VITAM, ET MILITIAM est habiturus, & dicta feuda Joanni de Floriaco militi familiari, & Fideli nostro pro certo pretio vendidit, alienavit, & tradidit, nihilo reservato sibi pro VITA, MILITIAQUE prædictis in ejus præjudicium, & dispendium manifestum.*

Supplicavit itaque præfatus Joannitus, ut circa satisfactionem, & restaurationem præmissi dispendii, atque damni providere sibi causa justitiæ, quam prompte de regalis auctoritatis præsidio dignaremur. Cujus supplicationibus inclinati benigne. Quia dictus Franciscus venditor plus juris in emptorem prædictum transtulit; quam ipse de censura rationis haberet, nec jus alterius in ipsa VITA, ET MILITIA potuit absorbere. Fidelitati vestræ præsentium tenore committimus, quatenus si veritas suffragatur assertis, dictusque supplicans non præfatam VITAM, & MILITIAM est assecutus, cum ipsorum præstatio REALIS sit ratione censenda, & TANQUAM REALIS TRANSIRE DEBEAT IN EMPTOREM præfatum Joannem ad præstandum dicto Joanetto petenti in bonis; & super bonis ejusdem VITAM, & MILITIAM, secundum formam, & regulam, ac consuetudinem approbatam, dilatione cessante, arctis juris remediis compellatis, ut præfatus emptor, atque possessor exolvat debitum. & idem supplicans suæ justitiæ consequatur effectum, Afflict. *in* 11. *f.* 55. *n.* 20. Nigris *ibi n.* 22., Gamer. *in* 11. *f.* 55. *p.* 50. Napodan.

ad

ad Conſuetud. *quod ſi aliquis tit. de alim. præſt. v. tenetur n. 33. ibi* Cam. Saler. ſive de vita & militia præterita, præſenti, aut futura agatur, cum ſemper eadem perduret actio. (4) Si ex felonia feudum primogeniti Fiſco aperiatur, ab eo ſecundonatus vitam petit, quia rem afficit, nec culpa unius alter mulctandus, nec Principis liberalitas tam citius extinguenda, quæ hunc favorem ſecundonatis permiſit, Andr. *in* 11. *f.* 8. *n.* 6.

Præterea dum Primogenitus militiam ſecundonato præſtat, a ſuis vaſallis ſubventionem exigere poteſt, Frider. II. in Conſt. *Comitibus*, ſanxit, *Comitibus, Baronibus, ac univerſis militibus Regni noſtri, qui feuda tenent, concedimus facultatem, pro militia fratris, cum Comes, vel Baro, aut miles ſuis expenſis militem fecerit, ab hominibus ſuis adjutorium exigere moderatum pro facultatibus hominum, & expenſarum etiam quantitate*. Generalis in Europæ Ditionibus fere conſuatudo erat, ut Reges, Comites, Duces, & Marchiones pro filio, aut fratre inſcribendo militiæ albo, equis, armiſque inſtruendo ſubventionem a populo, & vaſallis peterent. De Eduardo 1. Angliæ Rege ſcribit Matth. Uveſt. monaſt. *ad an.* 1306. *Die autem craſtina cinxit Rex filium ſuum baltheo militari in palatio ſuo, & dedit ei ducatum Aquitaniæ &c. pro hac autem militia filii Regis conceſſus eſt Regi trigeſimus denarius a populo, & Clero, mercatores vero vigeſimum conceſſerunt*. Philippus Burgundiæ Dux propter militare Joannis filii Comitis Nivernenſis tyrocinium, ſolemne indixit vectigal., Alteſer. *De Ducibus lib. II. c.* 2.

Hanc conſuetudinem ab Anglia, vel Neuſtria forſan exceptam Norimanni apud nos primum induxerunt, ut de Rogerio Alexandr. Teleſin. *lib.* 111. *Hiſt. Sicul. c.* 27. inquit, *Poſtera die Rex Rogerius filium ſuum nomine Anfuſum bonæ indolis puerum, cum favore optimatum, militumque omnium Capuani per vexillum ſublimavit Principatus honore. Deinde continuo ipſo die Generum ſuum nomine Adam Comitati dignitate, qua illuſtratus fuerat Alexander Comes, cujus ſuperius memoriam egi, magnificavit, virum ſcilicet juvenilis ætatis decore fulgentem, affabilem, militemque ſtrenuiſſimum. Habebat autem Rex & alios duos liberos adoleſcentiores, formæ ſpecioſiſſimos, morumque honeſtate præclariſſimos, nec non ad ſuſcipiendum MILITIE CINGULUM jam utroſque adultos, quorum unum, qui erat primogenitus omnium fratrum, Rogerium nomine jam ducali honore, alium autem Principatu Barenſi provexerat*. Poſtea idem in legem redigit in Conſt. *divinæ juſtitiæ*, ſtatuit, ut nemo ad militiæ cingulum, honorem, & privilegium promoveri poſſet, niſi a militari genere deſcenderet, *ſancimus itaque & tale proponimus edictum, ut*

qui-

quicunque novam militiam acceperit, ſive quocumque tempore arripuerit contra Regni beatitudinem pacem, atque integritatem, a militiæ nomine, & profeſſione penitus decidat, niſi forte a militari genere per ſucceſſionem duxit proſapiam. Et confirmavit Frid. II. in Conſt. *Conſtitutione præſenti* immerito Rogerio attributa, *ſancimus, ut amodo ad militarem honorem nullus accedat, qui non ſit de genere militum ſine conſuetudinis noſtræ licentia, pariter & mandato. Militibus qui hactenus contra prohibitionem divæ memoriæ avi noſtri dignitatem fuerint militarem adepti, ex ſerenitatis noſtræ gratia ſuam retinentibus dignitatem, dummodo vivant militariter* (a).

Atque adeo militaris cinguli honor æſtimabatur, ut Reges, eorumve filii adpeterent: Conradus Rex Panormitanis ſcribit, apud Petr. de Vineis *lib. III. cap.* 20. *Ad notitiam veſtram perducimus, quod licet ex generalitate ſanguinis, qua nos a primis componentibus naturæ detavit, & ex dignitatis officio quæ duorum Regnorum nos in ſolio gratia divina præfecit, nobis militaris honoris auſpicia non deeſſent: quia tamen militiæ cingulum, quod reverenda ſancivit antiquitas, nondum ſerenitas noſtra ſuſceperat, die præſentis menſis Auguſti, cum ſolemnitate Tyrocinii, latus noſtrum eligimus decorandum. Ut ex hoc ætatis noſtræ victorioſa floriditas, ſigna majoris ſtrenuitatis induceret, & originalis nobilitatis gratiam renovaret novæ militiæ claritudo. Qua etiam die, ut honoris noſtri ſolemnia, dignis militantium ſtudiorum titulis ornaremus, præter celebratæ magnificæ feſtivitatis inſignia, quæ tanti boni jucunditas, & perſonæ noſtræ magnificentia requirebat, ad locum victorioſi exercitus noſtri caſtra perduximus.* Et ſæpiſſime in Archivis Caroli I. & II. ſolemnitas induendi militaris occurrit:

Solemnitas erat: Primum Rex generali edicto, diem conſtituebat, ut, qui hunc honorem recipere vellet, compararet, & exhiberet requiſita, quæ leges Regni deſiderant, eaque Capitaneus Neapolis pro Neapolitanis, Juſtitiarius provinciarum pro Regni incolis, an legitima eſſet, diudicabat. Poſtea ſtatuta die, quiſque veſtibus pretioſis indutus, in majori Civitatis Eccleſia comparebat, in qua altare, Regis ſolium, & Epiſcopi ſedes erigebatur. Expoſitis ſuper altare enſibus, Miles ſenior rogabat, an corpore ſani, & ad

(a) Hinc ipſe Frider. II. apud P. de Vineis *lib. VI. c.* 17. ſpecialiter N. concedit, ut militiæ cingulum indueret, etſi de genere militis non eſſet, *quamquam pater tuus miles non fuerit, & noſtris conſtitutionibus caveatur, quod milites fieri nequeant, qui de genere militum non naſcuntur; ipſe tamen de Culminis noſtri licentia decorari valeat cingulo militari mandamus.*

Digitized by Google

ad bellum idonei essent; deinde coram Episcopo, tactis SS. Evangeliis, se Regem, patriam, honorem, Virgines, viduas, orphanos, & miserabiles personas defensuros jurabant. His actis, genu flexi a Rege ensem accipiebant, his verbis a Rege prolatis, *Deus te bonum militem faciat.* Et statim coram Rege septem puellulæ albis vestibus indutæ, ensibus novorum militum latus cingebant, ut prolixe Camil. Tutin. *de Sedilibus Neap. Civit. cap. XIV.* a quo P. Jannon. *lib. xx. c. 3. §. 1.* Prius *Vallecti*, deinde *Milites* dicebantur, & militum privilegiis, armis, & equis instructi uti poterant. Attamen lapsu temporis solemnitas a legibus Regni requisita, ut ex genere militum essent, exolevit, & Rex quot & quos vellet, creabat.

Quum hæc solemnitas magnos sumptus requireret, idcirco Primogenitus Baro, vel Comes pro adscribendo militiæ fratre subventionem a suis vasallis exigere poterat: quod primum Willelmus I. in Const. *quamplurium* sanxit, & repetiit Frider II. in d. Const. *Comitibus*, & P. de Vineis *lib. v. c. 5. Olim ad supplicationem M. & fidelis nostri P. tunc Justitiario ipsarum partium prædecessori tuo per litteras nostras injunximus, ut quia B. de patre ejus, ei, qui in nostris servitiis existit fructuosus, & in ejusdem filii sui commodo naturalis affectio, seu charitas paterna non invitaverat, ut debuerat invitasse, sibi dudum in receptione cinguli militaris, quam ejus debuerat prævenire subventio, lentus pater, aut rigidus in aliquo non prævidit idem Justitiarius a vasallis præfati B. juxta Constitutionem Regni* (intelligit Const. *comitibus*) *nostri subventionem præfato B. fieri faceret congruentem.* Cave tu, si sapis, a nonnullis, qui etiam pro vita secundonati Primogenitum subventiones a vasallis petere posse defendunt. Nam in militia est favor Regis, nempe publicus, & militare servitium, in vita, privata tantum utilitas.

Modum vitam & militiam æstimandi lex Regni non præscripsit. Sed moribus instar legitimæ computari invaluit: videlicet si sint unus, duo, tres, quatuor filii, vita & militia erit triens fructuum, quos fratres minores haberent, si succederent; *auth. novissima C. de inoff. testam.* Si autem filii sint plus quam quatuor, tunc vita, & militia erit medietas illius fructus, seu partis, quam habituri essent si succederent. Tapia *ad d. Const. Comitibus n. 17. (a).*

Hinc

(a) Si veram individuæ Clientelæ indolem perscrutari velimus, vita militia nec legitimæ, nec alterius portionis vicem substinere potest. Nam legitima ei competit, qui ab intestato succedere

Hinc in deductione vitæ, & militiæ inspicitur tempus mortis, sicut de legitima jus civile sanxit. Et solvenda ex fructibus tam qui tempore mortis extant, quam ex bonis, quæ feudo, videlicet caussa reintegrationis accesserunt. Nam corpora feudo reintegrata vitam militiam augent, quia licet tempore mortis non fuissent, tamen jure, spe, & virtute extitisse videntur, nec major natu de novo acquirit, sed recuperat, nec sententia Judicis, vel sua industria *ex nunc*, sed *ex tunc* Dominum declarat *l.* 35. §. 1. *D. de R. V.* Franch. *decis.* 61. *n.* 13. Imo etsi feudum nullos producat fructus, etiam debetur, cum non proprie in fructibus minor natu, sed in pecunia exigat. Nomine tamen fructus non continetur proventus criminalis jurisdictionis, cujus potius Judex, quam Baro dici possit, etsi in feudum teneat. Sed hic subventionem a vasallis petere nequit, Baro qui civilem jurisdictionem jure feudi exercet, vitam, & militiam solvit, Laratha *in Theatr. Feud. par. XII. dilucid.* 62. *&* 63. Actio petendi nascitur statim, ac vasallus decedit, & primogenitus succedat, quæ condictio ex lege, videlicet Const. *Comitibus*, & Cap. *alienationis actus* appellatur, qua fratrem cogere potest, ut solvat, & quemcumque feudi possessorem persequi, ut præstet, quare actio personalis in rem scripta dici videtur P. Greg. *loc. cit. q.* 12. *n.* 1. Caponus *de dote q.* 8. *n.* 68.

dere valet. Secundonatus in feudo individuo non succedit, igitur nec vitam, & militiam petit. Nec de re, in qua aliquod jus vindicat, agitur, sed de re, patrimonio, & bonis Principis, in quibus nemo, nisi ejusdem Principis voluntate facultatem exercet. Benignitate Principis invaluit, ut secundonatus vitam militiam haberet; neque hic de quantitate, qualitate, & modo contendere potest. Feudum est legitima Primogeniti ex pacto investituræ profecta, nec de ea aliquid suo fratri dare cogitur, sed si præstat, benignitate Principis, quæ hæc onera induxit, præstabit, P. Ludewig. *lib.* III. *juris civil. priv. opusc.* 3. *c.* 4. §. 3. (99). Sed quid non valet usus!

Digitized by Google

TITULUS XXIII.

De Dote de Paragio.

§. XXV.

Origo, natura, & qualitas Paragii.

JUs Longobardicum fœminas feudorum incapaces declarat, si pauca excipias, I. *f.* 8. §. *filia*, II. *f.* 17., II. *f.* 50. II. *f.* 51. §. *similiter*, dixi *lib.* II. *tit.* XXXI. §. 47. Nec eis legitima, vel dos competit. In Regno primum Frid. II. in Const. *ut de successionibus lib. III.* 27. & in Const. *in aliquibus lib. III.* 26. eas in gradu proximiores invitavit. Verum si masculus, & fœmina in eodem reperitur gradu, repulsa fœmina, masculus succedit. Ne tamen naturæ vinculum, & paterna pietas, improba, atque inhumana accusaretur, visum fuit, ut loco portionis feudi, a quo propter masculum excluditur, fœmina, pro modo facultatum, filiorum numero, dignitate, & conditione viri, & uxoris, ab ipsomet fratre, paragium obtineret, *l.* 60. *D. de jure dot.*, unde nomen assumpsit.

Hæc portio, aut in allodialibus, aut in feudalibus considerator. In allode loco legitimæ subrogata videtur, nec ea minor æstimari, nec aliquo onere gravari potest, & deducto ære, præstanda, & jus petendi ad heredes transmittit *l.* 8. §. 9. *D. de inoff. test.*, Cumia *in cap. si aliquem V. maritata n.* 84. P. de Greg. *tract. de dote de parag. q.* 2. And. in d. Const. *in aliquibus*. Est proprium mulieris patrimonium: hinc frater cum sorore pacisci nequit, ut, si sine liberis decedat, dos redeat, unde exierat, quum de re non sua disponeret, Franch. *dec.* 196., Rosa *ad Consuetud. si moriatur v. secundum paragium* 169. Sæpe in Regno ad virilem usque æstimari solet, si mulier virum sibi parem non inveniat. Dos tamen Magnatum propter ingentem divitiarum copiam minor legitima deducitur, Afflict. *dec.* 160. Grammat. *dec.* 57. Ponte *de Pot. Pror. tit. de succes. mul. n.* 2. Satisque erit, si magnatitiæ conditionis viro nubat.

In feudalibus paragium non successit legitimæ, quod perperam plures confundunt. Nam Fœmina in feudo non succedit, & qui ab intestato succedere prohibetur, legitimam petere nequit, *l.* 6. §. 1. *D. de inoff. testam.* quia legitima est portio ejus, in qua successurus est ab intestato, Pistor *lib.* II. *q.* 38. *n.* 15. Successit vero loco hereditariæ portionis feudi, a qua fœmina excluditur, non a voluntate defuncti, sed ætate, sexu, & rei natura, quæ jure francorum divisionem non recipit. Nam

aut

aut feudum eſſet juris Longobardorum ex Regni legibus ſine ætatis diſcrimine, excluſis fœminis, mares omnes ſuccedunt. Aut evaſit voluntate Principis individuum, nihilominus portio fœminæ, ut ſecundogenito vita militia non periit. Diverſa igitur bonorum genera duplex paragium conſtituunt, unum a re feudali, alterum ab alode petendum. Sicut ſi bona paterna, & fraterna eſſent, & ſoror dotem habuit a bonis tantum fraternis, a paternis alteram petere non prohibetur, Afflict. in d. Conſt. *in aliquibus n.* 48.

Paragium illis conſtituendum, quæ, ſi mares non extarent, in feudo ſuccederent, aut mulier natu major non concurreret. Nomine maris venit naturalis & legitimus, vel per ſubſequens matrimonium legitimatus, non reſcripto Principis natalibus reſtitutus, nec adoptivus, nec adrogatus, nec alii ſucceſſionis incapaces, quos ſtatutum contra fœminas non admittit, tunc ſola fœmina ſuccedit. Hinc filia Baronis a fratre in feudo ſuccedente excluſa, illud petit, ſicut amita, neptis ex filio primogenito præmortuo, quam patruus ſecundonatus, qui tempore mortis avi erat primogenitus, excluſit, Andr. in Conſt. *Comitibus v. quid ergo*. Nam regula juris Regni eſt, ut illis perſonis paragium debeatur, pro quarum dote Baro a ſuis vaſallis adjutorium exigere poteſt, quaſi neceſſario eas dotare cogatur, Conſt. *quamplurium lib. III.* 20., ibi Andr. *in fine*, Ayell. *de jure adob. n.* 29., P. de Greg. *loc. cit. q.* 11. *n.* 2. Etiamſi ſoror ob pulchritudinem nupſerit, quia de bonis ſuis nupta videtur; aut ab extraneo dotata, hoc eſt, non ab illo, a cujus ſucceſſione propter ſexus maſculini prærogativam excluditur. Finge: ſi filia, aut ſoror Baronis a patre de bonis paternis dotata eſt, paragium ſuper feudo materno petere non prohibetur, & viciſſim; ſi dotata a matre in feudo materno, cui hoc onus non erat, ſuper feudo paterno jure paragium contendat, Aut ſi ſoror nolit nubere, ſed domi caſte vivere, quia paragium eſt loco legitimæ, & quamvis Frider. in d. Conſt. *in aliquibus*, mulieres a ſucceſſione excluſas ſecundum paragium nubere ſanxerit, tamen quod ſæpius evenit, reſpexit, Andr. in d. Conſt. *v. quid ſi frater*, Napodan. *ad Conſuetud. ſi moriatur n.* 63. Vel ſi Virgo Deo devota fieri cupit, tunc non paragium, ſed portionem monaſterio debitam obtinere poteſt, quia major ſororis, vel filiæ pietas, & perfectio jus in ſucceſſione non extinguit, Napodan. *loc. cit.*, P. de Greg. *loc. cit. q.* 13., Cumia *loc. cit. n.* 431.

Fœminas itaque jus Regni non omnino Feudorum incapaces, ſed *ſub conditione* conſtituit, modo mares in æquali gradu cum fœminis eſſent. Tunc mares, præſtito fœminis paragio, ſuccedunt.

Digitized by Google

Si autem fæmina in primo gradu, & maſculus in ſecundo concurreret, fæmina, excluſo maſculo, ad feudum admittitur. Aut ſi plures fæminæ ſuperſunt, maxima ſtirpis ſuccedit, ſi feudum jure francorum vivit, ſi jure longobardorum, omnes invitantur. Verum ſi maxima ſtirpis nuptias contraxit, dotemque a bonis paternis habuit, ſecundonatam in capillo excludere non poteſt. Conſt. *in aliquibus*, ibi, *filiæ autem in capillo poſt mortem patris in domo manentes, majores ſorores cognatas, & dotatas de bonis patris excludunt. Ceterum ſi de bonis paternis dotatæ non ſunt, majores minoribus præferuntur, ſi jure francorum vivant. Si autem vivant jure longobardo, collatis dotibus in viriles partes ſucceſſione diviſa, portionem ſuam conjugata, ſint conjugatæ, quæcumque ſint, poterunt vindicare.* Et idem conſtituit poſtea Honor. IV. *in cap. in ſucceſſione*, & Joanna II. *in prag.* 1. *de feudis*, ſed dum maxima ſtirpis ſuccedit, ſororibus ſecundonatis paragium præſtabit. Aut ſi omnes filiæ nuptias, datis, vel promiſſis dotibus, contraxerunt, excluſis agnatis, primogenit[illegible].

Ab hujuſmodi beneficio repelluntur filia naturalis, quæ alimenta, non dotem de paragio petere valet, quum nullum in feudi ſucceſſione jus vindicet, Capyc. *dec.* 181., P. de Greg. *de Conceſ. feud. par.* VII. *q.* 8. *n.* 8. Si ante XXV. an. in corpus ſuum peccavit, auth. *ſed ſi C. de inoff. teſtam.* Afflict. in d. Conſt. *in aliquibus n.* 75. Si eſt ſucceſſionis incapax, videlicet forjudicata, aut ex ordine mendicantium, ſicut maſculus ſi eſt bannitus, a ſucceſſione feudi expellitur, & fæmina ſuccedit. Nam bannitus mediam capitis diminutionem patitur, amittit, quæ ſunt juris civilis, deportato comparatur, impune occidi poteſt, Conſt. *pœnam eorum lib.* II. 3. Si exheredatur a patre, quia non propter maſculum, ſed ingratitudinem tunc excluſa dicitur, ſicut et maſculus in feudo exheredatus non ſuccedit, ſed ejus ſoror admittitur, P. de Greg. *de Conceſ. feud. par.* IV. *q.* 7. *n.* 33. Et frater in feudo non ſuccedens, aut quia nolit, aut non poteſt, non tenetur paragium præſtare, quum Conſt. *in aliquibus*, utrumque ſexum ſub conditione admittat, ut ſi concurrat maſculus, & fæmina, præferatur maſculus, ſi velit, quia invito beneficium non conceditur *l.* 69. *D. de R. j.* Andr. ibi *v. quid ſi frater* (a).

Mo-

(a) Caſſiodor. *lib.* 1. *varior. epiſt.* 38. *Non eſt beneficium, quod præſtatur invitis: nec cuiquam videtur utile, quod adverſa voluntate conceditur.*

Digitized by Google

Modus æstimandi paragium est, (1) inspectio facultatum, scilicet fructuum, non autem existimationis feudi. (2) Numerus liberorum, ut si quattuor, aut pauciores sint, paragium supputetur tertia tertiæ partis, quam filia acceptura, si cum fratribus, vel sororibus ab intestato succederet. Si sint plures, quam quattuor, paragium erit semis, quem habitura, si ab intestato succederet. Finge: pater jure longobardo vivens tres filios, & unam filiam, decedens reliquit, & feudum quadringenta æstimatum possedit, filia centum, si ad successionem simul cum fratribus admitteretur, haberet: lex repellit, tunc tertiam illorum centum obtinebit. Si vivit jure francorum, nec secus statuendum, quia soror quartæ partis tertiam habebit. Demum, sive quatuor aut pauciores, pluresve fuerint filii, paragium ad tertiam tertiæ portionis superius dictæ æstimatur, P. de Greg. *loc. cit. q. 29. n. 4.* Sed rectius Andr. in d. Const. *in aliquibus*, in fin. inquit, *nos dicimus in dando paragio non attendi quantitatem valoris portionis tertiæ, vel etiam dimidiæ: sed illam quantitatem, pro qua possit pari nubere.* Et paulo post, *si autem non potest, nubere pari, nisi pro tanta quantitate, quanta est tota sua portio, si succederet, totam dicimus dari ratione prædicta: quia pari nubere debet. Ultra vero suam portionem quantum scilicet est, si succederet pro medietate, vel tertia, considerato numero filiorum, non dabit frater, etiam si pari dignitatis non posset nubere*; secus constitutio potius masculis noceret, quam prodesset (*a*).

Liberorum numerus tempore mortis patris, seu delatæ successionis inspicitur, an superstites, an decesserint; si post patris obitum præmortui, jus suam portionem petendi, ut vitam, militiam ad suos heredes transmittunt. Nec satis liberos esse, sed, ut sint capaces oportet, hinc legitime exheredati, forjudicati, fratres minores, qui pro mortuis habentur, ad partem non admittuntur, nec aliis

(a) Nulla Regni lex quantitatem paragii in feudo, vel allodio præscripsit, sed semper dignitatem parentum, qualitatem mulieris, & viri, bona dotantis, & numerum filiorum intelligere & considerare voluit. Nisi pater feudum emisset, tunc, mortuo patre, filiæ paragium non potest esse minus legitima, quia pretium feudi novi rei allodialis vicem substinet, cujus legitima filiæ competit, secus ex inofficiosa donatione agere potest, Rovit. *ad pragm. 25. de feud. n. 30.* Nunquam tamen de corpore feudi, sed tantum in pecunia exigat. Hinc paragium in alode ex corpore hereditatis, paragium in feudo ex pecunia, non corpore potitur, ne individua clientela, dividua evaderet.

Digitized by Google

aliis faciunt partem, Wiſſenbac *ad tit. C. de inoff. teſtam.*, Gomez 1. *var. c.* XI. *n.* 22., Afflict. *hic n.* 54.

(3) Æqualitas, videlicet dignitatis viri, aut uxoris, ejuſque fratris: nobilitatis, quum fœmina ingobilis mariti nobilitate fulgeat; & Feminæ nobilitas ex viri ignobilitate obſcuratur, proleſque ignobilis cenſetur *l.* 43. *D. de leg.* 3., *l.* 60. *D. de jure dot.*, *l.* 8. *D. de Senat.*. An Virgo, an vidua fuerit, an vir divitiis ſcateat, an egeſtate laboret, an adoleſcens, an ſenili ætate deprimatur, honor, an infamia, P. de Greg. *loc. cit. q.* 30., Cum. *in cap. ſi aliquem V. maritata n.* 144. (4) In pecunia præſtatur, nec refert, an fuerit maternum, an paternum, vel francum, quia ratio paragii eſt excluſio ſucceſſionis, non immunitas a ſervitiis; ſive a tranſverſali, ſive aſcendenti linea naſcatur. Nam fœmina non minus a feudo lineæ deſcendentis, quam collateralis excluditur, & in utroque jus francorum obſervatur, Cum. *loc. cit. n.* 440.

Actio, qua paragium petitur, eſt *condictio ex lege*, videlicet conſtitutione *in aliquibus*, eaque frater, aut nepos conveniri poteſt, ut dotet, & quod deeſt, ſuppleat, Andr. *in d. Conſt. v. ſed nunquid* non tamen contra tertium feudi poſſeſſorem datur, quum ſit actio perſonalis §. 15. *inſt. de Act.*, vid. P. de Greg. *loc. cit. q.* 38., Afflict. *hic n.* 38. Paragium quamvis ſit onus feudi, tamen ipſum feudum non afficit, actionem *mere* perſonalem continet, qua ſoror, vel amita contra tertium poſſeſſorem agere non poteſt, qui titulo oneroſo poſſidet, niſi prius heredem conveniat, ejuſque bona diſcutiat. Si heres ſolvendo non eſt, tunc contra tertium poſſeſſorem actionem intendabit. Hinc actio ad petendum paragium differt ab actione, qua ſecundonatus vitam militiam petit. Actio de vita militia contra tertium poſſeſſorem intendari poteſt *Cap. alienationis actus*.

§. XXVI.

De mutua onerum deductione.

COnſuetudine, & jure ſcripto hujus Regni feudorum onera, & obligationes, adoha, relevium, vita, militia, & dos de paragio cenſentur. Sæpius vero alterum vel auget, vel minuit, vel nihil detrahit; quod enucleandum. Si uno eodemque anno adoha, & relevium ſolveretur oportet, unum arbitrio Curiæ ſolvendum, ne vaſallus duplex onus ſubſtineret, & unde ſe aleret, non haberet. Nam relevium, & adoha omnes feudi fructus abſorberet. Nec quod raro contingit, vaſallo imputandum, Moles *in D. R. C. de*

Digitized by Google

C. *de jure relev.* §. 21. *q.* 7. Aycl. *de jure adobe n.* 77. Nigr. *ad Cap. apud fogiam n.* 43. Nec onus vitæ militiæ relevium diminuit. Robertus dum condidit *cap. alienationis actus*, noluit sibi præjudicare, sed secundonatis providere, quibus vitam militiam a primogenito præstari constituit. Vita militia est loco illius portionis, quam secundonatus habuisset, si successisset. Nonne si omnes filii succedebant, ad relevium tenebantur? Nec expensæ relevium circumcidunt, nec salaria, quæ Baro in exigendis reditibus Aerariis constituit, nec quas in custodiendo feudo expendit. Excipi necesse est illas expensas, quas in colligendis fructibus fecit, Moles *loc. cit. q.* 6.

Adoha non diminuitur, si alia onera Feudo inhærent; nam adohæ solutio publicam utilitatem & Regni defensionem perpendit, quæ omni privatorum commodo derogare potest, & tamquam pensio ex concessionis feudalis pacto præstanda, P. de Greg. *de dote de parag. q.* 28. *n.* 7. Capan. *de jure adobæ q.* 25. decima, & tributum feudi dici potest. Nec vitam, & militiam minuit, quia si militare servitium, cui in Regno successit adoha, est de feudi natura, nec igitur a vita, & militia deducendum. Præterea secundogenitus servire debet expensis primogeniti, ipse non tenetur contribuere, quum contributionem recipiat, Franch. *dec.* 20., Affict. *dec.* 252., Capyc. *in invest. v. feuda adobant in fin.*, Capon. *de dote q.* 8. 2. 50.

Paragium non minuit, relevium, nec viciſſim, quia relevium est onus tantum primogeniti feudo adnexum, in quo solus succedit; nec secundonatus ad hujus oneris solutionem obligatur, quum ob investituram in recognitionis, atque obsequii symbolum præstet. Et solus primogenitus investituræ renovationem, non alii fratres petere coguntur, merito aliis fratribus, sororibusve nocere non debet, quæ nullum ab ea lucrum percipiunt. Et quamvis si uno anno adoham, & relevium persolvi contingat, unum debeatur, tamen idcirco obtinuit, ut una fructuum medietas integra penes Vasallum remaneret, Sed paragium universam fructuum medietatem primogeniti non exhaurit, ex qua recte paragium solvet. Capan. *de jure relev. q.* 15. Sed an aucto feudo, adoha, relevium, paragium, vita & militia, & militare servitium, tam jure longobardo, quam Regni augeatur? Dicam in peculiari differt. *de feudi meliorationibus.*

TI-

Digitized by Google

TITULUS XXIV.

De Vaſalli Eccleſiaſtici obligationibus jure Regni.

§. XXVII.
De Militari ſervitio.

DUm Eccleſiæ a Principe, Comite, Marchione, Duce, aliiſve feuda recognoſcunt, eorum vaſallæ evadunt, militare præſtant ſervitium, & jusjurandum fidelitatis exhibent. Nulla lex eſt, nulla conſuetudo, ſi inveſtiturarum pacta, & Domini inveſtientis liberalitatem excipias, quæ eccleſias a ſervitiis feudalibus, vel hominio immunes declaraverit, quæ feuda Eccleſiis conceſſa diverſæ naturæ a feudis laico conceſſis eſſe conſtituerit. Nunquam enim feuda ſuam naturam amittunt, niſi vel contraria conſuetudo, vel tenor inveſtituræ remittere voluiſſet. Nec diverſa vaſallorum conditio diverſam feudorum naturam cudere poteſt. Eccleſia igitur, hoc eſt ejus *Prælatus* militare ſervitium, & fidelitatis juramentum præſtare tenetur. Hinc in ſacris Annalibus, Hiſtoriis Barbarorum, & vetuſtis monumentis, militaris Prælatorum diſciplina, armatorum copia ab iis retenta, ſtrenuitas, & exercituum regimen commendatur. Sic Guilielm. Tyrius *lib. xiv. de Bello ſacro cap. 26.* Epiſcopum Liddenſem Rogerium, *militem in armis ſtrenuum, & actibus militaribus inſignem*, appellat. Et teſtatur præ ceteris bellum ſacrum ſub Bulione ceptum & completum, Chron. Norimann. ad *an.* 1145. Alia exempla deſcribit Godefr. Monachus, Trihemius, Chron. Auguſten. Nat. Alexand. *H. E. ſeculo IX. & X. c. V. art. 7.* aliique, quos ſupra prolixe retuli. Et univerſalis in Europa, videlicet Gallia, Anglia, Germania, Hiſpania, Italia, Cathalonia, & quæ ſunt, conſuetudo ſervabatur.

Eadem in noſtro Regno ſub Nortmannis, & ſucceſſoribus primum Conſuetudo, deinde lex obtinuit, ut Epiſcopi, atque Abbates propter feuda in capite a R. Curia poſſeſſa, & hominium, & militare ſervitium, in libris Baronum, & feudatariorum Regni, quos illa ætas *Defetarios*, poſtea *quinterniones* etiam ſub Nortmannis dixit, præſtarent. Equidem hanc conſuetudinem a Nortmannia, & Anglia acceptam, in Regnum induxerunt. Ex albo Baronum, Comitum, & Epiſcoporum, qui in Nortmannia feuda tenebant, idem ſerviendi modus, eadem ſervitii quantitas, atque bellici apparatus, caſtrorumque indictio juſſu Principis facta conſtat, & nihil a ſervitio militari, quod Barones, & Prælati in Regno R. Curiæ præſtant, diſſenſit. Cathalogus feudo-

rum

Digitized by Google

cum Nortmanniæ apud Ducheſnium *in Hiſtor. Nortmannorum p. m.* 1045. feudatarios laicos, & Eccleſiaſticos continet, ex quo aliquos primum laicos, deinde Eccleſiaſticos ſeligere decrevi, ut modi ſervitiorum noſtri Regni, & Regionum, in quibus etiam Nortmanni regnarunt, ſimilitudo videatur.

De laicis feudatariis.

Comes Leceſtriæ ſervit. x. milit. de honore de Gaetemen. mill. & ad ſuum ſervitium XL. mil.

Idem LXXX. & I. milit. ad ſuum ſervitium de honore Belcai faciet tantum quod honor. ſit Datæ, & Comitis.

Robertus de Curcejo ſerv. v. mil. de honore de Curceje, & ad ſuum ſervitium XXXIII. mil. & III. part. & IV. milit.

Idem ſervitium III. milit. de honore de Eſcajol, & ad ſuum ſerv. XVII. mil. & I. quartam.

Hugo Pagnenſis ſervit. V. milit. & ad ſuum ſervitium VI. milit.

Robertus de Monteforti ſervit. VI. mil. ad honore de Chaſtus in villa, & ad ſuum ſervit. XXXIII. milit. & III. & IV. milit.

Idem ſervit. de honó. de Orbech, & ad ſuum ſervit. XI. milit.

Navaſoria minus, Rex habet.

Eudo filius Herneis ſervit. corporis ſui, & ad ſuum ſervit. milit. & dimid. & octavam & ſextam milit. Rex in Ballia ſua.

Hugo de Mortuomari V. mil. & ad ſuum ſervit. XIII. mil. & dim. Rex habet.

Radulfus de Haja XL. milit. & dimid. de honore Pleſſeii, & X. milit. de honore Moret de feodo de Grenciis, & ad ſuum ſervitium ut milit. & dimid. Rex habet.

De feudatariis Eccleſiaſticis.

Epiſcopus Abrincenſis debet ſervitium V. milit. de Abrinc. & de honore S. Philiberti V. milit.

Epiſcopus Conſtant. ſervit. VI. milit. & ad ſuum ſervit. XXXIII. milites, ideſt debet capere ſervitium VII. milit. pro exercitu, & ſimiliter de aliis.

Epiſcopus Bajocen. ſervit. XX. mil. & ad ſuum ſervitium XXX. mil.

Epiſcopus Sagienſis ſervit. VI. milit.

Epiſcopus Lexovien. ſervit. XXX. milit. & ad ſuum ſervitium XXX. mil. & tertiam partem unius mil. Et præter hos habet X. mil. in banlluca Lexovienſi, qui remanent ad cuſtodiendam civi-

tatem, donec rotlebantur summoveatur, & tunc ibunt extra quæriis expensis Episcopi.

Abbas Fiscanni servit. x. milit. & ad suum servit. XIII. milites, & tres partes unius militis.

Abbas Bernaii ad tuum servitium VII mil[illegible] in

Abbas Gemetic. servit. III. mil. & præter hos ad suum servit. I. milit. in Esmalevilla, quem comes Hug. te Bigot ei diforc.

Abbas Montis Roth. servit. VI. mihi & tres partes I. milit.

Abbas de Monte S. Michaelis servit. VI. milit. in Abrinc. & Constant. & I. mil. in Bajocasino, quem faciunt Vavasores nisi fuerit in exercitum.

Abbas Cadom. servit. I. milit. de feodo de Tillebois.

Abbas de Bernajo habet de feud. suo II. mil.

Abbas S. Dionysii servit. I. milit. de feodo Bouxvill.

Abbas de Monaster. Viller servit. II. milit. & ad suum servit. V. milit. & tertiam partem unius militis.

Primus apud nos, qui de militari Prælatorum servitio sanxerit, est Gulielmus I. in Const. *quamplurium*. Nam cum Barones, Comites, & Prælati magna passim adjutoria, subventiones, atque praestationes a suis vasallis exigerent, sive extorquerent. Gulielmus casus prascripsit, in quibus tantum petere possent. Et dum de Prælatis loquitur, hos casus præfinit, *pro consecratione sua, cum ad Concilium a Domino Papa fuerint vocati. Pro servitio exercitus nostri, si quidem in exercitu nostro fuerint; vel si videamus eos, vel si mandaverimus eos pro servitiis nostris; vel pro corredo nostro, cum in terris eorum nos hospitari: vel corredum ab eis retinere voluerit.* Hanc Gulielmi I. legem Carolus II. in Cap. *item statuimus, quod Comites*, in Cap. *Comites*, & Ferdinand. I. *anno* 1483. *in pragm.* 1. *de Salar. eor.* §. 10. & *anno* 1486. *in pragm.* 2. *de Baron.* confirmarunt, semperque *moderate* exigere præcipiunt. Et quamvis non raro Prælati in nonnullis ditionibus per substitutos servitium præstitissent, tamen substitutum natura feudi repudiat, & sola senioris liberalitas, corrupti Ecclesiæ mores, & quædam contorta interpretatio admisit. Non modo in Prælatis, sed & in aliis vasallis recens inventum est, ut per substitutum servirent, & primæva feudorum natura obloquitur, P. de Marca *de C. S. Imp. lib. VIII. c. 19. n. 2.* Duaren. *de feud. c. VI. in fin.* Ziegl. *de Episcopo Milite c. XI. §. 44. & 46.*

In Regno autem ipsimet Prælati, non per substitutos, R. Curiæ servitium præstiterunt, d. Const. *quamplurium*, cum nemo feudi naturam immutare, nisi solus Rex, possit. Servitium feudale est tributum ad certam [illegible] adnexum, ut quemcumque possessorem sequatur, Wilhelm. II. in Const. *sive reali*, & in Const. *confirmatio-*

nem

nem pravam, eleganter, *tricenalis præſcriptio in feudis integris, & eorum quotis partibus locum habeat, ex quibus præſcriptis nullum poteſt Reipublicæ præjudicium irrogari, cum apud quemcumque reſideat ſervitium deſignatum, & debitum, quod non tam perſonæ, quam rei ipſi aſcriptum eſſe dignoſcitur.* Gonſal. *ad cap. 30. de jurejuran. n. 9.* Univerſa immunitatis, atque exemptionis Prælatorum origo duos fontes, nempe jus divinum, & humanum cognoſcit. Jus divinum in rebus *mere* ſpiritualibus; jus humanum, hoc eſt liberalitas Principum in ceteris declaravit, quam poſtea Canones extenderunt. Ratio differentiæ, quia res *mere* ſpirituales non legibus hominum, ſed Dei, hoc eſt religionis revelatæ ſiſtemate reguntur. Non itaque mirum ſi Clericus in his a Poteſtate Principis ſe ſubtraxit. Vaſallus itaque Eccleſiaſticus jure Regni militare ſervitium ipſe, non per ſubſtitutum præſtabat.

Huic vetuſtæ Nortmannicæ, & poſteriorum Regum conſuetudini, & legi Gulielmi I. patris Gulielmus II. filius innixus, dum Terræ Sanctæ expeditionem aggreſſus eſt, præter Barones ſeculares, etiam Eccleſiaſtici militare ſervitium contribuerunt. Ut conſtat ex Catalogo Baronum ſub hoc Rege, quem ex Regio Regeſto Carolus Borrellus *in Vindice Neapolit. Nobilit.* conſcripſit, ex quo hæc colligo.

Epiſcopi Feudatarii.

Epiſcopus Civitatis pro Sancto Leucio militem I. & dimidium. Et cum augmento obtulit milites III. & ſervientes XV.

Epiſcopus Melphiæ tenet Gaudianum, & habet ibi de demanio feudum II. militum. Et in ſervitio feudum II. militum. Et cum augmento obtulit milites III. & ſervientes C.

Epiſcopus Capuacii pro eo, quod tenet de regalibus obtulit pro auxilio magnæ expeditionis milites VIII. & ſervientes XX.

Guido Epiſcopus Aprutii dixit, quod tenet in Aprutio Teramum, & Sanctum Benedictum, & Forcellam, & Capriſcum, & Zavarolem, & Ripam, & Torrentum, & quoddam tenimentum in Sancto Flaviano, & Collem Vetulum, & Majanum cum ſuo tenimento, & quoddam tenimentum in Montorio, & in Penne tenet Zucum, quæ ſicut dixit, ſunt feuda X. militum. Et cum augmento obtulit XXIV. & ſervientes XL.

Berardus Epiſcopus Forconenſis dixit, quod tenet de Domino Rege Civitatem Sancti Maximi in Forcone, quæ, ſicut dixit, eſt feudum I. militis & Caſale Sancti Maximi, quod eſt feudum I. militis. Hæc ſunt feuda militum III. & cum augmento obtulit milites VI. & ſervientes XIIII.

Episcopus Dragonariensis tenet Planulianum, quod est medium feudum.

Episcopus Civitatis tenet S. Laurentium, quod est medium feudum.

Episcopus Labinensis tenet Ulocem, & Lilicem, quæ sunt feuda.

Archiepiscopus Montis S. Angeli tenet Carnetum, quod est feudum.

Episcopus Tricarici, sicut dixit, tenet in Armento feudum IV. militum. Et cum augmento obtulit milites VIII. & servientes XX. Et in Monte Murro sicut dixit, tenet feudum VI. militum & cum augmento obtulit milites XII. & servientes XXX. Inter feudum & augmentum milites XX. & servientes.

Abbates Feudatarii.

Abbas S. Helenæ tenet Montem Calvum, quod est feudum, I. militis.

Abbas S. Joannis in Plano tenet S. Triphonem, quod est medium feudum, & inhabitatum.

Abbas Venusii tenet Cornetum, quod est feudum.

Abbas S. Johannis in Lama tenet S. Marcum, quod est feudum, & Faczolum, quod est feudum I. militis.

Abbas Calanæ tenet Montem Nigrum, quod est feudum.

Abbas S. Mariæ Montis Pilosi, sicut Raynaldus filius Fredi Camerarii Curiæ significando mandavit, de eo, quod tenet in Yrso obtulit cum augmento milites X. & servientes L. inter quos numeratus est Tancredo de Yrso cum feudo suo.

Abbas prædictæ Terræ Trinitatis de Venusio (*recenset milites Asculi de dominio Sanctæ Trinitatis de Venusio*) obtulit pro tota Terra, & tenimento suo milites XXX. & servientes CCXXX. pro auxilio magnæ expeditionis, & solitos servientes, quo Curia solita est habere de medietate Asculi, quæ est prædictæ Ecclesiæ.

De Cometo Sancte Trinitatis de Venusio. De Sancto Johanne in Fronte. Pro Abbate Sanctæ Trinitatis de Venusio. De Valle Sorbi ejusdem Abbatis. De Orta ejusdem Abbatis. De Aquabella ejusdem Abbatis. De Barrano ejusdem Abbatis.

Abbas Sancti Johannis in Lama.

Abbas Sanctæ Trinitatis Cavæ.

De Sancto Petro de Olivola, & Sancto Jacobo de Luceria.

Abbas Rofranus dixit, quod tenet Casellam, & cum eo, quod tenet in Nechinnan. est feudum IIII. militum, & cum augmento obtulit milites VI. & servientes XV.

Monasterium S. Angeli de Civitate tenet S. Antonium, quod est feudum 1. militis, & est inhabitatum.

Monasterium S. Johannis de Gualdo tenet S. Angelum de Vico, quod est feudum 1. militis.

Monasterium Cavæ tenet S. Stephanum, & S. Petrum de Calviola quæ sunt feuda.

Monasterium Terræ majoris tenet Riciam, quod est feudum 1. militis, & tenet Roganum, & Casale Terræ Majoris, S. Justam, & S. Mariam in Arco, quæ sunt feuda (*a*).

In investituris feudorum, quæ Normanni, Svevi, Andegavenses, aliique concedebant Ecclesiis, apponabatur clausula, *salvo militari servitio*. Sic Henricus VI. Imp. *an.* 1195. Oppida, & Territoria jure feudi Ecclesiæ Teatinæ concessit, *salvo servitio, quod Curiæ nostræ inde debetur*, inquit, Diploma apud Ugell. *Ital. Sacr. to. VI. p.* 718. Alphonsus I. *an.* 1450. donat jure feudi Ecclesiæ Gusentinæ, cum subfeudis, terris cultis, incultis, reditibus, & juribus, Terram S. Lucidi, & subdit, *exceptis iis, quæ nobis competunt ex natura feudi, superioritatis, & majoris dominii ratione*, apud Ugell. *to. IX.* Sæpius tamen absque servitio concedebant, quod *feudum Francum* dicitur. Rex Guilelmus I. *an.* 1157. apud Pirrum *to.* 1. *Sicil. Sacr. p.* 97. donat Ecclesiæ Panormitanæ feudum Broccatum *sine servitio militum*, cetera tamen feudi naturalia sibi reservat. Carolus I. in loco, in quo Conradinum *an.* 1268. profligavit, Monasterium S. Mariæ de Victoria Ord. Bened. construxit feudisque, sub otiere militaris servitii ditavit, sicut ex Regesto Caroli II. Regio constat. Et constant. *lib.* 1. *Hist. p.* 31.

Et

(*a*) Assidue in hoc albo occurrunt verba, *sicut dixit*. Cum feudales Normannorum consuetudines in libris *destariis* descriptæ essent, quos Rogerius in suo Palatio servabat, ætate Wilhelmi I. Conjuratorum dogmen regno Patatium, Capto Rege, diripuit, expoliavit, eosque libros dissipavit. Willelmus, opera Matthæi Notarii illarum Consuetudinum pene omnium restituit. Suspicor, non tantam Matthæi peritiam fuisse, ut singulorum feudorum servitia, fines, qualitatem, & quantitatem cognoscere potuisset. Idcirco R. Curia Barones, Comites, & feudatarios interrogabat, quantum servitii præstare deberent. Si enim servitii quantitatem, & militum numerum in his libris descriptum perlegisset, frustra dixisset, *sicut dixit*. Sicut hodie omnia Regni feuda liber cedularius comprehendit, & constat, quantum adoha, vel relevii quisque feudatarius R. Curiæ exhibeat. Ideo necesse est, interrogare, quantum solvat.

Digitized by Google

Et Regestum Caroli Ducis Calabriæ illustris Regis Roberti Primogeniti sig. 1322. *fol.* 11. *Die XV. predicti mensis Augusti Neapoli receptum est a Religioso Viro Fr. Johanne Abbate Monaster. S. Maria de Victoria per manus Johannocti Salomonis familiaris sui pro reservatione adiecta, sicut asseritur per clare memorie Dominum Regem Jerusalem, & Sicilie in privilegio dudum indulto ipsi Monasterio de solvendo Regie Curiæ per predictum Monasterium anno quolibet in Festo Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis florenos auri uno ponderis generalis pro exemptione ipsius Monasterii a prestatione feudalis servitii Curiæ debito pro terris Castris, casalibus, locis possessionibus venimentis, & bonis quibuscumque feudalibus ipsius Monasterii sitis ubilibet infra Regnum, prout in privilegio Regio clarius dicitur contineri, pro festo scilicet Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis presentis anni quinte Indictionis florenus auri unus valens auri tarenos sex .. Eodem die ibidem Recepta & habita sunt pro cambio, seu avantagio ejusdem florani auri Capsi ad argentum in eodem argento gran. sedecim.*

Nec tantum militare tempore belli servitium, sed & adoham præstabant, sicut lex Regni omnes feudatarios ad hujusmodi onera cogebat. Nec unquam apud nos consuetudo, vel lex obtinuit, quæ Ecclesiasticos feudatarios eximeret. Quamvis Ecclesia mater imperii sit; hoc est fori interni consultrix, tamen si a Rege feudum tenet, vasalla Regis evadit, eique in bello servit, vel substitutum, vel expensas, hoc est adoham submministrat. In sui feudi controversiis non gaudet fori privilegio, sed coram Paribus Curiæ Regis convenienda *cap. v. de judic. cap. VI. & VII. de foro comp.* Frider. II. in Const. *ut universis*, Carolus II. *in cap. item statuimus, quod Clerici ad judicia secularia non trahantur, nisi pro bonis feudalibus, secundum conventionem habitam inter Sanctam Romanam Ecclesiam, & Dominum patrem nostrum.* Intelligit conventionem, quam Clemens IV. cum Carolo I. celebravit, dum Regni investituram accepit. Hodie R. Camera cognoscit. Fidelitatis jusjurandum, sive ligium hominium præstat, quod olim merito Lotharius II. Imp. ab Abbate Monasterii M. Casini exigere contendebat, cum illud Monasterium Camera Imperii, & jus patronatus diceretur, ob villas, castra, & possessiones, quas ab Imperio tenebat, Leo Ostiens. *lib. IV. c.* 124. Nempe

Certum hinc Imperatori statuendum modis omnibus reliquere finitimis illius tractatis, quem suscipientes, in Casinensi Monasterio Abbatem, ordinaverunt, & ab Imperatore per Romani Imperii sceptrum quod manu gestabat, de Casinensi Abbatia cum omnibus possessionibus suis, sicut a temporibus Justiniani quæ ad illum

diem

Digitized by Google

dem Monasterio concessa fuerant, est investitus, dicens ad eum, fidelitatem a vobis de Casinensi Abbatia idcirco non accipimus, quia dudum nobis de Stabulensi Cœnobio fidelitatem dedisti, nolo ut successores tui te trahant in exemplum, & dicant se successionibus meis de Casinensi Cœnobio ideo non facturos fidelitatem, quia a te nostri Imperii Majestas non exegit: sed consuetudinariam fidelitatem, quam a temporibus Caroli, & deinceps Abbates de Abbatia Casinensi fecerunt, facere studeant.

Litteras assecurationis, sicut ceteri Regni Barones impetrant, & a vasallis jusjurandum assecurationis exigere valent. Robertus Rex an. 1328. bona feudalia confirmat Nicolao Episcopo Aprutini apud Ugel. *Italia Sacr. to. 1. p. 363. Devota per eundem Episcopum supplicatione subjuncta, ut cum ipse in Aprutinum Episcopum de novo per Sedem Apostolicam sit creatus, assecurari ab omnibus vasallis; tam de Civitate Terami, quam aliorum Terrarum, Castrorum, & bonorum ipsorum, quæ juste tenet & possidet, ut præsenti juxta Regni consuetudinem benignius mandaremus, ut supplicationibus inclinati, quia de concessione ipsa prædictorum bonorum factæ eidem Aprutinæ Ecclesiæ, per privilegia dictorum Catholicorum Regum Siciliæ, alias præsentata, & visa in Regia Curia supradicta, ipsi Curiæ constitit, idemque Aprutinus Episcopus in generali, & communi forma etiam prælatis in dicta fidelitatis nostris Sacramentum præstitit, & pro Castris, & bonis feudalibus prænarratis, quæ ipse, ut prædicitur, ab eadem regia Curia tenet, habet in feudum præfatus Episcopus nobis pro parte Rev. D. Genitoris nostri, ac nostra LIGIUM fecit HOMAGIUM, & fidelitatis a vasallis debitæ solitum exhibuit juramentum. Faciatis deinde jam dicto Episcopo ab eisdem hominibus, & vasallis juxta usum, & consuetudinem memoratas ASSECURATIONES DEBITE SACRAMENTA præstari.* Et passim in regiis concessionibus apud Pirrum, Ugellium, & Regni Regesta occurrit.

Quemadmodum Carolus II. *in Regesto sign. 1298. G. fol. 145. a ter.* Scribit Justitiario Aprutii, *scire te volumus, quod Monasterio Sancte Marie de Victoria quod Claro memorie Rex Dominus pater noster fundavit, & de novo construxit paternis vestigiis inhærentes medietatem Castri podii Philippi, & Casalis Sancti Michaelis in decreta tibi Provincie positorum cum hominibus vasallis redditibus servitiis domibus possessionibus vineis olivetis terris cultis & incultis planis montibus pratis nemoribus pascuis moldeninis aquis aquarumque decursibus tenimentis tenimentiis juribus, jurisdictionibus & pertinentiis omnibus Medietatis ipsius quæ vidalicee de demanio in demanium, & quæ de servitiis in servitium in perpetuum dedi-*

mus

mus donavimus tradidimus & concessimus de liberalitate mera & gratia speciali. Volumus igitur & fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus statim receptis presentibus recepto prius ob hominibus predicte medietatis ipsorum Castrorum Casalis pro nobis fidelitatis solito juramento facias Abbati, & Conventui predicti Monasterii Sancte Marie de Victoria nomine ac pro parte ipsius Monasterii ab eisdem hominibus ASSECURATIONIS DEBITE SACRAMENTA præstari & intendi & respondere eisdem omnibus in quibus tenentur & debent [illegible] usum & consuetudinem Regni hujus juribus Curie nostre & alterius cujuslibet semper salvis. Datum Neapoli per Bartolomeum de Capua &c. die XVIII. Novembris XII. indictionis.

Causſas appellationum Rex cognoſcit, cum ex decreto Prælati feudatarii cives provocaverint. Nam dum Rex Prælatis feuda concedit, etſi civilis juriſdictio ſimul cum infeudatione olim tranſiiſſet, & poſtea ſub Alphonſo I. criminalis, ſive merum imperium dari cepiſſet, tamen ſemper Rex jus Supremum, & juriſdictionem ſibi reſervat, qua ab inferioribus & Magiſtratibus, & Prælatis feuda tenentibus, ſubditorum querelas audire poteſt. Ano ſi Senior eſt perſona Eccleſiaſtica appellatio ad Eccleſiaſticum judicem, ſi ſecularis ad ſecularem devolvenda eſt. Et in Germanico Imperio cauſſas majorum feudorum immediate judicium Aulicum, excluſa Camera, determinat, Mynſing. *Concl. V. obſ.* 5. *n.* 3. Roth. *in pand. feud. cap. fin. q.* 28. Sive itaque ſubditus Prælati feudatarii appellare velit, ſive cauſſa feudalis diſcutienda contingat, ſemper, ex cluſo Eccleſiaſtico judice, vel M. Curia Vicarie, vel R. Camera cognoſcit. Dicam *lib. IV.* Hæc juriſdictio ex dominio directo, quod penes Regem remanet, oritur, eique feudatarius, dum feudum accipit, ſe ſubiicit. Nec uti eccleſiaſtica perſona, ſed ut Marchio, Baro, Comes, Dux conſideratur, quum natura rei, & cauſſa perſonam, non perſona naturam rei ad ſe trahat, Gail. *lib.* 1. *obſ.* 37. *n.* 3.

§. XXVIII.

De Relevii ſolutione.

VAſallus, ſive novum feudum adquirat, ſive antiquo ſuccedat, inveſtituram a Seniore petit. Novi feudi inveſtitura duplex eſt abuſiva, ſive verbalis, & propria, hoc eſt realis. Abuſiva contingit, ſi ſenior ſuum vaſallum de feudo per vexillum, baculum, gladium, haſtam, aliudve ſymbolum, animo clientelam conſtituendi inveſtit, eaque vix fingi poteſt, quin præcedentem conventionem non continet,

neat,

neat, 11. *f.* 2. Hæc non poſſeſſionem, ſed jus ad rem transfert, niſi in re præſenti, oculiſque ſubjecta fiat, cum rei præſentia hoc agat, ut ejus poſſeſſio tradita videatur, quia non modo manibus, & pedibus, ſed & oculis poſſeſſionem apprehendimus *l.* 1. §. 21. *l.* 18. §. 2. *D. de adquir. poſſeſ.* (a).

Realis eſt, ſi Senior, vel alius ejus nomine vaſallum in poſſeſſionem feudi inducit, quam ſimpliciter Obertus in 11. *f.* 2. *poſſeſſionem* appellat. Aut ſi Senior vaſallo permittat, ut ipſe poſſeſſionem apprehendat. Sicut Alphonſus 1. *an.* 1457. feudum S. Lucidi vendidit Archiepiſcopo Cuſentino, deinde ſubdit, *poſſe manu etiam armata, & militari, ſi expedierit, quandocumque voluerit intrare, capere, & apprehendere corporalem, & vacuam poſſeſſionem dictæ Terræ S. Lucidi.* Idem jus Carolus III. Carolo Ruſo de feudis in Juſtitiariatu Idrunti inveſtito conceſſit, *Archa A. Marzo* 27. *an.* 1382. Si autem in feudo ſuccedit, intra annum, & diem inveſtituræ renovationem petere debet, ſecus feudum amittit 11. *f.* 24. 11. *f.* 52.

At, ſive feudum de novo adquirat, ſive ſuccedat, ſemper hominium Seniori jurabit, a quo onere eximi nequit, niſi Dominus conſenſiat, quamvis fidelitate feudali nunquam ſe ſpoliari poterit, ſecus clientela corrueret, 11. *f.* 3. *in fin.* Ad idem onus Eccleſia vaſalla obligatur, P. de Marca *de C. S. & I. lib. VIII. c.* 19. *n.* 1. *Ergo perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ feuda poſſidebant, per conſequentiam fiebant vaſalli Regum, illiſque præſtare tenebantur hominium, & juramentum fidelitatis itemque certum militum numerum juxta valorem feudorum. Præterea Regi tradere tenebantur Arces, & caſtra, quoties id Regis utilitas poſtulabat. Unde ſequitur neceſſario, Regem ob obitum Epiſcopi, quod eo caſu feudum vacet, illud ad ſe recipere poſſe, ac retinere, donec novus Epiſcopus inveſtituram feudi receperit, homagiumque, ac juramentum fidelitatis præſtiterit. Interim tamen Regi competit jus quoddam fruendi reditibus, dum cuſtodia durat.* Quod nunquam Pontificibus diſplicuit, ſed regula

(a) Sic Gulielm. Tyrius *lib. XIV. de Bello ſacr. cap. fin.* de Joanne Imp. CP. qui Raymundo Antiochiæ Principi plura caſtra jure feudi dedit, inquit, *cum debita honorificentia a Domino ſuſceptus Imperatore, recenſitis ad placitum hinc inde pactis conſenſum, fidelitatem ſuam Domino Imperatori manualiter exhibuit, ſed & ſtatim prædictarum urbium cum omnibus pertinentiis earum, D. Imperator inveſtituram ei conceſſit, ſpondens firmiſſime, quod æſtate proxime futura, eas, auctore Domino, comprehenſus corporaliter tradat.*

Digitized by Google

mus donavimus tradidimus & conceſſimus de liberalitate mera & gratia ſpeciali. Volumus igitur & fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus ſtatim receptis preſentibus recepto prius ab hominibus predicte medietatis ipſorum Caſtrorum Caſalis pro nobis fidelitatis ſolito juramento faciatis Abbati, & Conventui predicti Monaſterii Sancte Marie de Victoria nomine ac pro parte ipſius Monaſterii ab eiſdem hominibus ASSECURATIONIS DEBITE SACRAMENTA præſtari & intendi & reſpondere eiſdem omnibus in quibus tenentur & debent juxta uſum & conſuetudinem Regni hujus juribus Curie noſtre & alterius cujuslibet ſemper ſalvis. Datum Neapoli per Bartolomeum de Capua &c. die XVIII. Novembris XII. indictionis.

Cauſſas appellationum Rex cognoſcit, cum ex decreto Prælati feudatarii cives provocaverint. Nam dum Rex Prælatis feuda concedit, etſi civilis juriſdictio ſimul cum infeudatione olim tranſiiſſet, & poſtea ſub Alphonſo I. criminalis, ſive merum imperium dari cepiſſet, tamen ſemper Rex jus Supremum, & juriſdictionem ſibi reſervat, qua ab inferioribus & Magiſtratibus, & Prælatis feuda tenentibus, ſubditorum querelas audire poteſt. Ave ſi Senior eſt perſona Eccleſiaſtica appellatio ad Eccleſiaſticum judicem, ſi ſecularis ad ſecularem devolvenda eſt. Et in Germanico Imperio cauſſas majorum feudorum immediate judicium Aulicum, excluſa Camera, determinat, Mynſing. *Concl. V. obſ. 5. n. 3.* Roth. *in pand. feud. cap. fin. q. 28.* Sive itaque ſubditus Prælati feudatarii appellare velit, ſive cauſſa feudalis diſcutienda contingat, ſemper, excluſo Eccleſiaſtico judice, vel M. Curia Vicarii, vel R. Camera cognoſcit. Dicam *lib. IV.* Hæc juriſdictio ex dominio directo, quod penes Regem remanet, oritur, eique feudatarius, dum feudum accipit, ſe ſubiicit. Nec uti eccleſiaſtica perſona, ſed ut Marchio, Baro, Comes, Dux conſideratur, quum natura rei, & cauſſa perſonam, non perſona naturam rei ad ſe trahat, Gail. *lib. 1. obſ. 37. n. 3.*

§. XXVIII.

De Relevii ſolutione.

Vaſallus, ſive novum feudum adquirat, ſive antiquo ſuccedat, inveſtituram a Seniore petit. Novi feudi inveſtitura duplex eſt abuſiva, ſive verbalis, & propria, hoc eſt realis. Abuſiva contingit, ſi ſenior ſuum vaſallum de feudo per vexillum, baculum, gladium, haſtam, aliudve ſymbolum, animo clientelam conſtituendi inveſtit, eaque vix fingi poteſt, quin præcedentem conventionem non contineat,

neat, 11. *f.* 2. Hæc non poſſeſſionem, ſed jus ad rem transfert, niſi in re præſenti, oculiſque ſubjecta fiat, cum rei præſentia hoc agat, ut ejus poſſeſſio tradita videatur, quia non modo manibus, & pedibus, ſed & oculis poſſeſſionem apprehendimus *l.* 1. §. 21. *l.* 18. §. 2. *D. de adquir. poſſeſ.* (a).

Realis eſt, ſi Senior, vel alius ejus nomine vaſallum in poſſeſſionem feudi inducit, quam ſimpliciter Obertus in 11. *f.* 2. *poſſeſſionem* appellat. Aut ſi Senior vaſallo permittat, ut ipſe poſſeſſionem apprehendat. Sicut Alphonſus 1. *an.* 1457. feudum S. Lucidi vendidit Archiepiſcopo Cuſentino, deinde ſubdit, *poſſe manu etiam armata, & militari, ſi expedierit, quandocumque voluerit intrare, capere, & apprehendere corporalem, & vacuam poſſeſſionem dictæ Terræ S. Lucidi*. Idem jus Carolus III. Carolo Ruſo de feudis in Juſtitiariatu Idrunti inveſtito conceſſit, *Archa A. Marzo* 27. *an.* 1382. Si autem in feudo ſuccedit, intra annum, & diem inveſtituræ renovationem petere debet, ſecus feudum amittit 11. *f.* 24. 11. *f.* 52.

At, ſive feudum de novo adquirat, ſive ſuccedat, ſemper hominium Seniori jurabit, a quo onere eximi nequit, niſi Dominus conſenſiat, quamvis fidelitate feudali nunquam ſe ſpoliari poterit, ſecus clientela corrueret, 11. *f.* 3. *in fin.* Ad idem onus Eccleſia vaſalla obligatur, P. de Marca *de C. S. & I. lib. VIII. c.* 19. *n.* 1. *Ergo perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ feuda poſſidebant, per conſequentiam fiebant vaſalli Regum, illiſque præſtare tenebantur hominium, & juramentum fidelitatis itemque certum militum numerum juxta valorem feudorum. Præterea Regi tradere tenebantur Arces, & caſtra, quoties id Regis utilitas poſtulabat. Unde ſequitur neceſſario, Regem ob obitum Epiſcopi, quod eo caſu feudum vacet, illud ad ſe recipere poſſe, ac retinere, donec novus Epiſcopus inveſtituram feudi receperit, homagiumque, ac juramentum fidelitatis præſtiterit. Interim tamen Regi competit jus quoddam fruendi reditibus, dum cuſtodia durat*. Quod nunquam Pontificibus diſplicuit, ſed regula

(a) Sic Gulielm. Tyrius *lib. XIV. de Bello ſacr. cap. fin.* de Joanne Imp. CP. qui Raymundo Antiochiæ Principi plura caſtra jure feudi dedit, inquit, *cum debita honorificentia a Domino ſuſceptus Imperatore, recenſitis ad placitum hinc inde pactis conſenſum, fidelitatem ſuam Domino Imperatori manualiter exhibuit, ſed & ſtatim prædictarum urbium cum omnibus pertinentiis earum, D. Imperator inveſtituram ei conceſſit, ſpondens firmiſſime, quod æſtate proxime futura, eas, auctore Domino, comprehenſus corporaliter tradat.*

Digitized by Google

constantem, & ubique placuit, *quoniam Prælatus feuda a laico possidet, omnes veri feudi conditiones observet, ac si laicus possideret*, ut nuper comprobatum est, ceterorumque interpretum placita consensiunt.

His præmissis. In Regno, dum vasallus in feudo succedit, non renovat investituram, sed R. Curiæ relevium solvit, quod vicem renovationis sustinet. Renovatio recognitionem directi dominii, possessionem, & fidelitatem comprehendit, relevium autem hæc tria sub se involuit, novamque vitam feudo concedit, & ad pristinam conditionem, quasi jure postliminii, reducit. Dum vasallus relevium solvit, suum jus confirmare, fidelitatem præstare, & Dominum recognoscere censetur. Prælati successor investituram feudi Ecclesiæ renovare, & fidelitatem jurare cogendus, ne feudum caducum evaderet, & donec novus Prælatus eligeretur, Dominus feudi fructus percipit, quod jus *regium*, sive *regaliam* a vetusta Regum in Europa ætate profectam nuncupamus, & definit. Nat. Alexand. *H. E. seculo* XIII. *& XIV. differ.* VIII. *art.* I. *n.* I. *jus regium Fruendi reditibus Ecclesiæ vacantis, & conferendi beneficia aucam animarum non habentia quæ ab Episcopo conferri solent; donec novus Episcopus Fidelitatis Regi præstiterit, investituram bonorum Ecclesiasticorum ab ejus majestate acceperit, ac regias litteras sacramenti sui testes in Rationum principalium Commentarios referri, sive in Camera computorum Regesta conscribi curaverit, & mandatum ab ipsa impetraverit, quo manum regiam temporalibus bonis injectam auferri jubeat.* Illustrat P. de Marca *lib.* VIII. *c.* 22. *& seqq.* & nos supra (*a*).

De-

(a) Hoc jus Regium undique fere in Europa obtinebat. In Regno, cum plurimas Ecclesias Normannica pietas, Suevica, Andegavensis, & sequentium liberalitas ædificasset, & dotasset, idem jus in iis adquisivit. Sane olim Ecclesia erat in quasi dominio fundatoris, qui de ejus bonis presbyterum consensu Episcopi investiebat, in quem aliquam potestatem tunquam sui feudi vasallum exercebat. Postea seculo fere XII. hæc dominii species Episcopis, & Pontificibus displicuit, & ad solam præsentationem, & honorifica jura restrinxit, ut prolixe Boehmer. *tit. Decr. de jurepatron.* §. 31. Idem dominium Regibus nostris erat, unde passim apud Leonem Ostiensem, Pisanum, Ugellium, & Regesta Ecclesiarum donatio occurrit. Et Rogerius in Constit. *pro regnis* vacantium Ecclesiarum cum morte Prælatorum vitia sapientioribus ipsius Ecclesiæ concedi sanxit. Qui reditus ad usum ipsius Ecclesiæ, ministrorum, &

Defuncto itaque Prælato nova inveſtitura a ſucceſſore petenda eſt, & fidelitas præſtanda, qui ſi non petit, vel Feloniam committit, Feudo cadit, quamdiu ipſe Prælatus vixerit, quia Feudum Princeps, vel quiſquis non proprie Prælato, ſed Eccleſiæ conceſſit, II. *f*, 40. §. *item ſi Clericus, veluti Epiſcopus, Abbas beneficium habens a Rege datum, non ſolummodo perſonæ, ſed Eccleſiæ ipſum propter ſuam culpam perdat, eo vivente, & Eccleſiaſticum beneficium vel honorem habente, ad Regem pertineat: poſt mortem vero ejus ad ſucceſſorem ejus revertatur.* (*a*) Verum quia Eccleſia, Univerſi-

T 2

---

fabricæ deſtinatos colligerent, & quod ſupereſſet, futuro Prælato reſervarent. Rationem ſubdit, *quia omnes Eccleſias Regni noſtri & ſpecialiter ipſas, quæ paſtoribus carent, in manu* (hoc eſt dominio) *& protectione noſtra habemus.* Donec Carolus I. Sedis Apoſtolicæ Nuntios admiſiſſet, qui reditus bonorum colligebant, quæ Sedes Apoſtolica in Regno poſſidebat. Verum ſub Roberto, & Ponti ce Joanne XXII. Nuntiorum Poteſtas ad Colligendos vacantium Eccleſiarum fructus, & ſedi Apoſtolicæ mittendos ſe porrexit, quæ adhuc durat, conf. Gajetanus de Argento *in Conſult.* I. *MS.* D. Jannon. *lib.* 22. *c.* 8. §. 2.

(a) Ut in veteri Eccleſia Epiſcopi ſucceſſori libertatis inſtrumentum liberti exhibere tenebantur, & ab eo confirmationem obtinebant, Concil. Toletan. IV. *can.* 70. *anno* 633. *in Can.* 65. C. XII. *q.* 2. Toletan. VI. *c.* 9. *an.* 638. *in can.* 64. *C.* XII. *q.* 2. Cæſaraug. III. an. 691. *can.* 4. *Non eſt dubium, a Sanctis Patribus definitum fuiſſe, ut omnes liberti, qui ab Epiſcopis ex propriis familiis Eccleſiæ, manumiſſionis gratia titulantur, poſt decedentis Epiſcopi obitum, mox ut alius ſupervenerit Epiſcopus, intra anni ſpatium libertates ſuas repræſentent, quo ſecundum canonis ſententiam per ſuas profeſſiones debitam ſuæ originis conditionem agnoſcant. Sed quia ita ſpeciali modo ſancta decrevit Synodus, ut ſi ipſi liberti infra anni ſpatium ſupervenienti ſuo Pontifici Chartulas libertatis ſuæ præſentare neglexerint, protinus eos in priſtinam ſervitutis redigant conditionem.* Poſtea excipit, niſi ignorans intra ſtatutum tempus non præſentaverit, tunc jacturam ſuæ libertatis non facit. Et in omnibus Conciliis, & Barbarorum legibus libertorum Eccleſiæ obſequium, & libertatis profeſſio, ne libera ingenuitatis jura præſcriptione adquirerent, ergo patronam Eccleſiam repetitur. Hinc ſicut morte manumiſſoris libertas ſervo data caduca, & extincta videtur, ita morte ſenoris feudum caducum videtur, idcirco libertas, & feudum renovatione indigent.

Digitized by Google

stras, aut Collegium nunquam moritur, estque manus mortua, relevium a vetustis Regni moribus ex Const. *post mortem* confirmatis, a feudi successore solvendum, Dominus nunquam exigere potuerit. Non jure hereditario, nec pacto hominis Prælatus succedit, sed jure electionis, quo defunctum non repræsentat. Idcirco quædam invaluit solutio, quam Ecclesia singulis quindecim annis domino feudi solvere debeat, & *quindennium* vocamus. Quod consuetudo interpretum omnium Regni & exterorum doctrina constituit, & rerum judicatarum auctoritas subscripsit, Frec. *de subfeud. lib.* II. *auct.* 3. *n.* 15. Montan. *in* II. *f.* 55. §. *præterea si quis n.* 52. Staiban. *resol. n.* 175. *n.* 21. Seraphin. Biscardi *in suo Respenso*. Differtio est, si Rex in investitura de *quindennio* non miminit, an debeatur? Placet, hodie semper deberi quemadmodum stylus R. Cameræ se gerit. Nam sicut relevium moribus est ab onus feudi, ita & quindennium, & utrumque, ut quodlibet servitium, ad feudi naturam pertinet, Carolus de Alexio *ad Demari.* 144. *n.* 3.

Quanam ætate quindennium persolvi ceperit? Nec lex Regni, nec monumenta me admonuerunt. Sed his principiis profluxisse suspicor: nempe ab *annatis*, & *quindennio*, quæ de beneficiis Ecclesiasticis solvi solebant. Imo & a laudimiis, quæ Ecclesia, vel quælibet manus mortua singulis xv. annis domino directo solvit, Matthæu *de Regim. Valent. cap.* II. §. 5. *n.* 113. Hieronym. Leo *decis.* 77. Anton. Niger *de Laudimio q.* 12. *n.* 149. Prior tamen annatæ solutio, quam laudimii inducta videtur. (a) Annata nihil aliud est, quam *reditus unius anni, ab eo, qui in demortui Episcopi, aut Abbatis locum succedit, summo Pontifici exolvendus*. Hujus tributi origo antiquissima est, primumque in Oriente cepta, deinde ad Occidentem transiit. Episcopos in ordinatione aliquid contribuere, vel accipere non puduit, quasi pro inthronistico, & cathedratico, quod nos installatio-

nem

(a) Dum Emphyteusis venditur, domino directo laudimium competit. Laudimium est quinquagesima pars pretii venditionis, quia novus possessor possessionem capere nequit, nisi dominum laudet, & recognoscet. Et pro hac investitura, proque in possessionem inductione hanc quantitatem exigit, *l.* 2. *C. de jure emphyt.* Pro locorum consuetudine nunc majus, nunc minus erit, & sæpe decima, tertiaria, quartaria, intsoitus, relevium, rachatus dicitur, Ant. Niger *de Laudimio q.* 1. Rachatus a voce gallica rachat, hoc est redemptio, relevium, seu certa pecuniæ quantitas, quam heres vasalli Seniori pro obtinendo patris feudo præstat. Elegantissimum exhibet exemplum Stephan. Balut. *in Miscellan. to.* III. *p.* 343. Ecclesia igitur singulis xv. an. laudimium solvit, ac si emphyteusis venderetur.

Digitized by Google

nem vocamus, non autem pro conſecratione, ut ſub his vocabulis rei turpitudinem tegerent. Juſtinianus prohibere voluit, ſed abuſum omnino evellere non potuit, idcirco quantitatem præſcripſit *in Nov.* 123. *c.* 3. quam Concilium Chalcedonenſe reprobaſſe cognoſcebat. Nam Imp. in *c.* 16. Ordinationes Clericorum gratis fieri jubet, ſed conſuetudinem dandi aliquid Officialibus Epiſcopi comprobat, *ſed neque clericum cujuſcumque gradus dare aliquid ei, a quo ordinatur, aut alii cuilibet perſonæ permittimus: ſolas autem præbere eum conſuetudines iis, qui ordinantium miniſtrantes ſunt, ex conſuetudine accipientibus unius anni emolumenta non tranſcendentem*. A quo Gotofredus, Boehmerus, aliique *annatarum* originem repetunt, & recte, ut verba *emolumenta unius anni* oſtendunt, quarum fata P. de Marca *de Concord. lib. VI. c.* 10. Natal. Alexand. *H. E. ſeculo XV. & XVI. diſſert. IX. art.* 1. *& ſeqq.* Thomaſi. *par.* III. *lib.* 2. *c.* 58. exponunt (*a*).

Quindennium eſt ſpecialis quædam annata, & de quindecim in quindecim annos de illis beneficiis, quæ monaſteriis, vel Capitulo unita ſunt, ſolvitur ab iis, quorum favore beneficia ſunt unita. Nam beneficia conjuncta, ſive incorporata Collegio, vel Capitulo, vel Conventui, vel in illorum favorem ceſſa, ſeu re-

(a) Nec tantum Romæ, ſed & in aliis Eccleſiis annatarum Conſuetudo ſervabatur. Honor. III. Tullenſi Epiſcopo indulſit, ut Fructus beneficiorum, quæ interim in diœceſi ſua vacabant, biennio retineret, *Cap.* 32. *de U. S.* Bonifacius VIII. alteri Epiſcopo in *cap.* 10. *de Reſcrip. in VI.* ad quinquennium conceſſit. Primus tamen qui ex R. Pontificibus annatas non in univerſa Eccleſia, ſed in Anglicana tantum exegiſſet, recenſetur Clemens V. qui *an.* 1305. omnes reditus beneficiorum primo vacantium in Anglia per biennium vindicavit. Etſi ante hunc Pontificem in Curia Romana conſuetudo invaluiſſet, ut Epiſcopi in ſua conſecratione, & Abbates in benedictione aliquam pecuniæ quantitatem Pontifici conferrent. Primus Joannes XXII. an. 1319. jus ſcriptum de annatis conſtituit. Dum annuum tributum ex omnibus parochiis, præbendis, & Capellis, quæ intra triennium vacarent, ſibi reſervavit, ut R. Curiæ neceſſitatibus ſubveniret, Extrav. *Nonnulla de præbend.* Et antequam in Curia Romana annatarum conſuetudo obtinuiſſet, Epiſcopi fructus primi anni beneficiorum in ſuis diœceſibus vacantium accipiebant, Thomaſin. *loc. cit. c.* 58. *n.* 1. Vid. Boehm *tit. decr. de tempor. ordin.* §. 33. Fagnan. *ad cap.* 1. *de Prælati vices*, Nat. Alexand. *loc. cit. art.* VI. ubi juſtitiam annatarum probant, & a ſimoniæ labe liberant.

Digitized by Google

resignata, nunquam vacant, nec annatam præstare possunt, quæ relevio in Feudis comparari videtur. Et ne Camera apostolica hoc tributum amitteret, Paulus II. Innocent. VIII. Julius II. Julius III. a tempore unionis, transacto quindecim annorum spatio, denuo annatam persolvi constituerunt. Et Pius V. apud Petrum Matthæum *in septimo decret. Collect. lib.* II. *tit.* 3. *c.* 7. & rationem quindenni, & beneficiorum qualitatem recensct. *Nos considerantes, quod annatarum communium, & aliorum jurium prædictorum exactio, in recognitionem universalis dominii introducta, est antiquissima, quindenniorumque usus, & solutio ideo adinventi sunt, ut camera prædicta ex Monasteriorum, Prioratuum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum unionibus, quæ amplius vacare non speratur, detrimentum aliquod pateretur, volentes Cameræ nostræ Apostolicæ & venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, nec non dil. filiorum Rom. Curiæ Officialium participantium jura præservare, illorumque indemnitati consulere, ad omne dubium omnemque disputandi, & excipiendi occasionem tollendum, motu simili &c.*

Omnia & singula monasteria tam secularia, quam quorumvis ordinum regularia, dummodo in libris ejusdem Cameræ, tanquam reperiantur, reliqua vero monasteria, Prioratus, Præposituras, Præpositatus, tam seculares, quam quorumvis ordinum regulares, nec non dignitates, personatus, administrationes, officia, & alia quæcumque beneficia Ecclesiastica; etiam si manualia, & de jure patronatus existant, quorum fructus &c. summam XXIV. ducatorum auri de Cam. se. com. æst. val. annuum excedunt, a quocumque tempore citra, etiam ante fel. rec. Martinum Papam V. similiter prædecessorem nostrum, & per nos, & successores nostros, quibuscumque cathedralibus, etiam metropolitanis, seu collegiatis ecclesiis, aut Capitularibus mensis, etiam pro quotidianis distributionibus, aut aliis usibus, nec non collegiis, Universitatibus, Congregationibus, quorumvis Ordinum, monasteriis, domibus, hospitalibus, Fabriis, ac utriusque sexus personarum piis locis, quantumvis privilegiatis, & exemptis, sub quibuscumque tenoribus, ac formis apost. auctoritate unita, seu alias quomodolibet, & quovis titulo obtenta, & possessa, sub litteris Pauli II. & aliorum Prædecessorum hujusmodi comprehendi, & includi.

Et præterea omnia, & singula Cathedralium etiam metropolitanarum, Ecclesiarumque Collegiatarum, Capitula, Congregationes, Universitates, Collegia, hospitalia, & pia loca, & quivis alii, in quorum favorem unitiones, annexiones, incorporationes, applicationes, & subjectiones hujusmodi facta reperiuntur, quantumcumque, ut

Digitized by Google

præferatur, exemplo, & privilegiatæ existant, etiamsi se superinde in Com. apost. non obligaverint, dummodo monasteria, & beneficia ipsa possideant, ad solutionem communium annatarum, & aliorum jurium prædictorum, eidem Cameræ pro tempore præterito (salvis collegii, & officialium juribus, quoad futura remanentibus) ratione unionum, annexionum incorporationum, applicationum, & submissionum prædictorum, singulis XV. annis, a die qua illæ suum sortitæ fuerunt effectum, & alias juxta tenorem litterarum, in forma motus proprii a Julio III. prædecessore prædicto, super applicatione quindenniorum prædictorum eidem Cameræ facta, desuper emanatarum faciendam, teneri, & obbligatos esse. Et Parisius lib. IV. de Resignat. benef. q. 10. n. 1. P. Ludewig. de jure annatar. c. 1. §. 8. Quindennium itaque in aula Romana, inductis jam beneficiorum annatis, solvitur de xv. in xv. an. de illis beneficiis, quæ in manus mortuas, hoc est Monasteria, Collegia, Universitates, Capitula transierunt, ne Camera damnum sentiret, cum amplius vacare non contigeret.

Exemplo hujusmodi *quindennii* Feuda Ecclesiis concessa obtinuit, ut de XV. in XV. annos relevia, seu quindennia R. Curiæ præstarent. Ecclesia, Universitas, vel Collegium non moriuntur, & Senior nunquam relevium exigere, nec renovationem investituræ petere posset. Sed ne jus senioris inutile esset, semper abscedente renovatione, cujus tempore relevium solvi oportet, etsi sola relevii solutio jure Regni sufficiat. Sicut jure Romano ususfructus civitati, vel municipio relictus, non finitur, nisi centum annorum spatio, vel si civitas hostile aratrum, terræ motum, chasma, vel capitis diminutionem, hoc est juris civitatis amissionem passa sit, ne proprietas semper inutilis esset, *l. 3. §. 2. D. de usufr. l. 8. D. de usu, & usufr.* Ita & ususfructus Ecclesiæ relictus centum annis perit, quasi morte hominis, cum hæc longissima hominis vita censeatur. At hoc temporis spatium moribus nostris displicuit, eique quindecim annos substituerunt. Aut si pacto Seniorem inter & Prælatum, vel Abbatem convenit, ut feudum aliquis laicus nomine Ecclesiæ teneret, cujus morte, Prælatus renovationem, simul cum relevio præstet. Quod vidit jac. Cujac. ad lib. XVII. QQ. Papin. *p. 454. qua ratione & hodie utimur in usufructu relicto Ecclesiæ, ut finiatur quasi morte hominis spatio centum annorum, ac si Ecclesia fingatur esse velut homo, & in feudis, quæ morte Clientis redeunt ad Dominum, nisi solvantur* εσδεχτικὸ (hoc est laudimium, vel aliquid quod pro introitu solvitur, qua voce Imp. Leo in græcis Novellis utitur) *si feudum obtineat Ecclesia, quæ nunquam moritur, in feudo renovando observandum*

spa-

Digitized by Google

spatium centum annorum: vel Ecclesia debet dare domino suo aliquem hominem, cujus mors expectetur, cujusque morte Ecclesia compellatur renovare feudum, aut renovationem feudi a Domino postulare.

Et eleganter P. Gregorius *lib.* VI. *Syntagm. c.* 15. *n.* 10. *Ecclesia quoque quæ feudum habet temporalis domini, cum ipsa non moriatur, nec vivat, dat hominem patróno viventem, morientem, & confiscantem, aut indemnitatem, ideſt substituit locum sui, hominem, in quem possit mors, & confiscatio cadere: ita quoties is homo moritur, vel alio modo privatur feudo, debet Ecclesia quoque exhibere per alium hominium, & indemnitatem, & alia debita, pari modo in mutatione patroni, alioquin patronus manus in feudum, ut homine destitutum, jure injicit, & ita judicatur. Videturque indignus beneficio, qui obedientiam detrectat, & reverentiam quam hominum ostendit. Homagium quippe conjungit necessitudinem inter dominum & Vasallum, & Vasallus fit per illud quodammodo ejus.* Hinc universalis, & vetustissima in Europæ Ditionibus consuetudo servabatur, ut, decedente Imperatore, vel Comite, Duce, aut Marchione, a quibus Monasteria, Capitula, atque Ecclesiæ feuda tenebant, Prælati investituras iis exhiberent, &, præstito fidelitatis jurejurando, renovationem petebant. Sæpiusque Principes non modo confirmationem, sed & alia de novo, vel junc feudi, vel allodii concedebant. Atque hodie nostri Regni moribus Ecclesia, Monasteria, & Universitates, vel singulis xv. annis relevium R. Curiæ solvunt, aut feudum alicui Laico adscribunt, cujus morte idem onus præstant; Exempla refert Biscard. *in suo Responso* (a).

Si Universitas, vel Ecclesia xv. anno relevium non solvat, ejus Prælatus, aut Rector duplicatum solvere tenetur: quia hujusmodi loca privilegio a Laicorum feudis diverso non fruuntur. Generalis in Regno sensus est, ut si vasallus intra annum, & diem a morte Baronis relevium R. Curiæ non solverit, duplicatum præstare oporteat, a quo Universitas, atque Ecclesia immunis nunquam declaretur,

(a) Eadem ratione, quotiens bona emphyteutica ad Ecclesiam, vel Universitatem, vel Collegium transeunt, Ecclesia Vicarium constituere solet, quo defuncto, emphyteusis deficit, & alius, soluto laudimio, investitur. Exemplum affert Anton. Niger *de Laudimio q.* 12. *n.* 156. ubi Capitulum S. Mariæ Majoris de urbe dedit hominibus Castri Ficalis Urbevetanæ Diœcesis, Molendinum, terras, & vineas jure Emphyteutico ad tertiam usque generationem, Hoc pacto, ut extincta linea unius ex Universitate, Capitulo aperiretur.

Digitized by Google

tur, niſi modis, quos ſupra recenſui, conf. Capan. *loc. cit. par. v. q.* 23. Sicut &, ſi tempore, quo inveſtituræ renovatio petenda ſit, Decurio Univerſitatis, & Eccleſiæ Prælatus deceſſerint, nec quis eſt, qui petat, a pœna duplicati relevii ſe liberant. Et viciſſim, ſi quis ab Eccleſia, vel Univerſitate feudum cognoſcat, & pendente Rectoris, & Prælati electione, petitio inveſtituræ contingat, ab hac pœna exculatur, quia non eſt dominus, cui ſolvat, *l.* 4. §. 6. *D. ne dam. infect.*, *l.* 22. *D. Ex quibus cauſ. major.*, Ardizo *in ſum. c.* 72. *in fin.* Verum ſi mortuo Decurione, aliquis Officialis ab Univerſitate deſtinetur, ab eo inveſtitura petenda, ut in Regno adeſt R. Camera, Capan. *de jure relev. par.* IV. *q.* 35. Ceterum tam Univerſitas, Collegium, quam Eccleſia jure communi in clientelæ natura, atque oneribus utitur.

TITULUS XXIV.

De ſubvaſalliticis Regni Neapolitani obligationibus.

§. XXVI.

De *jurejurando aſſecurationis.*

INventis in Europa clientelis, Comites, Duces, Marchiones, & Barones, qui de provinciis, civitatibus, territoriis, atque oppidis inveſtiebantur, ſubvaſallos ſibi, aut totius feudi, aut ejus partis infeudatione conſtituere ſolebant, vel jure proprio, vel Senioris conſenſu, antequam apud nonnullas Gentes feudorum alienatio induceretur. Et ſicut Comes, Dux, & Marchio ſervitia, aliaſque obligationes ſuperiori Principi præſtare tenebatur, eodem obligationis vinculo ſubvaſalli ſuis Comitibus obſtringebantur, Capit. Caroli Calvii *an.* 844. *tit.* VI. 10. *Noverint præterea iidem Hiſpani ſibi licentiam a nobis conceſſam, ut ſe in vaſſatium Comitis noſtri ſicut alii Franci homines, commendent. Et ſi aliquod beneficium quiſquam eorum, ab eo, cui ſe commendavit, fuerit conſecutus, ſciat ſe de illo tale obſequium Seniori ſuo exhibere debere, quale noſtrates homines de ſimili beneficio Senioribus ſuis exhibere ſolent.* Ducis Burgundiæ, Ducis Bavariæ, Comitis Hollandiæ & Zelandiæ ſubvaſallorum, ſeu Baronum meminit Woltertus *in Chron. Bremen.*

In Regno Neapolitano, inſtituta a Rogerio Monarchia, Barones, & Comites conſenſu Regis ſui feudi territoria, & caſtra, ſubinfeudabant, ut *lib.* II. *tit.* XIX. §. 56., & ſubfeudatarii jure longobardo tunc dominante, Comitibus, & Baronibus ad onera

subfeudi obligabantur. Nam jure Regni, pauca de subfeudis statuta sunt, proinde jure longobardo vivimus. Inter hujusmodi onera jusjurandum affecurationis, seu fidelitatis recensetur, quod subvasallus suo Baroni, vel Comiti præstare debet, a quo feudum recognoscit, Andr. in Const. *domini a vasallis lib.* III. 18., *& in* II. *f.* 5. *n.* 1. Capyc. *in investit. v. feudorum affecurationes*, Intrigl. *cent.* II. *art.* 5. *n.* 643. Freccia *de subfeud. lib.* II. *auct.* 4. *n.* 1.

Atque si subvasallus, & burgensis erit, duplex jusjurandum præstabit, unum, quia feudum tenet, alterum quia in feudo habitat, Andr. in II. *f.* 53. *n.* 51., Frecc. *loc. cit. n.* 7. Formula affecurationis declaratur in d. Const. *domini a Vasallis*, videlicet Subvasalli jurabunt *de vita, membris, & captione corporis sui, & terreno honore, consilium quod eis crediderint, nulli relevent, & si aliquod siniſtrum de eis audierint, quod per se, vel per alium disturbare non possunt, eis aut alias pro parte eorum, per se, vel per alios, quam citius poterunt, renunciare curabunt, non erunt in arte, consilio, vel consensu qualiter Domini terram, quam habent, amittant, imo eam ipsis contra omnem hominem defendere pro posse curabunt, salva per omnia fidelitate, mandato, & ordinatione nostra, & heredum nostrorum.* Quod jusjurandum fidelitatis, seu hominium vocamus, in quo semper Regis persona excepta intelligitur. Quamvis feudatarii Monasterii Montis Casini in eorum fidelitatis juramento, quod Abbati illius monasterii ob feuda præstabant, nullus exciperetur, sed *contra omnes homines Mundi* defensurum jurabant, ut in formula fidelitatis dicitur, quam Abbas de Nuce in not. ab Leonem Ostien. *lib.* III. *c.* 52., refert, quod abusum existimo II. *f.* 55. *infin.* (*a*).

Atque sicut Baro, aut Comes immediatus Senior a suo subvasallo

(a) Formula ita se habet; *Non ero in Consilio, nec in facto, ut ipse dominus Abbas, vitam, aut membra, aut capiatur mala captione, aut munitiones suas perdat, vel bona. Quod si prædicta scivero, vel aliquid prædictorum, si potero, contradicam, ut non fiant; alioquin denunciabo domino, quam citius potero per me, vel per alium, ut sit domino meo notum. Item quod eidem domino erit facile, non faciam difficile, & quod eidem fuerit possibile, ut sit impossibile non tractabo. Item consilium, quod michi per se, ut per litteras, aut per nuncium manifestabit ad ejus dampnum, nulli pandam, sed postulatum consilium tribuam bona fide. Item juvabo ipsum Dominum, & defendam, & bona, & vitam suam toto meo posse, & secundum Deum, & justitiam contra omnes homines hujus mundi.*

Digitized by Google

ſallo fidelitatis jusjurandum exigit, ſic & ſubvaſallus a ſuis vaſallis petet. Exemplum exhibet Ugell. *Ital. diplom. tom.* VIII. *pag.* 256. in quo Robertus Comes Loretelli Eccleſiæ Bovinenſi Caſale S. Petri in Drugazario, Caſale Depni Leonis in territorio Bibini, Caſale Balnei in eodem territorio, Caſale Caſtellucii, aliave donavit, & addit, *quæ quidem Caſalia prædictæ Bibinenſis Eccleſia in capite teneat, & immediate libera & exempta ab omni reali ſervitio, ac etiam perſonali, a quorum Caſalium hominibus, Epiſcopus* (id eſt Giſo) *prout eſt moris, ipſius Eccleſiæ nomine, aſſecurationes datas recipiat, juramenta, homagia, ſalva fidelitate Domini noſtri Regis Willelmi, heredum ſuorum, & alterius cujuslibet ſucceſſoris, & quod nullum Bovini futurum Dominum aſſecuret idem Epiſcopus, nec homines Caſalium prædictorum, ſed regem tantum, qui dominabitur toti regno, & ut in prædicta Eccleſia divina deinceps officia ſedulo celebrentur.*

Hæc inveſtitura *an.* 1180. contingit, & quia feudum francum conſtituitur, Robertus omnino ſe juribus Senioris ſpoliat, atque ut ſibi jusjurandum aſſecurationis Prælatus Bovinenſis præſtaret, Regi exhibere jubet. Quam inveſtituram Willelmus Rex *an.* 1184., Fridericus II. *an.* 1223., Robertus *an.* 1324., & Ladislaus *an.* 1403. confirmarunt, quorum diplomata Ugell. *loc. cit.* refert.

§. XXVII.

De militari ſervitio.

JUre Regni ſubfeuda triplicis generis eſſe judicantur: quædam ſunt feuda quaternata *ſecundum quid*, cum Rex conferat, ſed a Barone immediate tenenda, cui militare ſervitium tempore belli tribus menſibus, equis, & armis, ſicut ipſemet Baro, ſubvaſallus præſtat. Si autem in Baronia Rex clientelam non a Barone, ſed ab ipſo Rege cognoſcendam conſtituet, tunc feudum vere quaternatum, non quaternatum ſecundum quid naſcitur. Et vaſallus immediate Regi, non Baroni ſervitia præſtabit. Aut, ſi Rex feudum quaternatum cum *ſubfeudis* concedat & Baronem a ſervitio eximat, ſubvaſallorum tamen ſervitia, aut pecuniarias præſtationes ſibi reſervat, tunc ſubvaſalli non Baroni, ſed Regi immediate ſervient. Sic Rex Willelmus II. Eccleſiæ Monteregalenſi O. B. Caſtellum Gaiti, Corleonis, & Calatraſi *libere, & abſque exactione ſervitutis* donat, ſed Baronum ſervitia ſibi exhibenda excepit, apud Pirrum *Sicilia Sacra to.* I. *notit.* III. *pag.* 453. *anno* 1176. *De Baronibus autem nobis, & heredibus noſtris, ac utilitati regni noſtri*

ſtri ſervitium reſervamus: & quotieſcumque videlicet pro cuſtodiis maritimæ Siciliæ, vel expeditione facienda, vel pro ſolemniis coronationis noſtræ, vel aliis ſolemnitatibus celebrandis a nobis, vel heredibus noſtris, Abbas ejuſdem Monaſterii, vel Conventus inde fuerit requiſitus, Barones ipſos ad ſervitium noſtrum, vel heredum noſtrorum, prout eorum feudum exigit, tranſmittat: ſi vero contigerit aliquem Baronem prædictorum Caſtellorum decedere, nullo herede relicto, qui ſibi de jure, & conſtitutione Curiæ noſtræ ſuccedere debeat, concedimus ut feudum, quod Baro ipſe ab eodem Monaſterio tenuerit in domanium ipſius Monaſterii, & poteſtatem deveniat. Quædam ſunt plana, & de tabula, de quibus militare ſervitium Baroni, non autem Regi perſolvitur: quædam plana, & de tabula, quæ annuam penſionem eidem Baroni quotannis, aut ut pactum eſt, præſtant, P. de Monteforte in Conſt. *ſi quando contigerit lib.* III. 10., Capyc. *in inveſt. v. feudorum genera* §. *in regno*, & §. *tenaſiæ*, & *in* II. *f.* 55. *pag.* 26. Afflict. *in prælud. feud. n.* 70.

Subvaſallus, qui feudum planum militare a Barone recognoſcit tempore belli, quod Rex indicit, quadraginta diebus Baroni ſervire tenetur, ſumptibus tamen, & equis ipſius Baronis, niſi in inveſtitura aliter conventum ſit, ex Cap. Caroli II. quod MS. legit Frecc. *de ſubfeud. lib.* III. *differ.* 19. Montan. *in* II. *f.* 55. *n.* 76. Et Afflict. in II. f. 24. *n.* 25. affert Cap. R. Roberti, quod incipit, *habuit feudatariorum tuorum*, nempe niſi aliter conſuetudo jubeat, aut fuerit feudum, quod integrum militare ſervitium, vel dimidium, vel quartam militaris ſervitii partem præſtare deberet: aut ſi perſonalis ſervitii præſtatio non urgeat, in pecunia tunc ſolvet, idque Roberto placuit. In feudis vere quaternatis tribus menſibus Baro ſervire debet, Gumia in cap. *ſi aliquem v. ſervitii conſueti n.* 20. Nec Baro tempore generalis ſervitii, & belli, ſubvaſallo militare ſervitium remittere valet, quia, etſi hujuſmodi ſervitium Baroni præſtetur, utilitatem tamen Regis, hoc eſt Reipublicæ bonum contemplatur (*a*). Hinc ſubfeuda militaria, quæ aperiuntur, Baro in ſuo cenſu retinere nequit, ſed ſubinfeudari oportet, ſecus militare ſervitium Regi exhibendum diminueretur, ideo in inveſtituris regni clauſula, quæ *de demanio in demanium*, *quæ de ſervitio in ſervitium* a Nortmanis uſque ad nos intro-

(a) Matth. Spinell. in Ephemer. Neapol. *die* 5. *Januarii mult. Comes Moliſii, qui Comitatus fuerat corpus Imperatoris* (Friderici II.) *Tarento rediens, venit Barium ad viſitandum corpus S. Nicolai, & poſtea venit Juvenatium hoſpitandi cauſſa cum aliis Baronibus ſubfeudatariis ſuis.*

Digitized by Google

introducta, apponi solet, *lib.* 11. *tit.* XIX. §. 56. Andr. in Const. *divæ memoriæ in fin.*, Montan. *loc. cit.*, Frecc. *de subfeud. lib.* 11. *sect.* 3. *n.* 18. Exempla et Catalogo Willelmi II. sæpius laudato depromam.

Subvasalli Comitis Rogerii de Aquila, qui tempore expeditionis milites LXXXVIII. & servientes C. obtulit.

Boamundus Malba tenet Summontem, quia est feudum II. militum, & cum augmento obtulit milites IV. & servientes X.

Robertus de Tufo tenet Montem Frederi, quod, sicut dixit, est feudum II. militum. Et cum augmento obtulit milites IV. & servientes X.

Rogerius de Farneto tenet Gruptam, & Salsam quæ sunt feuda II. militum. Et cum augmento obtulit milites IV. & servientes X. una tam de feudo demanii, quam servitii prædicti Comitis sunt milites XLIX. & augmentum ejus tam demanii, quam servitii sunt milites XLI. Una sunt omnes milites C. & servientes CXXX. Et si necessitas fuerit belli ultra promissum, quotquot habere poterit.

De eadem Cemestabulia. Riccardus filius Riccardi sub Comestabulia Guaimundi de Montellar.

Filius Guimundi de Montellar dixit, quod tenet Castellacium, quod est feudum II. militum, & cum augmento obtulit milites IV.

Raho de Rocca Troja dixit, quod tenet tertiam partem I. militis, & cum augmento obtulit seipsum.

Armannus dixit, quod tenet dimidii feudum militis in Fogia, & cum augmento obtulit militem I. Mainardus de Trano dixit, quod tenet Prisurgium quod est feudum I. militis, & cum augmento obtulit milites II. & servientes III.

Johannes de Boccio dixit, quod tenet XX. Commendatarios in Castellione, & cum augmento obtulit militem I.

Subvasalli Jonathas Comitis Consiæ, qui milites LII. & cum augmento milites CIV. & servientes C. obtulit.

Robertus de Marra, sicut dixit, tenet de Castellione feudum II. militum. Et cum augmento obtulit milites IV. Gualleranus Follevill. dixit, quod tenet Andrettam quæ sicut dixit, est feudum II. militum, & cum augmento obtulit milites IV.

Philippus Turricella dixit, quod tenet Turricellam quæ sicut dixit,

Digitized by Google

dixit, est feudum I. militis, & cum augmento obtulit milites II. Una de proprio feudo tam demanii, quam servitii prædicti Comitis Jonathæ sunt milites LXIII. & cum augmento obtulit milites CXXVI. & servientes C.

Thomasius Filius Comitis Catacensis dixit, quod tenet Mortaclum, quod, sicut dixit, est feudum III. militum & Carbonariam, quod, sicut dixit, feudum III. militum, & cum augmento obtulit milites XII.

Riccardus Comes de Fundis cum XIII. subvasallis. Ricchardus Comes de Aquila cum XIV. Robertus Comes Pennæ cum XVI. Simonus Comes de Sangro cum III. Robertus Comes Casertæ cum X. Comes Roccæ Montis Dragonis cum IV. Alter Riccardus de Aquila cum XIV. Arnaldus de Fossaceca cum VI. Domina Montis Falconis VIII. etc. ad expeditionem parati se contulerunt. Nec tantum Comes, vel Baro, qui feuda in capite a R. Curia tenebant, Castra, oppida, vel civitates aut territoria Regiis assensu subinfeudare poterat, sed & ipsi subvasalli sui subfeudi partem aliis assensu Comitis, vel Baronis in subfeudum concedebant. Et sicut primus subvasallus immediate senori militare servitium, ita secundus primo, qui immediatus sibi erat Senior, præstare cogebantur. Exemplum ex eodem Willielmi catalogo promam.

Vasalli Gisalphi de Palude subvasalli Comitis de Marsico.

Domina Sansæ, sicut, dixit, tenet de eo feudum II. militum. Et cum augmento obtulit milites V.

Gibel de Zoria tenet de eodem Gisulpho, sicut dixit, feudum II. militum, & cum augmento obtulit milites IV. Rogerius de Casella, sicut dixit, tenet de eo feudum, I. militis scilicet. Et cum augmento obtulit milites II.

Vasalli Guillelmi de Anglono subvasalli Hugonis Comitis Guardiæ.

Tancredus de Civitella, & frater ejus tenent de eodem Guillelmo de Anglono Civitellam, quæ est feudum II. militum. Et cum augmento obtulit milites IV. & servientes IV.

Joczolinus de Caccabone tenet de prædicto Guilelmo Anglon, quod est feudum II. militum. Et cum augmento obtulit milites IV. & servientes IV.

Robertus de Maccla, & fratres ejus tenent de supradicto Guillelmo Macclam feudum I. militis.

Gentilis Senebaldus tenet de eodem Guillelmo Castellum novum,

Digitized by Google

vum, quod est, ut dixit, feudum I. militis. Et cum augmento obtulit milites II. & servientes II.

Gualterus Baronus tenet de eodem Guillelmo Castellum Larronem, quod est, ut dixit, feudum I. militis. Et cum augmento obtulit milites II. & servientes II.

Robertus de Guasto tenet de eodem Guillelmo Anglon. Guastum, quod est, sicut dixit, feudum 1. militis, & cum augmento obtulit milites II. & servientes II.

Non modo Barones laici infeudatione subvasallos, sed & Ecclesiastici sibi creabant. Sicut Abbas S. Joannis in Venere XII. subvasallos, Abbas S. Stephani de Rivomaris II. armis, & militibus instructos obtulerunt. Ex his eruitur, nullam propemodum in nostris Provinciis glebam olim, & hodie esse, quæ non feudalem conditionem experiretur, nullam allodii libertatem, quæ invictissimis Regibus nostris domi, militiæque non serviret. Proinde Baronum & subvasallorum servitia fortitudinem, & regalis exercitus splendorem substinebant, quibus Reges nostri potentissimos hostes consternere, & in rebus publicis, privatisque servare poterant. Barones clientelares reditus non luxui, conviviis, & pretiosis vestibus, palatiis, aliisque ornamentis inutiliter pecunias exhaurientibus erogabant, sed arma, equos, hominesque militaris disciplinæ peritos secum retinere pro Regis servitio, Regni robore, Gentis decore, & familiæ gloria curabant. Quisque Baro tui feudi castra, territoria, vel reditus subinfeudare, annuente Rege, cupiebat, ut subvasallis, equis, armisque instructus instar Reguli ab bellum pergere posset.

§. XXVIII.

De Adoba, & relevio.

QUemadmodum loco militaris servitii in Baronibus, & Comitibus adoha quotannis solvenda, subrogata est, ita in subvasallis eadem solvendi obligatio remansit. Nam tempus solvendi adoham a subvasallo est, quo Baro suus Seniori eam Regi solvit. Si enim subvasallus adoham tempore belli solvere nolit, feudum amittit, & Domino immediato, sive Baroni cedit, Afflict. *in* 11. *f.* 55. §. *firmiter n.* 12.. Quare assidue in investituris subfeudorum hujus Regni, præcipue Ducis Montisleonis, Salerni, & Bisiniani, clausula occurrit, ut sicut Baro Regi adoham, sic & subvasallus Baroni persolvere teneatur. Sæpe tamen Baro servire cogitur, quin subvasallus servire obligetur; nempe Rex injuste Baronem ad servitium, ubi, & quando non debet,

debet, compellit, ſubvaſallum Baro ad ſerviendum compellere non poteſt, quia factum unius injuſte actum alteri non nocet. Et contra, ſi Rex Baroni ſervitium remittit, nihilominus ſubvaſallus Baroni ſervire tenetur, quia donatio uni facta, alteri non prodeſt, niſi Rex contemplatione Baronis, & ſubvaſallorum ſervitia remiſerit, tunc ejus ſubvaſalli ſervire non debent; quod ex conceſſionis privilegio probatur, *cap. VII. de privileg.* Andr. *in* 11. *f.* 24. *n.* 41., Montan. *in* 11. *f.* 55. §. *firmiter n.* 61. Afflictus tamen *in* 11. *f.* 24. *n.* 31. tenet, ſubvaſallos nunquam ad adohæ ſolutionem compelli, ſi Rex Baroni remiſit.

Nam Baro tunc a ſubvaſallis adoham exigit, quoties ipſe Regi perſolvit, & adohæ ſubvaſallorum ſolutio acceſſorium Baronalis adohæ exiſtimetur. Ego ſemper litteram privilegii, ſive gratiæ inſpiciendam putavi. Generaliter tamen ad ſervitia non Rex, ſed Baro ſubvaſallos compellit, ex Cap. Honorii IV. *Nullus ſubfeudatarius pro feudo quod ab aliquo feudatario Regis tenet, compellatur ipſi Regi ſervire, ſed ſi aliquod aliud feudum ab ipſo Rege tenet in capite pro eo ſibi ſerviat, ut tenetur.* Nam ſubvaſallus non eſt vaſallus Regis, ſed Baronis, nec cum Rege, ſed Barone contraxit; etſi Rex Baronem requirat, ut ſerviat, & tunc Baro ad ſervitia ſubvaſallum vocat, & cogit, Roſent. *cap. VIII.* 10. *n.* 5., Curt. *par. IV. n.* 88. *&* 89., Duaren. *c. XII. n.* 14. Vaſallus vaſalli mei non eſt meus vaſallus, ſicut ſocius ſocii mei non eſt meus ſocius, quamvis ſi meus vaſallus, qui rem meam in ſubfeudum conceſſit, vocatus, ut ſerviat, & recuſat, feudo privari poſſit, & proinde ſubvaſallus a ſuo ſubfeudo etiam cadat, quod a principali dependet, Scrad. *par. VI. c.* 6. *n.* 58., Roſent. *loc. cit. n.* 8. Verum ſi Baro cum Rege bellum gerat, Baronis ſubvaſalli pro Rege, non Barone pugnare compelluntur, quia Regis, hoc eſt patriæ, Reipublicæ ſalus, & publicum commodum vertitur, quod privato anteferendum, cum ſubvaſallus plus ſuperiori Principi, & patriæ, quam Baroni patrono debet, Scrad. *loc. cit. n.* 60.

Feudum quoque quaternatum ſecundum quid, etiam Baroni ſervitium vel militare, vel adoham præſtari, nempe, ſicut Baro Regi tribus menſibus, cum tribus equis, ſuis ſumptibus, & armis ſervit, ita hujus feudi ſubvaſallus eundem ſerviendi modum ſuo Baroni exhibere tenetur, Barth. de Capua ad Conſt. *poſt mortem lib.* III. 25., ibi Afflict. *n.* 14., Montan. *in* 11. *f.* 55. §. *firmiter n.* 45. Feudum quaternatum ſecundum quid conſtituitur, quoties caſtrum aliquod Baroniæ, aut territorium conſenſu Regis, & Baronis alicui ſubinfeudatur, ſub Barone tenendum, & in quinternionibus R. Cameræ deſcribendum, cujus Rex collationem, ſeu

seu investituram ob subvasalli Feloniam, vel lineæ interitum reservat. Cum Felonia, & interitu lineæ subfeudum devolvatur, & Baro mortem Regi denunciat, ut iterum alteri conferre ipse Rex posset, dict. Const. *post mortem*. Servitia vero, atque alia subfeudi onera Baroni sunt exigenda, quum jure regni nihil immutatum videatur (*a*).

Feudum vero planum, & de tabula simplex, videlicet mansus, curtis, tenimentum, nulli subjacet clientelæ oneri. Nec in Regis quinternione, sed Baronis calendario describitur; nec Regis consensum, sed solius Baronis requirit, sive alienatione, sive erectione indigeat; nec Const. *minoribus lib.* III. 30. qua Rex Pupillis feudataris balium addicit; nec Const. *ut de successionibus lib.* III. 27. servatur, sed jus Romanum, dixi *in proleg. cap. IX.* §. 47., quum potius locatio, quam feudi concessio censeatur, quidquid perperam Capan. asserat. Onus subvasalli feudi plani simplicis est vinum, oleum, panis, vel pecunia, aliudve, sicut pacisci tur, quod Baronis liberalitas remittere potest, quia tantum in ejus utilitatem, non Regis redundat, & quisque juri, suoque lucro renunciare valet, Montan. *in* II. *f.* 55. *n.* 74., & eleganter Andr. *in* II. *f.* 16. *n.* 20.. *Alia feuda simplicia, quæ dantur per Comites, & Barones, non scribentur in registris Curiæ Regis:*

(a) Exemplum affert Ugell. *to. VII. Ital. Sacr.*. *Feudum quod tenet Riccius de Castromari consistit in domibus, vasallis, starziis, possessionibus, reditibus, & juribus aliis, de quo præstatur Comiti Casertæ rectum feudale servitium, videlicet cum adhoatur, solvitur ex eo adhoamento unciæ sex, tareni tres, & gr. quindecim. Item feudum quod tenetur per Pignatellos consistit in domibus, vasallis, starziis, possessionibus, reditibus, & juribus aliis, de quo præstatur Domino Civitatis Casertæ certum feudale servitium, videlicet cum adhoatur, solvitur pro adhoamento unciarum auri una caroleni viginti duo, & gr. decem. Item feudum quod tenet Johandes Antonius de Capece de Neap. vocatur feudum de Casanova, & consistit in domibus, vasallis, starziis, possessionibus, reditibus, & juribus aliis, de quo præstatur Domino Civitatis Casertæ certum feudale servitium, videlicet cum adhoatur, solvitur ex eo pro adhoamento tareni viginti octo. Item feudum quod tenet .... filius quondam Domini de Corrado consistit in domibus, vasallis, starziis, possessionibus, reditibus, & juribus aliis, de quo præstatur Domino Civitatis Casertæ certum feudale servitium, videlicet cum adhoatur solvitur ex eo pro adhoamento unciæ auri una, tareni viginti tres, & grano undecim.*

Digitized by Google

quia ſervitium illorum feudorum non ſit majori Curiæ Regis : ſed illis, qui ea concedunt (hoc eſt quod dicitur in forma privilegiorum, donamus tibi talem terram cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, quam de demanio in demanium ſcilicet habeas tu feudatarius: quam de ſervitio in ſervitium, ut ſcilicet feudatarii alii qui ſunt in illa terra non habentes feudum quaternatum, ſed planum, & de tabula tibi ſerviant) excipiuntur enim ſemper feuda quaternata: quæ in terra, quæ datur in feudum, ſunt. Sive ſervitium fuerit militare, ſive pecuniarium, nempe vinum, penſio, oleum; primum non remitti; ſed ſecundum poteſt, ut ſuperius probatum eſt, ne Regis conditioni damnum afferat.

Feudum planum, & de tabula relevio non ſubjacet, ſed tantum inveſtituræ, quam ſi intra annum, & diem non petit, feudo cadit, Frecc. *de ſubfeud. lib.* 11. 13. feudum vero quaternatum ſecundum quid, ſicut & ſimpliciter quaternatum relevium præſtat, Conſt. *poſt mortem Baronis, ſeu militis, qui a Comite, vel Barone alio Baroniam aliquam, vel feudum tenuerit, quæ in quaternionibus dobanæ noſtræ inveniuntur in ſcriptis: defuncti mortem per Comitem, vel Baronem, a quo prædicta tenuerit, excellentiæ noſtræ volumus nunciari. Et quid, & quantum ſit illud, quod defunctus ab ipſo tenebat, mobilia etiam decedentis ſcribi volumus ſeriatim, & ea omnia in publica documenta redacta ad noſtram curiam deſtinari jubemus, ut ex juſſione noſtra, quibus prædicta aſſignari debeant, injungatur. Baroniam etiam, ſive feudum, quod ad conceſſionem munificentiæ noſtræ ſpectat, ſi quando a nobis concedi contigerit, ut eſt moris, literas noſtras ad eum, a quo feudum tenetur, curabimus deſtinare: & quod id quod tenet ab eo, ſive ſit caſtrum, ſive ſit terra plana, ei, cui nos conceſſerimus, debeat aſſignare, ſuſcepto tamen mandato noſtro, & nulla mora protracta, Comes, vel Baro illud exequi procurabit. Recepto verumtamen aliquo relevio ut eſt moris, quantitatem decem unciarum auri non excedat pro aſſignanda poſſeſſione terræ conceſſæ.*

Fridericus in hac Conſtitut. ſanxit (1) quod Baro, aut Comes debeat R. Curiæ mortem ſui ſubvaſalli, qui feudum quaternatum in ſua baronia, vel comitatu tenet, denunciare, & inventarium omnium bonorum quæ reliquit, perficere, ut R. Curia, cui velit, aſſignet. (11) Poſtea illud Rex concedit, cui placet, & Baro tenetur ipſum feudum ei concedere, quem Rex deſignavit. Verum ſubvaſallus relevium Baroni ſolvere debet, dum eum in feudi poſſeſſionem inducit, modo relevium x. unciarum auri quantitatem non excedat. Quemadmodum Carolus I. *an.* 1269. *in Regeſto* 13. *fol.* XI. *ind.* XII. Fogiæ concedit Senebaldo de Valle Gupu-

Digitized by Google

Cupula Castra Corrupuli, & Staffile in Justitiariatu Aprutii, ibi *defensis insuper a quibuscumque personis invocato nostro nomine ipsorum castrorum hominibus imponentur, & contempte fuerint, quarum cognitio, & castigatio ad solam nostram curiam pertinebit. Collacionibus præterea feudorum caternatorum, sive gentilium vacantium pro tempore sive propter commissum per Barones, aut feudatarios castrorum hujusmodi crimine hereseos aut lese Majestatis, sive pro eo quod absque legitimis heredibus decesserint, ipsi Barones & feudatarii quæ utique feuda per nos & nostros in Regno heredes, & successores cuique voluerimus conferantur. Ita tamen quod prædicti Senebaldus & heredes ejus* HABEANT IN FEUDIS IPSIS ASSIGNATIONEM POSSESSIONIS EORUM AD MANDATUM NOSTRUM PER IPSOS HIIS QUIBUS CONCESSA FUERINT FACIENDAM HABENTQUE RELEVIUM, ALIAQUE SERVITIA ET JURA QUÆ *ab illis qui antea feuda ipsa tenuerant debebantur, nisi forsan idem Senebaldus & heredes ejus a nobis, vel predictis heredibus & successoribus nostris premuniti negligentes extiterint in gravando hujusmodi Barones & feudatarios hereticos seu Rebelles. In quo utique casu videlicet si premoniti in illis gravandis negligentes extiterint dominium, & proprietas feudi heretici seu Rebellis libere ad nostrum demanium devoluantur.*

Idem Carolus I. *anno* 1280. *Reg. B. fol.* 24. medietatem castri Lame jure feudi Jacobo de Sinacurt. concessit, ibi *investientes dictum Jacobum per annulum nostrum de predictis medietatibus ita quod tam ipse, quam predicti heredes sui predictas medietates a nobis uostrisque in predicto Regno beredibus, & Jucessoribus perpetuo in capite teneant, & possideant. Nullumque exinde alium preter nos heredes & successores nostros predictos superiorem, & Dominum recognoscant pro quibus utique medietatibus ab eodem Jacobo ligium homagium, & fidelitatis solite recepimus juramentum. Retentis nobis & predictis nostris heredibus & successoribus juramentis fidelitatis prelatorum &c. Retentis etiam causis criminalibus pro quibus corporalis pena mortis &c. Collectis quoque &c. moneta etiam generali &c. defensis insuper &c.* COLLATIONIBUS PRETEREA PHEUDORUM QUATERNATORUM *&c.* ITA TAMEN QUOD PREDICTUS JACOBUS ET HEREDES EJUS HABEANT IN PHEUDIS IPSIS ASSIGNATIONEM POSSESSIONEM EARUM AD MANDATUM NOSTRUM, PER IPSOS HIIS QUIBUS CONCESSE FUERINT FACIENDAM HABEANTQUE RELEVIUM *&c. . . . Datum anno Domini MCCLXXX. mense madii XI. ejus VIII. Ind. Regnante Domino Karolo glorioſissimo Rege*

Jeruſalem & Siciliæ &c. Regnorum ejus Jeruſalem anno quarto Si-
ciliæ vero quintodecimo feliciter amen.

Quare conſtat feudi quaternati conceſſionem ſolius Regis eſſe, feudi plani & de tabula inveſtitura ad Baronem ſpectat, niſi in inveſtitura Baroniæ, aut Comitatus dictum ſit, quod Baro, aut Comes ſuos ſubfeudatarios etiam de feudis quaternatis inveſtire poſſint, tunc tam feudi plani & de tabula, quam quaternati inveſtitura, ſeu conceſſio ad Baronem pertinet, quod utrumque Honor. IV. in Cap. comprehendit, *ſi contingat ſubfeudatarium crimen committere propter quod publicanda fecerint bona ejus, aut ipſum ſine legitimis heredibus fati munus implere, ſi feudum ejus fuerit quaternatum, nihilominus immediatus Dominus illud, cum onere ſervitii conſueti perſonæ concedat idoneæ Regi poſtmodum præſentandæ, ut ejus ſuper hoc habeatur aſſenſus. Si vero quaternatum non fuerit, ſic ad eundem immediatum Dominum revertatur, ut ipſum hujuſmodi perſonæ pro ſua voluntate concedat, nec eam Regi præſentare, aut ejus ſuper hoc requirere teneatur aſſenſum*, Afflict. *hic n.* 2. *&* 3. Fatendum, Honorii capitulum magis primævæ feudorum naturæ, quam Friderici conſtitutionem accomodari. Nam ſubfeudi inveſtituræ renovatio non a mediato ſeniore, ſed immediato petenda, cui jusjurandum, ſervitiumque exhiberi, & præſtari neceſſe eſt, & proinde ſi primus ſenior decedat, ſubvaſallus ab ejus herede inveſtituram petere non cogitur, ſed ſi ſecundus ſenior fato cedit, petere tenetur, Scrader. *par. VI. c.* 3. *n.* 3. Weſenbec. *cap. VIII. n.* 12. Roſent. *cap. VI.* 63. *n.* 1., Afflict. *n.* 14. & Barth. de Capua *ad d. Conſt.* Verum noſtris legibus, non aliis regulis utimur.

Subvaſallus quoque, qui in feudo quaternato ſecundum quid ſuccedit, relevium non Regi, ſed Baroni ſolvere obligatur; quum non a Rege, ſed Barone inveſtituram petat, nec Conſt. *poſt mortem* adverſatur, quæ tantum pro nova feudi poſſeſſione novum ſubvaſallum Baroni relevium præſtare diſpoſuit. Et de futuris releviis nihil ſanxit, igitur jus commune, ſeu vetuſtos Regni mores ſectari voluit, qui immediato Seniori illud concedunt. Hujuſmodi relevium eſt medietas fructuum illius anni, quo ſubvaſallus decedit, quæ, etſi Baroni concedatur, tamen in Regis utilitatem redundat. Nam Rex, mortuo Barone ſubinfeudante, tam caſtrorum, quæ penes ſe Baro retinuit, quam ſubfeudorum, relevii exigit, quia dum ſubinfeudationi conſenſit, ſuis juribus nocere, nec voluit, nec præſumitur, Ayell. *de jure adohæ n.* 85., Frecc. *lib.* 11. *de ſubfeud. auct.* 3., Marin. Caram. in d. conſt. *poſt mortem v. aliquo*. Quod & in adohæ ſolutione obtinuit, quam Baro reſpectu totius Baroniæ, feudi, & ſubfeudi R. Curiæ perſolvit.

Deni-

Digitized by Google

Denique subvasallus si tempore constituto relevium non solvit, duplicatum exsolvere tenetur, ut de Barone supra ex nostri Principis benignitate asserui. Reliquas subfeudi obligationes communis clientelarum natura, & pacta præscribant (*a*).

TITULUS XXV.

De obligationibus vasallorum Regni Siciliæ.

§. XXIX.

De investitura, & homagio.

JUre longobardo omnis feudorum adquisitio investitura, sive abusiva, sive reali constituitur. Sed jure Siculo hujusmodi ritus exoleverunt; & Rex privilegium dationis in feudum ei concedit, quem de aliquo Comitatu, Baronia, Marchionatu, Ducatu, jure, aut aliquo territorio investire velit, quin verba, *investio te*, adhibeat; litteræ etiam expediuntur, quibus in feudi possessionem vasallus immittitur, & assecurationis juramentum a vasallis excipit; P. de Greg. *de concess. feud. par.* 11. *q.* 6. & Rex Joannes *in Cap. XII.* sanxit, *Placet Regiæ majestati, quod Marchiones, Comites, Barones, & Feudatarii non teneantur petere, seu capere investituram, etiam propter mortem Domini Regis Alphonsi & ex hoc nullam incurrant pœnam, sed loco investituræ, præstetur, & præstare teneantur juramentum, & homagium fidelitatis, & vasallagii, sub eisdem tempore, & discussione, quibus petenda, & præstanda erat investitura. Et quod fiat nota apud acta Cancellariæ & Protbonotarii cum solutione, ut supplicatur; & placet etiam Regiæ majestati, quod propter fidehomagium omissum præstari infra tempus statutum; non incurrant aliam pœnam, nisi amissionis redituum duorum annorum ipsius Marchionatus, Comitatus, Baroniæ, vel alterius feudi. Et si post lapsum temporis, infra quod præstandum erat fidehomagium, facta prius requisitione, inde ad tres menses, dicti Mar-*

(a) Videlicet Valvasinus a Barone monitus fines sui subfeudi ostendere, investituram, seu breve testatum edere, modo ipse tale subfeudum a Barone recognoscere fateatur, secus mendacio convictus, feudo cadit, Freccia *de subfeud. lib.* 11. *sect.* 17., P. de Greg. *de concess. feud. par.* 1. *q.* 12., sine venia in jus non vocare, cavere uti frui subfeudo boni viri arbitrio, sub feudum tempore belli munire, & similiaquæ Freccia recollegit.

Digitized by Google

Marchiones, Comites, Barones, & feudatarii non præstiterint fidei homagium, eo casu incurrant pœnam perditionis, & amissionis feudi.

Constituta Regis privilegio clientela, Baronis successor investituræ renovationem petere cogeretur, verum Sicula Gens Regem Joannem supplici libello adiit, ne morte Baronis, aut Regis aliam depolceret investituram; & tantum fidelitatis jusjurandum legitime præstaret. Rex annuit, modo hominium intra annum, & diem exhiberet, secus pœna redituum duorum annorum ipsius Marchionatus successor mulctandus; atque si post temporis lapsum, monitus infra aliud trimestre fidelitatis homagium non præstiterit, feudum amittat. Præterea hujusmodi jusjurandum apud acta regesti Cancellariæ describi, & Protonotario gra. quinque, & Cancellariæ etiam quinque gra. pro uncia reditus solvi oportet. Hinc constat, fidelitatis juramentum pro reali investitura apud Siculos existimari, postea litteras regias vasallus obtinet, quibus assecurationis jusjurandum a Baroniæ vasallis exigere potest, Cumia *in prælud. ad cap. si aliquem n.* 152., Muta *hic n.* 79. *&* 92. Jure Regni Neapolit. si intra annum, & diem a morte Baronis successor relevium non solvat, ad duplex tenetur: jure Siculo si homagium intra legitimum tempus non præstat, redituum duorum annorum pœnam incurrit,

Rex Alphonsus *in Cap.* 452. indulsit quoque Siciliæ Baronibus, ut si ignorantia, aut negligentia intra statutum tempus investituram non petiissent, nec hominium præstitissent, nulli subiicerentur pœnæ. Sanxit etiam, Proregem intra annum, & diem ab herede defuncti Baronis monitum, investituram eidem concedere, & fidelitatis jusjurandum recipere, atque interim successor *possit capere possessionem Marchionatus, Comitatus, & Baroniæ, & per Curiam impediri non possit, ac etiam concedere litteras assecurationis juxta formam juris, & constitutionum regni, nisi subsit justa causa, & rationabilis causa præmissa, non concedendi, vel recipiendi, de qua, si occurrerit, servatis servandis, incontinenti fiat in sacro regio Consilio, & auditis partibus reddatur jus.* Nam quilibet Baro a morte antecessoris hominium præstat, a Prorege licentiam impetrat, qua a suis Baroniæ vasallis assecurationem exigit, & si Prorex homagium recipere recusat, præstitum intelligatur, & dumtaxat relevium persolvat *d. cap.* 452.

De feudis vero Ecclesiasticis etiam petitum *in Cap. DXIX.* R. Alphonsi, *che per li tempi passati, li Prelati, videlicet Archiepiscopi, Episcopi, Abbati, e altre persone Ecclesiastiche non siano costumati prendere investitura di loro possessioni, e beni feudali da sua Maestà, e dalli retroprincipi, e siano stati sempre in que-*

sta

ſta poſſeſſione a tempore, cujus memoria hominum in contrarium non exiſtit: ma havendo con regia licentia la poſſeſſione di loro prelatie, e beneficii, ſi habbi inteſo eſſerci conceſſa ogni inveſtitura, ſupplica per tanto il detto braccio Eccleſiaſtico, che ſia ſua mercè, concedere al predetto braccio, che etiam de cetero non ſiano aliquo modo tenuti a queſto, ma più toſto in favorem Eccleſiaſticæ libertatis vigore talis conſuetudinis, quæ hoc loco pro lege habeatur, poſſano, prout hactenus conſueuerunt propria auctoritate prendere tale poſſeſſione ſenz' altra inveſtitura de novo, e inſuper declarare tali inveſtiture non eſſer ſtate neceſſarie per li tempi paſſati, ne ancora in futurum. His precibus Princeps annuit. Pro feudis itaque Eccleſiaſticis Prælati inveſtituram non petunt, ſed poſſeſſionem de eorum beneficiis, & Prælaturis ſi habeant cum Regis licentia, ſeu ſcedula, hæc pro inveſtitura cenſetur; nihilominus fidelitatis juramentum R. Majeſtati præſtare coguntur, quod omni jure receptum eſt *cap.* 30. *de jurejur.*, Muta *ad cap.* XII. *R. Joannis n.* 19.

Aetate Regis Navarræ in Sicilia Barones privilegii feudalis confirmationem, ſeu inveſtituram feudorum capere, & poſſeſſionis titulum oſtendere tenebantur: Alphonſus vero Siciliæ precibus hæc onera remiſit, & in *Cap.* 387. ſanxit: *Placet regiæ Majeſtati, quod Marchiones, Comites, Barones, & feudatarii non teneantur inviti capere privilegia confirmationum Marchionatuum, Comitatuum, Baroniarum, & feudorum ſuorum; quo vero ad oſtenſionem tituli, placet regiæ Majeſtati, quod non teneantur oſtendere titulum Baroniarum, & feudorum, non habentium terram, vel caſtrum, in aliis vero, ſcilicet, in, & de Marchionatibus, Comitatibus, Baroniis, & feudis habentibus terram, vel caſtrum, ſtetur diſpoſitioni juſtitiæ: ita verum, quod per præſentem reſponſionem nullum præjudicium generetur, nec Regiæ Curiæ, nec etiam ipſis Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & feudatariis poſſidentibus terram, vel caſtrum quin ipſi, & curia etiam poſſint uti juribus ſuis, prout ante præſentem reſponſionem uti poterant.* Nam plerumque nemo ſuæ poſſeſſionis titulum edere cogitur, *l.* 11. *C. de petit. hered.* & ſæpe quis ob temporis lapſum ſuæ poſſeſſionis tutulum amiſit, quem deinde oſtendere nequit; ſed, ſicut jure longobardo 11. *f.* 26. §. *ſi quis per triginta*, ita jure Siculo *ex cap.* 57. R. Martini, ſi XXX. an. feudum poſſidetur, valallus jam illud adquiſivit, & inveſtitura præſumitur.

§. XXX.

Digitized by Google

§. XXX.

De militari ſervitio.

OMnis clientela militaris eſt, niſi pacto, aut conſuetudine, quæ nunquam præſumitur, libertatem a ſervitiis obtinuerit. Equidem tam in Regno Neapolis, quam Siciliæ vaſalli ad Regis ſervitia domi, militiæque præſtanda obligantur, niſi franca eorum feuda probaverint. Hunc ſerviendi modum Federic. *in Cap. XXIX.* præſcripſit, *Comites, Barones, & feudatarios ipſos benignitate ſolita proſequi diſponentes, volumus, quod ſi quando nos extra regnum cum exercitu noſtro contigerit feliciter proficiſci, nullus Comitum, Baronum, & feudatariorum ipſorum cogatur invitus extra regnum ſe conferre nobiſcum, & exercitu memorato. Si vero intra regnum ad alias partes regni, pro acquiſitione aliquæ partis regni ipſius, ſeu defenſione terræ noſtræ ditioni ſubjectæ, nos conferre oporteat, teneatur quilibet prædictorum Comitum, Baronum, & feudatariorum, ſe cum exercitu noſtro in noſtri comitiva conferræ, & in prædicto exercitu ſpatio trium menſium, numerandorum a die, quo de domo ſua receſſerit, ſuis ſumptibus in noſtro ſervitio commorari. Circa cujus temporis lapſum, ſi eos elegerimus in ipſo exercitu retinere, ſtipendia competentia, & convenientia, ſecundum quod habuerint comitivam, mandabimus eis integraliter elargiri. Sin autem concedemus eis licentiam redeundi, ita quod ab exercitu infra tale tempus recedant, pro ſolitis dietis proficiſcentis in fine prædictorum trium menſium ad domos proprias ſint reverſi, diſtantia locorum quorumlibet propenſata.*

Serviendi obligatio eſt, ut ſi bellum extra regnum geratur, Barones ſervire non cogantur, ſicut & Honor. IV. *in Capp.* ſtatuit, *Barones, vel alii extra regnum, nec ſervire perſonaliter, nec addohamenta præſtare cogantur.* Sed quia nulla major ratio, quam Reipublicæ ſalus, & æquitatis ſanctitas invenitur, idcirco ſi Rex non longe extra Regnum pugnat, vel antequam hoſtis in Regnum perveniat, præcavere, & occurrere velit, Barones ſervire tenentur, Andr. in 11. *f.* 24. *n.* 40., P. de Greg. *de conceſ. feud. par. VIII. q.* 2. *n.* 15., Cumia *in cap. ſi aliquem V. ſervitii conſueti n.* 39. 40. & 41. Ceterum regula eſt, Barones extra regnum ſervire nunquam compelli, nec adoham ſolvere, Ayellus *de jure adohæ n.* 15., cum jure Siculo ſatis vetuſto obtinuerit, ne Siculi extra regnum trahantur *ex Cap. XXXIII.* R. Joannis. Servitium Baronis eſt, ut pro feudo XX. unc. annui reditus tempore belli unum hominem arma-

armatum tribus mensibus, suis expensis Regi exhibeat; quod tempus a die, quo domo sua recesserint, computatur; nec servire tenetur, nisi submonitus, dum Rex litteras Baronibus regni mittit, quo jure utimur, 11. *f.* 55. §. *firmiter* (*a*). Si servitium constitutum est in annuo reditu, tunc nulla citatio requiritur, quum dies pro homine interpellet; aut si vasallus Regi magnum imminere periculum cognoscat, 11. *f.* 26. §. *licet*, P. de Greg. *loc. cit. par. VIII. q.* 5. *n.* 7. Jure longobardico vasallus per substitutum servire potest 11. *f.* 55. §. *firmiter*, jure Siculo personaliter, modo impedimentum abfuerit, ut hic Federicus sanxit, *nullus Comes, Baro, & feudatarius cogatur, aut teneatur aliquid solvere pro adducimento, sed personaliter ire in exercitu teneantur modo prædicto, nisi necessitatis articulo, vel quavis alia justa caussa forsitan impeditus aliquo loco sui sufficientem, & idoneum mittere teneantur; vel adducimentum solvere, sibi electione servata*. Nec, his tribus mensibus expletis, illaudato Rege, ob exercitu discedere, secus feudo privari potest, quum post tres menses Rex vasallum retinere suis sumptibus, si sibi placuerit, valeat, ut hic Federicus constituit, Cumia *loc. cit. n.* 33., Muta *ad cap. XXXIX. R. Jacobi n.* 142. & 143., P. de Grego. *loc. cit. q.* 2. *n.* 22.

Rex Jacobus veteri Siciliæ instituto, & feudorum naturæ innixus eadem *in Cap. XXXIX.* sanxit, nempe, *Barones, & alii extra Regni confinia nec servire personaliter, nec adiumenta præstare cogantur. In casibus quoque in quibus inter Regnum servire, vel adiumenta præstare tenentur, servitia exhibeant, & adiumenta præstant antiquitus consueta, videlicet quod personaliter serviant tribus mensibus cum numero militum debitorum; & si forte ex aliqua justa rationabili, & evidenti caussa, vel impedimento aliqui ex his personaliter servire non possunt, tunc in ipso necessitatis casu pro singulis militibus, ad quos tenentur, pro quolibet trium mensium prædictorum, uncias auri tres, & dimidiam nostræ Curiæ ponderis generalis exsolvant. Prædictum autem servitium, & adiumentum per prædictos Barones feudatarios nostræ Curiæ præstari, & fieri volumus pro defensione terræ nostræ, si contingat regnum, vel partem ejus invadi invasione notabili, sive gravi, per quam dicto regno posset intervenire periculum, vel evidens imminere jactura*. Idem statuit Honor. IV. *in Cap. in casibus*. Si justa urgeat ratio, qua vasallus in bello servire nequeat, vel substitutum æque

(a) In Siciliæ Regno placuit Legislatori sententia Lucæ de Penna, quæ *ad cap. item statuimus* Caroli II. Andegavensis tempus servitii computat, a die, quo vasallus a domo sua discedit.

Digitized by Google

renuum mittat, vel pecuniam solvat, sicut ipse vassus elegerit ex d. cap. Federici, & Jac. a S. Georg. §. *& promiserunt n.* 27. Militare servitium pro singulis xx. unc. annui reditus cum homine armato unus equus recte instructus existimatur, quin expensæ deducantur, quia servitium militare tanquam prædialis decima debetur, P. de Greg. *loc. cit. q.* 2. *n.* 12. sicut nec dos de paragio, nec vita & militia, aliave præstatio militare hoc servitium diminuunt, quum ipsum ceteris antiquius fuerit, tacitumque pignus, & hypothecam ex privilegii pacto natam omnibus aliis oneribus anteferendam sibi Rex constituit, P. de Greg. *loc. cit. qu.* IV. *n.* 26. Nec interest, an vasallus fuerit laicus, an Ecclesiasticus, qui tam ad fidelitatis juramentum, quam militare servitium æquo jure tenentur. Hodie tamen jure siculo Prælati feudatarii non præstant militare servitium, sed ejus loco fructuum perceptio post Prælatorum mortem successit, quos Rex consequitur, *ex cap.* 488. *B. Alphonsi, & spolia vocamus.*

Olim ante R. Joannem in Regno Siciliæ disputabatur, quænam esset servitii militaris quantitas, & obligatio: Joannes precibus Siculorum in cap. LXXI. definivit, *cum Marchiones, Comites, Barones, & feudatarii dicti Regni, tam ex Constitutionibus, quam ex antiquissima, & viridi observantia, & consuetudine, pro dictis Baroniis, & feudis teneantur ad militare servitium, scilicet pro reditu singularum viginti unciarum ad unum equum armatum, quod retro varie fuerit interpretatum, placet regiæ Majestati illud interpretari secundum veram interpretationem ad omnem futuri dubii claritatem & futuri periculi evitationem, scilicet quod intelligatur pro uno equo tantum cum uno homine tantum armato, nec aliter possit interpretari, nec aliter prædicti omnes ad dictum servitium teneantur, non obstante quacumque alia in contrarium interpretatione de præterito, vel de futuro, & antea probatum est.*

§. XXXI.

De subvasalli servitio.

FEudalis superius relata Siculorum nomothesia, qua Barones militare servitium Regi præstare obligentur, in subfeudis non procedit ex Cap. *XXXIV. R. Jacobi, nullus subfeudatarius de feudo, quod ab aliquo feudatario nostro teneat, compellatur jure Curiæ nostræ servire: sed si aliquod aliud feudum a nobis tenet in capite, ex eo Curiæ nostræ serviat, ut tenetur.* Jure longobardo Comiti, Marchioni, & Duci sine senioris licentia, partem, vel totum

tum feudum alteri subinfeudare datum est 11. *f.* 34. §. *similiter*, 11. *f.* 55. §. *callidis*, 21. *f.* 26. §. *beneficium*, jure regni Neapolit. vetatur Const. *constitutionem D. M.*, jure siculo permittitur ex *Cap. R. Jacobi XXXV.* in quo sanxit, subfeudo ob feloniam devoluto immediatum leniorem cum onere consueti servitii alteri concedere posse, *nullo super hoc a nobis, vel nostris heredibus assensu, vel licentia requirenda*, quod Cumia *ad cap. si aliquem in prælud. n.* 158., & P. de Greg. *de concess. feud. par.* 1. *q.* 2. *n.* 1. incaute negarunt.

Subvasallus itaque non Regi, sed Baroni, a quo proxime subfeudum cognoscit, servitia præstat, videlicet 40. diebus, expensis tamen Baronis, qui cum eo contraxit, nisi aliud investitura suadeat, Cumi. *loc. cit. V. servitii n.* 21. Barth. de Capua ad Const. *post mortem*, Muta *ad cap. 39. R. Jacobi n.* 144. Et quamvis jure Longobardo, & Neapolitano Comes subvasallo servitium remittere nequeat, tamen jure Siculo non negatur, quia remittere est alienare, sed ex cap. *volentes* Baro potest feudum, inconsulto Domino, alienare; cur servitium donare prohibeatur? Baroni etiam, non Regi fidelitatis jusjurandum præstat, Muta *ad cap. XII. R. Joannis n.* 32.

TITULUS XXVI.

De jure relevii.

§. XXXII.

De tempore solvendi relevium.

IN Siciliæ Regno propter feudorum investituras moribus in jus scriptum deinde translatis relevium invaluit, hoc est medietas fructuum illius anni, quo Baro decedit, ab herede præstanda, qui in feudo succedit. Sæpius vero nec omnis successor, nec fructuum medietas persolvitur. Nam Rex Martinus *in Cap.* 55. statuit, ut si filius patri, aut matri, frater fratri, vel nepos patruo in Comitatu, Baronia, aut castro succedat, & a communi stipite descendat, pro comitatu tribus castellis, vel pluribus composito, decem marchas argenti; pro qualibet terra, aut villa habitata, marchas quatuor; si nec habitatio, nec familia est, marchas duas, si est domus, aut feudum planum, marcham unam, pro relevio præstabit.

Si defuncto Baroni non linea descendens, sed transversalis succedat,

cedat, ut a communi ſtipite non deſcendat, medietatem fructuum Comitatus, & Baroniæ illius anni, quo mors obvenit, dependit *ex d. cap.* 55., & Rex Joannes *in cap.* 66., *quotieſcumque aliqua ſucceſſio veniret alicui eorum (Marchionum, Comitum) per lineam tranſverſalem ex teſtamento, & ſoluto per eos jure relevii ſecundum formam dicti regni Capitularum, quod ſucceſſores dictorum ex lineæ directa deſcendentes qui ſuccederent ex teſtamento illius, qui eſt tranſverſalis, non teneantur ſolvere per lineam tranſverſalem, nec cogantur per Theſaurarium, nec Advocatum Fiſci, pro præterito, nec pro futuro tempore, ſed ſolum ſolvere habeant per lineam directam, ex quo una ſemel fuit per primum ſuccedentem ex teſtamento ſolutum per lineam tranſverſalem, & ſimiliter in ſuccedentibus per lineam tranſverſalem non ex teſtamento, ſed alio quocumque jure, ſeu titulo, deſcendentes poſtea ex illo tranſverſali intelligantur per lineam directam debere ſolvere. Placet Domino Regi, niſi deſcendentes ab illo tranſverſali, qui primo feudum adquiſivit, veniant vocati ex diſpoſitione teſtamentaria, ſive inter vivos, primi acquiſitoris.*

Ab hoc onore Siculi, ſimulatis contractibus, paſſim ſe eximebant, proinde Federicus *in Cap.* 110. decrevit, quod ſi Comites, Barones, & alii feudatarii feuda in capite tenentes, *donationis titulo inter vivos, vel cauſſa mortis, ſive diviſionis cauſſa ipſa in filios, vel in alios ab inteſtato ſucceſſuros, alienaverint, ſi quis pleno jure ſit adeptus poſſeſſionem ipſorum ex cauſſis prædictis, jus relevii Curiæ noſtræ debitum incontinenti ſolvere teneatur, non expectata morte donantis, vel dividentis.* Aut ſi, retento uſufructu, alienatur, morte Domini in perſona fructuarii conſolidato, fructuarius relevium ſolvit. In contractibus oneroſis, nempe dotis, venditionis, permutationis, aliiſve, tunc relevium præſtant, quoties in fraudem R. Curiæ celebrentur *d. cap.* 110. Non ſolvitur relevium, ſi feudum ad francum allodium ſine militari ſervitio alienatur, quod etiam Siculi feudum gentile nuncupant, *ex cap. LXVII. R. Joannis*, P. de Greg. *de conceſ. feud. par.* III. *q.* 6. *n.* 1. *& par.* VIII. *q.* 2. *n.* 5. *& 6.*, Muta *ad cap.* 39. *R. Jacobi n.* 150.

Et quamvis jure Siculo feuda ſine Regis conſenſu *ex cap. volentes*, alienari poſſint, tamen Notarius, aut Baro R. Curiam admonere tenetur, ut relevium habere poſſit, ſive feudum eſſet proprium, aut improprium, aut ex pacto, & providentia, aut neceſſario, aut ſponte alienetur, etiamſi alienatio fieret in filium, quoties fraus argui poſſet. Si Notarius infra menſem a die contractus non commoneat, officio ſuo cadat; ſi Baro, Comes, aut feudatarius intra tres menſes duplum relevii ſolvere coguntur, *Cap. IV. R. Petri*. Nam ſucceſſor in feudo generaliter infra ſex menſes

a die

Digitized by Google

a die mortis Comitis relevium solvere debet *cap.* 55. *R. Martin*, P. de Greg. *loc. cit. par. VIII. q.* 16. *n.* 9. Qua de re in refutatione, alienatione, & successione Siculorum legibus relevium R. Curia lucratur, *d. cap. volentes*, ibi dicam.

TITULUS XXVII.

De contractibus feudorum.

§. XXXIII.

De vasalli in feudo facultate.

HActenus de diversis clientelarum effectibus, senioris, & vasalli juribus quæ earum constituunt fundamentum, nunc de libera, aut circumscripta vasalli facultate, quam in feudis habere posset; de qua, licet in fine *lib.* 11. aliqua perstrinxerim, tamen, detectis originibus, & rationibus, hic prolixe peragere decrevi.

Duplex in omni feudorum alienatione assensus intervenit, legis, & hominis. Assensu legis vasallus in Italia olim sine senioris venia totum poterat feudum alienare, & hæc alienatio heredi, non autem seniori nocebat; etenim, Feudo aperto, ad seniorem redibat 11. *f.* 18., 11. *f.* 44. In aliis Italiæ civitatibus, atque oppidis partem non totum alienare, idque libello, vel pignoris jure 1. *f.* 13. quam consuetudinem ibi Feudista *justam* existimat, & si vasallus alienator sine herede decedebat, secundum vasallum, cui alienavit, priori Domino servire paratum, senior recognoscere cogebatur 11. *f.* 9. §. 1. modo hanc partem in Ecclesiam non alienasset, quæ est manus mortua, *d.* 1. *f.* 13. §. *Ecclesia*. Sæpius, necessitatis caussa, invito Domino, partem feudi alienare poterat, *d.* 11. *f.* 9. §. 1. Sæpius locare, modo in fraudem senioris non esset, *d.* 11. *f.* 9. §. *donare*. Mediolanensibus totam clientelam, illaudato Seniore, alienari posse placuit, 1. *f.* 13. Sæpius agnato proximiori paternum feudum alienare permittebatur, retento redimendi jure *d.* §. *donare*, & 11. *f.* 39. His diversis feudorum consuetudinibus Italiæ Civitates, Et Curiæ vivebant, ex quibus seniorum præjudicia, heredum damna, & lites assidue oriri poterant, Camer. *in* 11. *f.* 55. *p.* 4., Christin. *to. VI. dec. Belg.* 63. Borcholten *de feudis c. VIII. n.* 28. Atque hanc liberam disponendi facultatem, nisi decipiam, ex temporum circumstantiis descendisse suspicor, dum seniores vasallorum servitiis domi, militiæque præstandis necessario indigerent. Donec primus Imp. Lotharius II. *in* 11. *f.* 52. & Frider,

der. I. *in* 11. *f.* 55. quamlibet tam totius, quam partis feudi alienationem, excepta subinfeudatione, generaliter interdixerint. Lotharius enim consilio utriusque Potestatis Magnatum, sive Summatum, & Prælatorum, sicut tunc in Italia moris erat, apud Ronchalias *an.* 1137. *indict.* 15. sanxit, *nemini licere beneficia, quæ a suis senioribus habent, sine ipsorum permissione distrahere, vel aliquod commentum adversus tenorem nostræ Constitutionis excogitare, per quod imperii, vel Dominorum minuatur utilitas.* Et pœnam addit, ut Notarius, qui instrumentum alienationis confecerit, officium amittat, & infamis evadat; vasallus feudo, & pretio mulctetur, & ipso jure ad Dominum revertatur.

Lotharii Constitutio futuras tantum feudorum vetuit *alienationes*; sed Fridericus etiam præteritas improbavit, & rescidit, *nos autem ad pleniorem regni utilitatem providentes, non solum in posterum, sed etiam hujusmodi alienationes illicitas hactenus perpetratas, hac præsenti sanctione cassamus, & in irritum deducimus, nullius temporis præscriptione impediente: quia quod ab initio jure non valuit, tractu temporis convalescere non debet: emptore bonæ fidei ex empto, actione de pretio contra venditorem competente.* Quum lex tam de præterito, quam futuro ferri possit *l. 7. C. de legib.*, *l. 65. C. de Decurion. l. ult. C. de pact. pignor.* Nec tamen Fridericus alienationes ante Lotharii legem factas abrogat, sed illas tantum, quæ a Lothario ad eum usque celebratæ fuerunt, Hotom. ad *d.* 11. *f.* 55.

De his duabus celeberrimis Lotharii, & Friderici Constitutionibus cecinit Ligurinus *lib. VIII. v.* 590.

Mox de communi feudorum jure, quod illa
Perspicuis nondum scriptis expresserat ætas
Has dedit, & scripto jussit notescere leges.
Si quis habens feudum, pretio seu vendere totum,
Seu pro parte velit, dominique licentia desit,
Seu dare, seu vadio supponere cogitet, illud
Qui dedit, amittet, non, qui suscepit, habebit:
Nullaque vel longi præscriptio temporis obstet,
Quominus ad Dominum redeant translata priorem.
Emptorique bonæ fidei præstetur in illum
Actio, quæ pretium cogat redhibere solutum.
Hæc magnus fieri vetuit Lutharius: at nos
Facta retractari volumus faciendaque caveri.

Ante Fridericum I. jus feudale incertum propemodum erat, nec perspicuis scriptis mandatum, si quas consuetudines excipias, a Gerardo, atque Oberto collectas, quæ satis confusæ, & incertæ cen-

cenſebantur, ut Radevic. *lib.* 11. *c.* 7. de hoc Imperatore loquens, inquit, *ad ultimum de jure feudorum, quod apud latinos ſcripto nondum ſufficienter expreſſum fuerat, & pene omnes eam beneficiorum juſtitiam in injuſtitiam converterant, leges promulgavit, quarum capitula præſenti annotatione ſubjecimus.* Et refert Conſtitutionem 11. *f.* 55. Ritterſ. in notis ad Ligurin. *loc. cit.*

De pœna *in §. callidis* ita ſtatuit, *pœna auctoritate noſtra imminente, ut venditor, & emptor, qui tam illicita reperti fuerint contraxiſſe, feudum amittant, & ad Dominum libere revertatur. Scriba vero qui ſuper hoc inſtrumentum ſciens conſcripſerit, poſt amiſſionem officii, cum infamiæ periculo manum amittat.* Vaſallus feudum alienans, illud amittit, emptor, ſi eſt bonæ fidei, a venditore precium recuperat, ſi malæ fidei, illud perdit, ibi ſupra *emptore bonæ fidei*, & fiſco applicatur, Sonsbec. *par. XII. n.* 75., Gloſ. *in d.* 11. *f.* 55. *v. actione*, Zaſi. *par. IX. n.* 47. Culpa emptoris malæ fidei cenſetur, cum ſcienter rem alienam emerit, quam vendi lex prohibet, nec evictione ſe tueri poteſt, etiamſi de evictione in contractu ſibi conſuluiſſet, quia conventio de evictione eſt acceſſoria contractui, qui ſi a lege vetatur, ipſam vetari oportet, Alvero *ad d.* 11. *f.* 55. *n.* 10.. Mihi aliter ſuadetur, nam ſi emptor malæ fidei ſciens prudens feudum emit, & de evictione pactus ſit, corruit contractus, ſed evictio tanquam conventio a contractu diverſa non intercidit, quum ipſa nullum ſeniori damnum afferat. Sola enim ſenioris injuria & damnum, ſolum Reipublicæ detrimentum huic feudorum alienationi cauſſam præbuerunt. Hic non de publico damno, ſed privato agitur, cui ipſe privatus conſentire poteſt.

Sanxerunt & AA. in *l.* 27. *C. de evict. Si fundum ſciens alienum, vel obligatum comparavit Athenocles, neque quicquam de evictione convenit: quod eo nomine dedit, contra juris poſcit rationem. Nam ſi ignorans, deſiderio tuo juris forma negantis hoc tibi reſragatur.* Emptor itaque malæ fidei ſi ſpecialiter de evictione ſibi cavit, de evictione contra venditorem agere poteſt, idem AA. in *l.* 7. *C. communia utriuſque judic.* Obloquitur Juſtinianus *in l. ult. §. emptor C. comm. de leg. Emptor autem ſciens rei gravamen adverſus venditorem actionem habeat tantum ad reſtitutionem pretii, neque duplæ ſtipulatione; neque melioratione locum habente: cum ſufficiat ei ſaltem pro pretio, quod ſciens dedit pro aliena re, ſibi ſatisfieri.* Qui ſciens emit rem alii legatam, evictionem non habet, etiamſi duplum pretii in caſum eviſſionis ſtipulatus ſit, ſed pretium dumtaxat recuperabit. Accurſius, & Cujac. reſpondent idcirco ei, qui ſciens rem alteri legatam emit, evictionem nega-

Digitized by Google

ri, ne temere ad emptionem accedat, quam contra voluntatem defuncti religiosissime conservandam celebrare ausit. Pretium emptoris malæ fidei Fisco cedit, qui male adquisitis succedit, & de evictione contra vasallum venditorem agit, quam nominatim sibi stipulatus est, & feudum ad Seniorem devolvitur. Quod si de evictione nihil meminerit, emptor malæ, vel bonæ fidei contra venditorem agere de evictione non poterit. Res hæc ex sua natura evincitur, sicut etiam in re retractui subjecta contingit. Non persona venditoris, sed Constitutio Lotharii, & Friderici in feudo, & jus, & consuetudo municipalis in retractu nullitatem actus producunt, *cap. VIII. de in integr. rest.* Nicol. Burgund. *de evict. cap.* 44. Strycki. *to. IV. disput.* 3. *c.* 3. *n.* 135. dicam *lib. IV.*

Scriba, qui sciens instrumentum scripsit, officio privatur, infamiam incurrit, & manus truncationem patitur, illius, qua conscripsit, Rosent. *Cap. IX.* 1. *n.* 6., Christin. *to. VI. dec. Belg.* 63. *n.* 14., Scrad. *par. VIII. c.* 1. *n.* 4. (*a*). Nomine feudi intelligitur aut novum, aut antiquum, & si totum alienat, totum amittat, si partem, parte carebit, ne crimen pænam, & vicissim vincat, 11. *f.* 39., 11. *f.* 52. 11. *f.* 55. 11. *f.* 9., Duaren. *c.* 14. *n.* 26., Hannet. *lib.* 111. *c.* 4., Wesenbec. *cap. XI. n.* 1. *&* 2. Et ratio Lotharii, & Friderici fuit (1) iniquum esse, vasallo permitti, rem, quam in suis bonis non habet, alienare *l.* 3. §. 2. *C. commun. de legat.*, *l. ult. C. de pactis*, & species furti est de alieno largiri *l.* 54. *D. de furt.* (2) feuda enim regulariter sub lege militaris servitii concedi solent, & ut ex eorum reditibus vasalli se se honeste exhiberent. Ad expeditionem a Domino quandocumque indictam, atque desideratam paratiores armis, militibusque instructi essent. Præsertim ætate Friderici I. qui ad confundendam Longobardorum, & Mediolanensium aliarumque Italiæ Civitatum proterviam assiduis bellis in ipsamet Italia detineretur; & perpetua vasal-

(a) Eadem corporis parte, qua deliquit, mulctandus, ut Constantinus servis fugitivis pedem amputari statuit *l.* 3. *C. de servis fugit.* Justinianus abscindi manum jussit Exactori, qui non recte apocham conficit, *Nov.* 17. *c.* 8. Galba Imp. *Nummulario non ex fide versanti pecunias, manus amputavit, mensæque ejus affixit*, inquit, Sveton. *in ejus vita c.* 9. Et de Claudio, idem Sveton. *in ejus vita c.* 15. *proclamante quodam, præcidendas falsario manus, carnificem statim accivit cum machæra mensaque laniona flagitavit*. Justinian. *Nov.* 142. eum, qui aliquem castraverit, ipsum etiam castrari sanxit. In *Nov.* 42. *c.* 1. *in fin.* sub pœna amputationis manus hæreticorum libros scribi vetuit;

Digitized by Google

vaſallorum, qui ab Imperio, vel mediate, vel immediate feuda tenebant, militaris ſervitii præſtatione indigeret. Si libera vaſallis de feudis alienandi facultas fuiſſet, jam feudis per alienationem exuti, fructuque carentes, ſervitia propter egeſtatem, militiamque ſubterfugerent, ad expeditiones inidonei eſſent. Et proinde paulatim Imperii vires, Imperatoriæ Majeſtatis ſplendor, terror, & fundamentum imminuerentur, Reipublicæ ſervitia, ſalus, & jura, redacto ad inopiam vaſallo, perirent, Ardizo *in ſumm. c. 99.*, Duaren. *cap. XII. 2.*, Sonsbec. *par. XII. n. 78.*, Gudelin. *par. IV. c. 2. n. 4.*, Voet *ad lib. 38. digeſt. digreſſion. de feud.* §. 86. (3) Senioris contemptus, quem neceſſario in contractu rei ſuæ vaſallus laudare debet; nam ſi de re ſenioris agitur, ejus conſenſum intereſſe oportet, ne, ipſo invito, dominium amittat, vel alium vaſallum adquirat, cujus nec fidem, nec conditionem, aut qualitates cognoſcere contingit. Et proinde ſpeciem *feloniæ* ſine Senioris voluntate feudum alienare beneficiarii Mores decernunt (*a*).

Præterea in qualibet recte inſtituta Societate triplex dominium occurrit, primum Principis in rebus ſuis, ſecundum ejuſdem in rebus civium, tertium privati in rebus propriis obtinent. Secundam dominii ſpeciem, *protectionem*, *eminentem poteſtatem*, *imperium* appellamus, ut loquitur Senec. *de Benef. lib. VII. c. 4. Ad Reges enim poteſtas omnium pertinet, ad ſingulos proprietas. Et cap. 5. quemadmodum ſub optimo Rege, omnia Rex imperio poſſidet, ſinguli dominio.* Et Frider. II. in Conſt. *ab officialibus*, inquit, *occaſione dominii generalis, quod in rebus, & juribus omnium ſubjectorum noſtrorum habemus, ſpeciales ab eis* (hoc eſt Cæſerianis Procuratoribus) *rationes exigunt.* Princeps in Civitatibus, Caſtris, & ſui domanii territoriis, & juribus iam ab eo ſub lege fidelitatis, & ſervitii conceſſis, primam & ſecundam dominii ſpeciem exercet. Vaſallus, qui hæc alienat, non modo Principis honorem ſpernit, ſed regalias uſurpat, jura ſacra, ſeu coronæ in profana immutat, ceteris in Regno civibus communia reddit, vires Regni deprimit, alios vaſallos Regi forſitan invidos, rebelles, aut ad

(a) Eadem ratio movit Conſtantinum Porphirogenetam, ut prædia in Codices militares relata, & militibus conceſſa alienari vetaret, ne Imperii Majeſtas, fortitudo, & præſidium detrimentum pateretur. Nec ea prædia præſcribi, niſi 40. annorum ſpatio poſſe ſanxit, ſicut etiam Fridericus præſcriptionem longi temporis excludere voluit, Alteſer. *de O. F. cap. XV.* Novellam Conſtantini refert Cujac. *in fine to. 11. p. 1346.* Latioque Fabrottus apud eundem Cujac. donavit.

Digitized by Google

serviendum inhabiles substituit. Sola enim Principis voluntas, non raro cum Populi consensu conjuncta, has dominii species regere debet.

Ex re nata quæritur, an opus sit judicis sententia, ut a feudo cadat? Prætermissa aliorum opinione, placet requiri: quùm probandum, an sine Domini consensu alienavit, an illud, quod vendidit, feudum fuerit, an ignorans clientelam esse, donavit, in dotem dedit, aliove titulo transtulit. Nec antequam in jure declaretur vasallum a feudo cecidisse, senior alterum investire valet, quia, lite pendente, nihil innovandum, Curt. *par. IV. n.* 155., Zasi. *par. X. n.* 75., Jac. a S. Georg. §. *& promiserunt eidem n.* 36.

Alienationis appellatione venit omnis actus, quo dominium rei, partisve ejus in alterum transfertur, *l. ult. C. de rebus alien.*, vel quo jus aliquod reale in re nostra constitui solet, *l.* 28. *D. de V. S. l.* 1. *C. de fundo dot.*, *& heredis institutionem*, *legatum*, *pignus*, *hypothecam*, *dotem*, *donationem propter nuptias*, *usufructum*, *emphyteusim*, *solutionem*, *transactionem*, *venditionem*, *permutationem*, *donationem continet*, Wissenbac. *ad d. l.* 28.. Alverot. *ad* 11. *f.* 40. §. *præterea*. Hæc omnia in feudis prohibentur, de quibus nunc disputabo.

§. XXXIV.

Heredis institutio, & legatum.

Feudista *in* 11. *f.* 8. inquit, *nulla ordinatione defuncti in feudo manente, vel valente*, 11. *f.* 9. §. *donare*, 11. *f.* 55. Successio enim vel a lege, & voluntate hominis descendit, vel sola lex dominatur. Jus civile in successionis ratione sæpe solam legem, sæpe legem, & voluntatem hominis admittit. Jus feudale tantum legem cognoscit, & hominis voluntatem prorsus abhorret; atque adeo sola successio legitima locum habet, ut ei privata hominis voluntas derogare non possit, ne agnatis, & directo Domino officiat. Et quamvis vasallus utili Dominio fruatur, tamen illud sub hac conditione concessum est, ne alienet, & quidquid alienari nequit, testamento nemo disponit. Quapropter vasallus, inventis clientelis, partim testatus, nempe in allodio, partim intestatus, in feudis decedere valet, Vultej. *lib.* 1. *de feud. c. IX. n.* 149., Rothi. *in pandect. feud. cap. XIV.* §. 2. *q.* 1., Thom. de Marin. *de Gener. feudor. tit.* 2. *n.* 55., Sonsbec. *par. XII. n.* 85. Nec distinguitur cujus speciei feudum, an novum, an vetus, an hereditarium, an ex pacto, & providentia, proprium, vel improprium fuerit, nisi senior, & non raro agnati consensiant.

Adeo testamentaria a feudis dispositio expellitur, ut ne ad piam caus-

cauſſam teſtari quidem poſſit, 11. *f.* 9. §. *donare*, quod feudiſta ibi *pro anima judicare* dixit, quem Bonifacius VIII. *in cap.* 4. *de ſepult.* imitatus eſt, ſive donatio inter vivos, ſive cauſſa mortis, ſive ſimplex, ſive remuneratoria celebretur. Imo ſi a ſeniore liberam teſtandi facultatem obtinuit, in Eccleſiam tamen diſponere nequit, quia magnopere læderetur Domini conditio, impediretur devolutio, militare ſervitium amitteret, aſſiduum obſequium non haberet. Quod non odio Eccleſiæ ſancitur, ſed propter rei clientelaris naturam, quæ legibus Europæ fiduciariis a commercio hominum ſe exemit *arg. l.* 47. §. 2. *D. de bonis liber.*, Cujac. VIII. *obſer. c.* 32. Sonsbec. *loc. cit.* Ardizo *in ſum. cap.* 124. Gudelin. *de feud. par. IV. c.* 2. *n.* 10.

Si teſtamento feudum relinqui nequit, quæſitum eſt, an ejus æſtimatio debeatur? affirmat Rothius *loc. cit. q.* 16., cui non aſſentior, ſive Eccleſiæ, ſive privato legetur: nam feudum voluntate Principis non eſt in commercio, & rei legatæ, cujus commercium teſtator non habet, æſtimatio non debetur, Ulpian. in *l.* 39. §. *ult. D. de leg.* 1. *ſed ea prædia Cæſaris, quæ in formam patrimonii redacta ſub procuratore patrimonii ſunt, ſi legentur: nec æſtimatio eorum debet præſtari; quoniam commercium eorum, niſi juſſu Principis, non ſit: cum diſtrahi non ſoleant.* Sicut & legatorum, quorum impoſſibilis, aut difficilis præſtatio eſt, ne æſtimatio quoque debetur *d. l.* 39. §. *ult.* Quod lex prohibet, impoſſibile exiſtimamus; lex vetat feudum alienari, igitur ejus pretium impoſſibile dicitur; & quiſque Friderici, & Lotharii legem facile eluderet, cum inter rem, ejuſque pretium nihil fere intercedat (*a*), Vultej. *lib.* 1. *de feud. c. IX. n.* 152., Curt. *par. IV. n.* 126., Sonsbec. *par. XII. n.* 88., Clarus §. *feudum q.* 40., hinc Andr. *in* 11. *f.* 45. *n.* 7. inquit, *unam candelam non dabit pro anima patris*, Roſent. *cap. VII.* 2. *n.* 8.. Denique omnia feuda jure longobardo ſive perſonalia, aut perpetua fuerint, ex pacto, & providentia dijudicantur, hoc eſt

(a) Is enim in quem alienavit, nec Commercium, nec jus poſſidendi habet. Non commercium, quia alienare non poteſt: non jus poſſidendi, quia non retinet, ſed ad Dominum redit. Si commercium, non autem jus poſſidendi haberet, æſtimationem conſequi poſſet, *l.* 40. *de leg.* 1. At ex lege Lotharii, & Friderici capere nequit, exemplo Præſidis, cui prædium provinciale legatum eſt, tunc nec res, nec æſtimatio debetur *l.* 49. §. 2. *de leg.* 2. Feudum eſt res publica, prædium Principis, ſacra, ab hominum commercio exemta, ne Imperium, & Regnum in internis ſervitiis damna paterentur.

Digitized by Google

tot donationes ſunt, quot in inveſtitura vocatos invenimus, nec factum unius alteri nocere poteſt, primo acquirenti, non ultimo defuncto ſuccedunt, unicuique jus quæſitum eſt, quod ſine ſuo facto non auferendum. Hinc rogatus alicui bona reſtituere, & defunctus inter hæc feudum poſſedit, fiduciarius illud reſtituere non tenetur, quia fideicommiſſum intelligi non poteſt, niſi de iis bonis, quæ in teſtantis poteſtate fuerunt, Roſent. *cap. VII.* 11. Rothius *loc. cit. q.* 18. exceptiones infra dabo.

§. XXXV.

Pignus, hypotheca.

INterdicta rei alicujus alienatione non poteſt ea in *pignus* dari, ſive *vadio ſupponi*, ut loquitur Ligur. *loc. cit.* vel ut Perſius *ſat V. v. 36. me tibi ſuppoſui*: aut *hypothecæ* obligare *l. ult. C. de Rebus alien.* quia licet, qui pignori dat, vel obligat, maneat ejus Dominus, tamen hic actus effectum alienationis producit. Conſtat enim pignus, & hypothecam a debitore conſtitui, ut ejus creditor ſecurus evadat. Conſtat &, ſi debitum non ſolvatur, creditori jus eſſe hypothecam perſequendi, & pignus diſtrahendi, diſtractio eſt alienatio, igitur merito pignus, & hypotheca inter alienationis ſpecies recenſetur. Et Feudiſta in 11. *f.* 8. *in fin.*, *nec pignus quod conſultum dicitur*, *fieri poteſt ex feudo*, Hotom. vocem *conſultum* de lege commiſſoria intelligit, ut ſi vaſallus, ſtatuta die, pignus non lueret, creditoris maneat, Struv. *S. J. F. cap. XIII. 7. conſtitutum* legit, hoc eſt pignus abſque traditione conſtitutum. Ego nihil muto, & recte pignus dicitur conſultum, quia creditori conſulitur, ne res ſua, ſeu pecunia inopia, vel vitio debitoris pereat.

De hypotheca diſputatum, an conſtitui poſſet? ratio hæſitandi eſt, quia non intervenit traditio, nec nuda hypothecæ obligatione feudum in commiſſum cadit, etſi ſine conſenſu Senioris ſtatui nequeat. Hujus opinionis auctor primus, ni fallor, fuit Baldus in 11. *f.* 57. quem ceteri a Roſent. *cap. VII.* 15. magno ſyrmate relati exceperunt. Male. Regula juris eſt; omnis actus, & diſpoſitio vaſalli, qua Senioris conditio deterior redditur, interdicta eſt, atque non minus ex conſtitutione pignoris, quam hypothecæ, Domini, hoc eſt publici ſtatus conditio læditur, quum pignoris, & hypothecæ finis, & effectus idem ſit, nempe creditoris ſecuritas, qua æqualiter pignus, & hypothecam, non ſoluto debito, perſequitur. Nec obſtat, ſi in hypotheca poſſeſſionis traditio non accidat, quum alienatio etiam ſine poſſeſſionis traditione fieri poſſit, ſed

Digitized by Google

sed sufficit, si jus in re alicujus constituitur, conf. Wissenbac. *ad l. 20. C. de pact.* Et si lex feudalis pignus prohibuit, hypothecam quoque prohibuisse videtur, quia hæc solo nomine a pignore differt *l. 5. §. 1. D. de pignor.*. Demum qui in rem actionem habet, propemodum rem ipsam tenet *l. 15. & 204. D. de R. J.*, Vultej. *lib. 1. de feud. c. 10. n. 54.* Sonsbec. *par. XII. n. 100.*, Glos. *in 11. f. 39.* Gerardus Eichsfeldiaco *dissert. de eo quod justum est circa vasallum prædium feudal. alienantem* §. 2. (a). Et Strykius *to. III. disput. 10. c. 3. n. 36. & to. XIII. sect. 2. c. 4. §. 3.*

Si itaque vasallus suum feudum oppignorare nequit, patet, in suorum bonorum obligatione feuda non contineri, etsi non exceperit. Sicut nec in societate generali omnium bonorum, nisi tantum fructus percepti, qui feudales non sunt, nec in alienatione comprehenduntur 11. *f. 26. §. in generali*, quia ex Ulpiano *in l. 6 D. de pignor. obligatione generali rerum, quas quis habuit, habiturusve sit, ea non continebuntur, quæ verisimile est quemquam specialiter obligaturum non fuisse, cap. 81. de R. J. in VI.* nisi aliud appareat, Duaren. *de feud. cap. XIV. n. 17.* Sonsbec. *par. XIII. n. 149.*, feuda enim alienari vetantur, proinde ea contractus alienationis non continet, conf. Rosent. *cap. IX. 13.* Scrad. *par. VII. c. 2. 59.* Atque hæc de pignore voluntario: pignus vero judiciale, sive prætorium, invito Domino, constitui potest, ut infra dicam.

§. XXXVI.

(a) Quælibet lex, vel consuetudo, quæ rem aliquam alienari prohibet, hypothecam æque ac pignus comprehendit. Nam vetitus alienare, nec totam rem, nec minimam ejus partem, vel juris diminutionem, aut gravamen imponere potest. Cum pars in toto sit, & nomine partis venit etiam jus, sive nexus, quem quasi possidemus *l. 76. D. de R. V. l. 7. D. de Except. rei jud.* Atque sic verbum *alienare* in Constitutione Lotharii, & Friderici, ut & in rebus Ecclesiæ accipitur. Pignus igitur & hypotheca in jure solo nomine differunt, etsi pignus proprie in re mobili, hypotheca in immobili consistat. Pignus traditione, hypotheca nudo pacto, cui Prætor actionem concedit, constituitur, sed tam pignus, quam hypotheca jus reale favore creditoris parit, unde res nexa dicitur, *l. 1. & 7. C. de Distract. pign.* Sæpius Icti pignus in re immobili usurpant *l. 2. in fin. D. de religios. l. 39. D. de pignor. act.* Et cuique Plauti, & Martiales auctoritas constat. Et quum clientela non nisi in re immobili constituatur, si Feudista, & Imperatorum oraculum pignus prohibuit, hypothecam etiam prohibuisse videtur, conf. Andr. Duker. *de latinit. Ictorum ad cap. LVII.*

Digitized by Google

§. XXXVI.

Dos, & donatio propter nuptias.

VAsallus feudale *prædium in dotem filiæ*, aliive citra amissionis jacturam sine Senioris consensu dare non potest 11. *f.* 9. *donare autem, aut judicare pro anima, vel in dotem pro filia dare, nullius Curiæ poterat consuetudine, cap. VI. de donat. int. vir. & uxo.* quia possessio & dominium rei dotalis in maritum transit, cum dotis constitutio sit species alienationis, *l.* 8. §. 13. *D. quib. mod. pign. l.* 19. D. *de O. & A.* etiamsi pater nihil habeat, unde filiam dotet, Hanneton. *lib. V. c.* 5. Zasi. *par. IX. n.* 7., Wesenbec. *cap. XI. n.* 4. Rothius *in Pand. feud. cap. XIX. q.* 3. Aliam addo rationem interpretibus ignotam: Senior concessit feudum familiæ, cujus sanguinem, & generositatem respexit, & elegit; dum datur titulo dotis filiæ, quia hæc in aliam domum transit, in quam feudum ducit, senioris voto & voluntati se opponeret, idcirco datio dotis in feudum prohibetur. Ipsa vero uxor feudum, quod habet, marito in dotem dare potest, 11. *f.* 13. 11. *f.* 17., ut infra dicam.

Maritus non potest constituere uxori in feudo *donationem propter nuptias* 11. *f.* 9. §. *donare*, 11. *f.* 8. *in fin.*, quia dominium adquiritur uxori, & rei sic donatæ persecutionem habet *l.* 29. *auth. seq. C. de jure dot. auth. permissa C. de donat. ante nupt.*, Jac. a S. Georg. §. *ita etiam quod n.* 19. Curt. *par. IV. n.* 94. Vultej. *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 61. Struv. *S. J. F. cap. XIII. A.* 5. *n.* 3. Non quia uxor fructus percipiat, sicut vir de dote, sed ut in casu mortis, vel divortii, nuptiali lucro non careat, quum maritus injusto divortio dans causam, antidote mulctetur *l.* 8. *C. de repud.* conf. Wissenbac. *ad l.* 20. *& ult. C. de donat. ante nupt.* Jure Romano nec major, nec minor dote esse debet *Nov.* 97. *c.* 1.

Dotalitium autem a donatione propter nuptias plurimum differt. Finis donationis propter nuptias est, ut uxor de dote tuta esset, si maritus forte ad inopiam vergeret, *Nov.* 61. *c.* 1. Finis dotalitii jure mediæ ætatis est, ut uxor post viri obitum haberet, unde se digne alere posset, unde dotalitium usumfructum continet. Restituta dote, cessat donatio propter nuptias, non dotalitium, quod *solatium viduitatis* appellant. Donationem propter nuptias uxor non lucratur, nisi pactum sit, dotalitium semper adquirit, etsi in tabulis nuptialibus non convenerit, sed constitutum esse sufficiat. Donatio propter nuptias sine dote concipi nequit, dotalitium sine dote

Digitized by Google

dote subsistit, cum alimenta viduæ uxoris respiciat, Giphan. *ad l.* 1. *C. de dotis promiss.* Et hoc, vel in *allodio*, vel in *feudo* consistit: in allodio etiam quoad proprietatem, vel in pecunia constituere poterat: in feudo non consistit, quia vasallus nihil de feudo disponere valet, sed reditum dumtaxat assignet, unde se alat. Sed hoc feudale dotalitium, moribus Barbarorum præsertim Germaniæ dotem deinde præsupponere cæpit, licet nullam cum dote æqualitatem desideraret, & hodie *onus feudi* Germani existimant (*a*).

Sic Leibnitius *to.* 11. *Cod. diplom. p.* 40. refert provisionem Alberti Romanorum Regis, qua intuitu matrimonii inter Rudolphum filium stirpis maximum Austriæ Ducem, & Blancam Philippi Pulchri Galliæ Regis sororem, Blanca in dotalitium Comitatum Alsatiæ, & Terram Triburgi *anno* 1299. accipit. *Assignamus prædictæ sorori dotalitium, seu donationem propter nuptias Comitatum Alsatiæ, & Terram Fribourc Lusan. Diœcesis cum omnibus juris pertinentiis suis, quorum Comitatus, & Terræ, qui præfato Duci perpetuo, & hereditariæ remanerunt nobilium homagia, & fidelitates, ac Universitatum, & incolarum villarum insignium juramenta præstari faciemus, statim post contractum matrimonium, Procuratori dictæ Blanchæ Sorori dicti Regis pro ea solemniter stipulanti, quod eidem sorori, si præfato Duci forsitan supervivat, tanquam fideles vasalli, & subditi Dominæ suæ, quoad vixerint obedient, & intendent.*

Sæpe civitates, & oppida Mariti illustres, Reges, Comites, & Marchiones donabant. Ut Terra Siclunensis ad Comitissam Mathildem Philippi Comitis Flandriæ de Republica Christiana in Oriente benemeriti uxorem, jure dotalitii pertinebat, *cap.* 1. *de sententia, & re jud. in* 111. *coll.* Flora meretrix, sed Romanis Dea a Zephyro dotis loco omnium florum potestatem accepit, Lactant. *de falsa relig. lib.* 1. *c.* 20. *Deam finxerunt esse, quæ floribus præsit, eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus, aut vitibus, bene,*

(a) Ex his patet, aliud esse *dotalitium*, sive *dotarium*, aliud *Morgengabam*. Dotalitium erat ususfructus, vel pecunia, quam maritus uxori in allodio constituit, ut uxor viduitatis dignitatem conservet. Si autem in feudo statuit, tunc ob dotem ab uxore illatam, in cujus compensationem, & futura alimenta vidua certos reditus ex feudo ad vitam percipit. Morgengaba est donatio uxori tempore nuptiarum facta in signum initi matrimonii, & universi juris communicationem, cujus dominium ad uxorem pertinet. Exempla apud Anglos, Gallos, Belgas, Italos, aliosque occurrunt, & nonnulla refert Heinec. *Elem. Juris German. lib.* 1. 11. §. 145. *& seqq.* Dicam *ad* 11. *f.* 29.

Digitized by Google

bene, prospereque floresceret. Eumque colorem secutus in Fastis poeta, non ignobilem nympham, quæ sit Chloris vocitata, eamque Zephyro nuptam quasi dotis loco id accepisse muneris a marito, ut haberet omnium Florum potestatem. Ut Lotharius Italiæ Rex Adelaidi uxori suæ Papiam dotis nomine assignavit (*a*). Et *an.* 1086. indict. IX. in nostro Regno exemplum refert Chron. Monast. Montis Casini *lib. III. c.* 58. *Anno sequenti eadem Ducissa Sicelegaita per consensum filii sui Ducis Rogerii optulit beato Benedicto per cartam aurea bulla signatam, locum qui Cetrarius dicitur in Calabria cum toto portu suo, & omnibus pertinentiis suis, atque universis colonis ibidem habitantibus quod videlicet in dotem a prædicto conjuge suo Duce Roberto dudum receperat, ea tamen conditione, ut quoad ipsa viveret idem locus in ejus dominio permaneret. Post obitum vero ejus absque ullæ heredum, seu successorum suorum calumnia ad hujus Monasterii jus remaneat*, ibi Abbas de Nuce. Ex hoc etiam fonte in Europa in muliebrem sexum feuda defluxerunt (*b*).

§. XXXVII.

(a) Berengaria Sancii Regis Navarræ filia nupsit Richardo I. Anglorum Regi *an.* 1191. Et dotalitii nomine munera, & quasdam possessiones accepit. Defuncto Richardo Joannes ejus frater in Angliæ Regnum successit. Berengaria pro possessionibus a viro suo dotalitii nomine constitutis Civitatem Bajocensem cum pertinentiis suis, duo Castella in Andagauda, inter quæ erat castrum Segrei jure permutationis habuit, Rogerus de Hoveden *sub Joanne Rege an.* 1201. Willelmus de Guirchia, infestissimus Joannis Regis hostis, & Philippi II. Francorum Regis defensor viduam Reginam de suo dotalitio expoliavit. Tandem controversia ad Honorium III. relata est, & extat in *cap.* 1. *de off. deleg. & cap.* 1. *de foro competen. in V. collect. & cap. XV. X. de for. comp.* Aliud dotalitii exemplum *in cap.* 5. *& 6. de donat. inter vir. & uxor.* invenitur, ubi Pontifices *dotem* appellant.

(b) Neque hic mos Barbaris tantum innotuit, sed & aliis Gentibus, antequam feuda nascerentur. Reges Persarum Reginis certas Regiones attribuebant, ex quarum reditu mundum sibi parârent, Cicero *lib. V. in Verrem, Solere ajunt barbaros Reges Persarum, ac Syrorum, plures uxores habere: his autem uxoribus Civitates attribuere, hoc modo hæc Civitas mulieri redimiculum præbeat: hæc in collum: hæc in crines.* Et probat Brisson. *de Regno Persarum lib.* 1. §. 108.

Digitized by Google

§. XXXVII.

Uſusfructus, emphyteuſis.

IN feudali prædio *uſusfructus* ſine Domini conſenſu conſtitui nequit, quia dum quis jus feudi concedit, ipſum feudum concedere videtur, cum quælibet res ſive mobilis, ſive immobilis, aut ſe movens, corporalis, aut incorporalis juribus, aut uno, aut pluribus conſtet, quæ civibus in ſocietate competunt. Et quia uſusfructus omnē fundi emolumentum continet, inſtar partis fundi, ſeu feudi cenſetur, hinc pactus, ne fundum petat, ſi petat uſumfructum, exceptione pacti ſubmovetur *l.* 27. §. 8. *D. de pactis*, *l.* 21. §. 3. *D. de except. rei jud.* Cuja. *ad l.* 4. *D. de uſufr.*. Et merito in clientela uſusfructus conſtitutio prohibetur, quum fructuarius una cum naturali poſſeſſione jus in re conſequatur, & proinde alienatio dicitur *l. ult. C. de reb. alien.*, ibi Wiſſenbac., Gloſ. *in* 11. *f.* 39. Ardizo *in ſum. c.* 113. Curt. *in par. IV. n.* 106. Vultej. *lib.* 1. *de feud. c.* 10. *n.* 51. Nec refert, an inter vivos, an cauſſa mortis, an tantum uſum concedat *tot. tit. D. ſi uſusfr. vind.* Verum locare, vendere, & donare etiam ſine Domini conſenſu commoditates, & jus percipiendi fructus feudi poteſt, quamdiu vaſallus vivit, & interim ipſe ſerviet, ut de uſufructu, inquit, Ulpian. *in l.* 12. §. 2. *D. de uſufr.*, Roſent. *cap. IX.* 1. *concl.* 10., Eichsfeldiac. *loc. cit.* §. 3., dicam infra.

Non licet vaſallo *emphyteuſim*, aliudve jus, nempe libellarium, cenſuarium, aut annuum reditum in feudo inſtituere 11. *f.* 9. §. *donare*, 11. 1. *f.* 52. ubi Lothar. omne commercium in feudo excogitari vetat. Emphyteuſis eſt contractus, quo emphyteuta fundum colendo, arando, ſerendo, plantando meliorem, cultiorem, & fructuoſiorem reddere obligatur. Eſt ſpecies alienationis, quia licet dominium non transferat, tamen jus quoddam dominio proximum emphyteutæ tradit, quod utilem in rem actionem ei parit *l.* 1. §. 1. *D. ſi ager vectig.* Datur & facultas eandem rem alienandi, donandi, permutandi, modo in venditione emphyteuta hoc Domino denunciet, & intra duos menſes, ejus mentem, ſi velit emere, perquirat *l. fin. C. de jure emphyt.* Curt. *par. IV. n.* 91. Sonsbec. *par. XII.* 82. Rothi. *in pand. feud. cap. XIX. q.* 4. Eichsfeldiac. *loc. cit.* §. 4. merito in feudis vetatur, quum alienatio ſit *l. ult. C. de reb. alien.*

Contractus quoque *libellarius* interdicitur, 11. *f.* 9. §. *donare*, 11. *f.* 55. §. 1. eſtque conventio de re utenda data in perpetuum,

Digitized by Google

sub annua paucorum denariorum pensione, scriptura interveniente: vel, ut Cujac. 1. *f.* 2. describit, *libellarius autem contractus est venditio, quæ fit scriptura interveniente certo pretio, & hoc amplius certa pensione constituta in annos singulos, & hac plerumque lege, ut statо, condictoque tempore contractus renovetur rursus numerato pretio certo, vel arbitrario.* Jus perpetuarium dicere possimus, dum agri etiam fertiles, & culti in perpetuum locantur. In hoc contractu directum dominium non transfertur, statuto tempore, uti convenit, renovatur, & renovatione aliquid pretii solvi solet; in perpetuum contrahitur, intervenit scriptura, seu libellus, a quo nomen assumpsit, & aliis placet dici a libella minuti numismatis Romanorum genere, Gotofr. *ad l.* 24. *C. de SS. Eccl.* Hotom. *de verbis feudal. h. v.* Nihil frequentius in Epistolis D. Gregorii, & præcipue in Leone Ostien. Chron. Montis Casin. *lib.* 1. *cap.* 34. 47. 56. *lib.* 11. *cap.* 8. *&* 13. & passim, & *lib.* 111. *cap.* 60. de Desiderio Abbate, inquit, *fecit & libellum Transmundo Comiti Teatino usque ad tertiam generationem de Castello Monte, & Castello Muccla, & Castello Frisa cum pertinentiis suis eo videlicet ordine, ut in tertia generatione supradicta Castra in Monasterii hujus ditionem redirent.*

In plerisque Italiæ locis olim vasallus mediam feudi partem per libellum, sive libellaria lege, in aliis totum vendere poterat; modo venditio non Ecclesiæ, sed privato fieret, quia Ecclesia est legio immortalis, privatus est mortalis, in Ecclesia nunquam devolutio daretur, & feudum ad Seniorem rediret; privato autem sine heredibus masculis decedente, feudum ad Dominum recurrit. Hodie ex Constitutione Lotharii, & Friderici, nec totum, nec pars ad libellum dari potest, ne ob inopiam vasalli servitium Seniori debitum pereat, Cujac. *loc. cit.* Vultej. *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 66., Sonsbec. *par. XII. n.* 71. Multo magis in feudo census constitui nequit; nam bona censitica dicuntur, quoties plenum rei dominium hac lege conceditur, ut quotannis possessor concedenti certum censum persolvat, & census est jus annuam pensionem ex re aliena percipiendi, & ab emphyteusi differt; quia census utile & directum dominium, emphyteusis tantum utile transfert. Nec etiam annuis reditibus gravare feudum potest, videlicet si vasallus certos annuos reditus absque senioris assensu alicui quotannis percipiendos vendat, modo jus reale in feudo constituat, secus si tantum vasalli persona obligatur, Scrad. *par. VIII. c.* 1. *n.* 11., Rosent. *cap. IX.* 1. 10. *in fin.*, Rothi. *loc. cit. cap.* 11. *q.* 26.

§. XXXVIII.

Digitized by Google

§. XXXVIII.

Solutio, transactio, venditio, permutatio, donatio.

Datio in solutum vasallo prohibetur, quia hæc est alienationis species *l. 4. §. 31. D. de doli mal. excep.* & proinde si vasallus super feudo sine consensu Domini debita contraxit, illud in solutum dare nequit, quia in accipientem utile transferret dominium, recte tamen fructus feudi a solo perceptos dat in solutum, qui sunt allodiales, Zasi. *par. IX. n. 2.* Hannet. *lib. V. c. 5.*, Rothius *loc. cit. cap. XIX. q. 7.*, eamque Imperator in *l. 4. C. de evict.* & Ictus *in l. fin. D. quibus ex caus. in posses.* pro venditione intelligunt. Contingit, si debitor inopia pressus, alienoque ære gravatus, rem mobilem; & immobilem in solutum dat creditori, quam Judex æstimabit, & creditor cautionem de evictione accipiet. Differt in solutum datio a cessione bonorum; prima dominium in creditorem, non autem secunda, transfert, *Nov. 4. c. 3.* ex quo *auth. hoc nisi C. de solut.* Qui bonis cedit, non desinit esse Dominus, antequam bona inter creditores distribuantur, & facta cessione, in possessionem immitti petere possunt *l. 4. C. qui bonis ceder. l. 3. D. de cessione bonor. l. 2. D. de Curatore bonis dan.* Brisson. *de solut. lib. 1.* Curtius *lib. 11. Conject. 15.*

De feudo quoque vasallus *transigere* nequit. Sed distinguendum: Si vasallus transactione feudum retinet, vel ab alio possessum recuperat, transactio sine senioris consensu valet. Videlicet, vasallo de sua clientela quæstio movetur, a qua, ut se eximat, certam pecuniæ quantitatem actori solvit, tunc nullum Domini jus lædit. Si vero transactione feudum in alium transfert, tunc non valet, nisi Dominus consensiat, quia transactio est alienationis species *arg. l. 4. C. de predi. & al. reb. min.* & communiter apud Interpretes obtinuit. Attamen obstat feudista *in 11. f. 26. si vasallus de beneficio suo agat, vel conveniatur: sive obtineat, sive non (licet ignorante Domino fiat) omni tempore firmum erit illud judicium, nam & transigere recte poterit: nec quod accepit transactionis nomine feudum erit.* Quo textu Rothius *loc. cit. q. 17.* & Eichsfeldiaco *loc. cit §. 12.* moti tenent, generaliter sine consensu Senioris vasallo super feudo transigendi facultatem competere. Rosent. *cap. IX. 1. 21.* respondere conatur, sed barbis, non ratione certat, Struv. *f. j. f. cap. XII. 8. n. 6.* inquit, vasallum transigendo feudum non alienare, sed judicem, qui sententiam tulit, & dein sine [illegible] superius laudatam carpit, simulque, [illegible] Senioris, cum

ſenſum tutius eſſe adhiberi. Ego autem cum Hotomanno *ad d. §. ſi vaſallus* intelligo feudiſtam prorſus aberrare: ratio, quia, etſi, tranſactione, Senioris proprietas non lædatur, tamen Senior etiam invitus alium vaſallum habere cogeretur, quod juri feudali repugnat, quum fidelitas, obſequium, & ſervitium unius, ab alterius fidelitate differat; nec res inter alios judicata aliis nocere poteſt 11. *f.* 43.

Venditio feudorum ſine Domini aſſenſu prohibita eſt, quæ vera alienatio appellatur, qua utile dominium omnino transferimus, 11. *f.* 52. *&* 55. Sicut & *permutatio*, quum ipſa ſit alienatio, ut nec duo vaſalli ab eodem Domino feuda poſſidentes, hæc inter ſe permutare poſſint *l.* 2. *D. de rer. permut.*, *l.* 2. *C. eo.*, quia licet Lotharii, & Friderici ratio, nempe diminutio imperii, & damnum Senioris, ſilere videatur, tamen Dominus voti ſui compos non redditur, quum abſque ejus voluntate auſit alienare, nec enim refert an conditio Domini evaſerit melior, an deterior. Quoties multiplex ratio rem aliquam fieri prohibet, ut licita evadat, omnes rationes ceſſare oportet. Hoc caſu humanius erit, ſi ſenior actum reſcindat, ſed vaſallum feudo non ſpoliet, Roſent. *cap. IX.* 1. *6. n. 6.*, Rothius *loc. cit. q. 6.*, Curt. *par. IV. n.* 101. Nec & *donare* poteſt 11. *f.* 9. §. *donare*, ſive inter vivos, ſive cauſſa mortis, ne ex cauſſa quidem pia, aut favorabili, Vultej. *lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 58., Hotom. *ad d.* §. *donare*.

TITULUS XXVIII.

De Permiſſa feudorum alienatione.

§. XXXIX.

De cenſu exceptionum.

HActenus de prohibita clientelarum alienatione, nunc exceptiones, ſervato priori ordine, exponam. Si feudum fuerit mere *hereditarium*, hoc eſt alicui accipienti pro ſe, & quibuſcumque heredibus conceſſum, de eo vaſallus teſtari, fideicommittere, legare, & donare poteſt, quia illud, illæſa ejus natura, ſervitio nempe, & fidelitate, jure allodii poſſidet, etiamſi nec Senioris, nec agnatorum accedat conſenſus 11. *f.* 48., 11. *f.* 26. §. *feudum* ibi Gloſ., Thom. de Marin. *de Gen. feud. tit.* 8. *n.* 3., Vultej. *lib.* 1. *c.* 9. *n.* 156. Heres factum defuncti ſervare debet, uni filiorum, agnatorumve prælegare, aut inæqualiter inter eos inſtituere poteſt,

Digitized by Google

poteſt, modo ipſis ſimul allodium deferatur; nec hujus feudi ſucceſſores a primo acquirente deſcendant oportet, Thomas de Marin. *loc. cit.*, Piſtor *lib.* 11. *q.* 13. *&* 14., Struv. *ſ. j. f. cap. IX.* 12. §. 2. Nec refert an antiquum, an novum fuerit, Eichsfeldiac. *loc. cit.* §. *XVIII.*, Scrad. *par. VII. c.* 2. *n.* 12.

Quæſitum eſt, *an de feudo novo ex pacto, & providentia vaſallus in filiorum damnum teſtari poſſit?* Scrad. *par. VII. c.* 2. *n.* 22. Struv. *ſ. j. f. cap. IX.* 12. *n.* 4. aliique etiam ſine conſenſu Domini affirmant. Male: Ratio, quia filii ſunt in inveſtitura vocati, igitur jus eſt eis quæſitum, quo ſine ſolemnitate, hoc eſt Senioris conſenſu non ſpoliandi. Nam ſi jus non adquiſiviſſent, poſt mortem patris non poſſent ſuccedere, quia aliquid, in quo nihil juris fovent, acciperent. Si ſuccedunt, ergo jure, hoc eſt titulo ſuccedunt, quum omnis ſucceſſio in jure conſtituatur, Rothius *loc. cit. qu.* 11. *c. XIV.*, Bammac. *in* 11. *f.* 26. §. *omnes filii q.* 3. *n.* 49. Verum, cur conſenſus Senioris filiis vaſalli præjudicare debeat? jus alteri quæſitum ſine juſta cauſſa auferri non poteſt. Vultejus *lib.* 1. *c. IX. n.* 163. hac difficultate motus aſſeruit, patrem de feudo ex pacto, & provid. novo ne conſenſu quidem Senioris teſtari poſſe. Arbitror ego id ex patria poteſtate, qua filius & pater una cenſeantur perſona, deſcendere; feudumque ab ipſo patre habere videtur. Nec adquiſitio juris obſtat, dum etiam filius in allodio patris jus quæſitum habet, & tamen illud pater nunc minuere, nunc augere, nunc tollere poteſt, quin filius conqueratur. Siquidem dum pater adquirit feudum pro ſe, & filiis ſimpliciter, potius contemplatione ſui ipſius, quam filiorum quæſitum cenſemus. Sed ſi Senior conceſſit patri, & filiis, quos ſuis nominibus in inveſtitura vocavit, tunc potius filiorum, quam patris contemplatione datum videtur, idcirco etiam conſenſu Senioris, iis nocere non poteſt, Andr. *in* 11. *f.* 39. *n.* 10. 11. 12., *&* *in* 11. *f.* 45. & paſſim, Thomas de Marin. *de Gen. feud. tit.* 111. *n.* 17.

Diſponit & de feudis ſine Senioris conſenſu, ſi Regionis *conſuetudo* ſuadeat, etiamſi agnatorum conſenſus non accedat, ut in Sileſia, Luſatia, Gallia, Sicilia, Rothius *loc. cit. cap. XIX. q.* 6. Eichsfeldiaco *loc. cit.* §. 19. Chriſtineus *dec. Belg. to. VI.* 65. *n.* 14. *&* 15. (*a*). Aut ſi eos, qui in feudo ſucceſſuri erant, *inſtituiſſet*,

11.

(a) In Regno Galliæ feuda inſtar patrimonii vaſallus vendit, permutat, in dotem concedit, oppignorat, & quolibet titulo alienat, nec conſtitutio Lothari, & Friderici recepta eſt. Similiter juriſdictiones, & dominationes vendit obligat, in judicio deducit, & tran-

Digitized by Google

11. *f.* 3. §. *sed etiam res, cujus alienatio prohibetur, nec per beneficium dari conceditur, nisi in casibus: ut ecce si quis ex agnatis tuis, rem, quæ a communi parente per successionem ad eum pervenerit, alienare voluerit: non permittitur ei etiam secundum antiquam consuetudinem alii eam vendere, nisi tibi, vel alii proximiori pro æquali pretio accipere volenti.* Feudum itaque paternum agnatus in extraneum alienare non potest, sed in agnatum, qui successurus est, & tunc non proprie alienatio, sed refutatio appellatur, 11. *f.* 39. 1. *f.* 13. §. *etsi clientulus.* Sive in proximiorem, sive remotiorem alienet; nam respectu Domini nihil refert, an proximior, an remotior fuerit. Sed respectu Agnatorum in proximiorem fieri oportet, ne eorum ratio lædatur *d.* §. *sed etiam*, Glos. *in* 11. *f.* 39. Vultej. *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 152. Tiraquell. *de Retract.* §. XI. *glos.* 6. *n.* 10. Exemplo fideicommissi: si enim testator prædium extra familiam alienari vetuerat, & heres ejus voluntati non paruit, non omnes, qui sunt in familia, sed proximi quique ad fideicommissi persecutionem vocantur *l.* 32. §. *ult. D. de leg.* 11. *l. fin. C. de V. S.* Aut patronus tribus libertis conjunctim legavit prædium, & petiit, ne de libertorum nomine exiret. Unus ex his decessit, & partem suam aliis Collibertis reliquit, Valens *in l.* 94. *D. de leg.* 111. recte egisse respondit, quia fideicommissum de nomine libertorum non exiit. Sicut igitur fideicommissum in eum, qui est proximus, & vocatus alienatum, alienatio valet, ita & feudum antiquum in agnatum, seu qui in investitura vocatus est, alienatum, actus hicce substinetur.

De

& transigit, etiamsi nec dominus feudi, nec subditi consensiant, Altesser. *de O. F. cap.* 15. Guliel. Bened. *ad cap. Raynutius de Testam. VV. Viduas habent filias n.* 69. Et passim Scriptores Gallæ. Et hodie in generali bonorum alienatione apud francos veniunt feuda, dicam *in prolegomenis Prælectionum ad libros Consuetud. feudal.* Nec refert, an in Laicum, an in Ecclesiam alienet, sed *Ecclesia cogitur præstare hominem, a quo debita obsequia exhibeantur* (hoc est Domino feudi) *quoque mortuo fidelitas redintegretur*, inquit, Altesser. *loc. cit.* Sicut hodie in Regno Neapolitano feuda a Rege Ecclesiis, & Collegiis concessa Laico cuidam inscribuntur, ne Rex relevium amitteret, ut nuper diximus. Verum in Gallia in feudorum alienatione Domino volenti εισδεκτικα, seu laudimium, non assensienti jus protimeseos competit. Et subpicor hujusmodi jura ex vetusto Galliæ more descendisse, quo feuda alienari non poterant, sicut Lotharius, & Fridericus ubique fere recepti jusserant. Neque hodie apud francos feuda majora dividi possunt, nisi Senior consensiat.

Digitized by Google

De *fructibus* diſponit, qui jam a prædio feudali ſunt ſeparati, atque allodiales exiſtimamus. Exemplo clerici, qui de fructibus ſui beneficii, Minoris, qui de fructibus rerum immobilium recte diſponunt, etſi de re diſponere nequeant, Tiraquell. de Retract. §. *XI. gloſ. 6.* Verum nec Interpretum opinio diſplicet, quæ docet, etiam fructus percipiendos legari poſſe, donec legatarius vivit. Ratio enim Lotharii, & Friderici eſt, quod vaſalli clientelæ fructibus ſpoliati ſervitia commode præſtare non poſſent, & proinde honor imperii, & Imperatoris diminueretur. Sed ſemper ſenior in ſuis ſervitiis præferendus eſt; quod accidit, præſertim ſi ad vitam uſque vaſalli legentur, & infra dicam. Sicut & de pretio ex re feudali legitime vendita, quum feudale non fuerit, ut nummus ex re furtiva redactus, furtivus non eſt *l.* 48. *in fin. D. de furt.* ibi Gotofr. Aut ſi in feudi utilitatem, melioremque conditionem ejus teſtamentum tendit, etſi nec Senior, nec agnati conſenſiant; modo hæc utilitas veterem feudi formam non mutet. Finge, ſi vaſallus diſponeret, feudalem ſiluam extirpari, & ex illa agrum fieri; aliumve locum immutari, ex quo magnum ei lucrum cedebat; quod inſpicere judicis erit, an utile, an damnum fuerit, Scrad. *par. VII. c.* 2. *n.* 23. Exemplo tibi erit fructuarius, de quo Ulpian. *in l.* 13. §. *peu. D. de uſufr. l.* 44. *&* 72. *eod.* cui rem in aliam meliorem formam tranſmutare negatur.

Quamvis *hypotheca* a feudis, illaudato Seniore, exulet, tamen ſemel legitime Senioris voluntate conſtituta, creditor alteri cedere poteſt, quin Senior conſenſiat. Etenim nec jus feudale longobardicum, nec ejus ratio hanc facultatem creditori prohibet, & invidet. Dum jus feudale nihil hac de re ſtatuit, patet creditori jus cedendi ſupereſſe, ac ſi de allodio ageretur. Non ratio, videlicet Lotharii, & Friderici, quum in re feudali regula valeat, quoties actus in Senioris præjudicium non vergit, in eo actu ineundo illius conſenſu non indigemus. Ceſſio hypothecæ nec directo Domino, nec vaſallo nocet, vel aliquid detrahit, ſed de jure creditoris in alterum transferendo contendit, & agit. Nec Domini, vel vaſalli intereſt, an ipſe creditor, an ejus ceſſionarius hypothecam vindicet, atque exerceat. Nec jus creditoris feudale eſt, ſed naturam omnino allodii induit, quia non creditor, ſed debitor, Senioris vaſallus remanet. Nec Dominus novum vaſallum, ſed novum creditorem, ex quo nec damnum, nec commodum experiri poteſt, Ludov. Boehmer. *obſerv. jur. feud. XIII.* §. 3. Scrad. *par. VII. c.* 11. *n.* 26. Nec refert, ſi ceſſio hypothecæ in *potentiorem* fieri poſſet, & quaſi Senioris conſenſum requireret. Nam non modo hypothecæ, ſed & quælibet juris ceſſio in potentiorem facta corruit, credi-

creditor jus crediti amittit, & potentior extra ordinem punitur; *tot. tit. C. Ne liceat potentioribus* (a).

Et V. Cl. Samuel Strykius *tom. III. disput. 20. c. 3. n. 36. Distinguendum hoc est omnino inter cessionem hypothecæ, & inter realem feudi translationem. Jus hypothecæ, seu crediti sine novo consensu cedi potest. Est enim tantum cessio jurium, absque traditione feudi; & per hanc nudam cessionem jurium neque Dominus feudi læditur, neque vasallus; & exsoluto debito consensus a Cessionario repeti potest, manetque in suo pristino vigore. Secus vero est, ubi non tantum hypotheca ceditur, sed simul realis feudi possessio in alterum transfertur; hoc vero sine novo consensu fieri nequit. Consensus enim stricti juris est, & sicut vasallo non licet vendere sine novo consensu feudum, ita quoque in alio casu realiter feudum transferre nequit. Et secundum hanc distinctionem in Camera Electorali sæpius judicatum.* Hypotheca igitur in feudo sine Senioris assensu, non ejus cessio, prohibita est. Aut si vasallus sine Domini consensu, eorumque, quorum interest, feudum pignori dat, vel in eo hypothecam, pro necessitatibus ex ipso feudo ortis constituit. Tunc ex natura rei pignus, & hypotheca nascitur, nec Dominus conqueri potest, cum initio investituræ consensisse videatur. Aut si hypothecam sine Senioris consensu contraxit, tunc vasallo, ejusque heredi nocet, non Seniori, qui, devoluto feudo, debita solvere non cogitur, Vultej. *lib. I. c. 10. n. 56.* Strykius *to. XIII. sect. 2. c. 4. §. 13.*

Pignus necessarium sine Senioris consensu potest in feudo constitui, nempe si vasallus ære alieno pressus aliter creditoribus, quam ex feudo satisfacere nequit, hoc est si allodia deficiant. At executio pignoris, vel rei judicatæ non in ipsum feudum, seu utile dominium, sed in fructus, & commoditates fieri debet. Potissimum si vasallus debitum contraxit, ut onera feudi solveret, vel utilitatem Senioris, videlicet ejus filia nubenda, curaret, Jac. a S. Georg. §. *& dicti vasalli pro dictis in fin.* Vultej. *lib. I. c. 10. n. 56.*, Scrad. *par. VIII. c. 1. n. 28.* Rosent. *cap. IX. 1. 17.* Hæc immissio in feudi possessionem durabit, donec vivit vasallus; decedente, expirat, si feudum fuerit ex pacto. Si hereditarium, ad heredes transibit, Andr. *in II. f. 8. n. 6.* ibi Liparul., interim vasallus

(a) Potentior est, qui opibus, gratia, & potestate pollet, quique tenuiores *Majestate manus*, ut loquitur Persius *sat. IV. v. 8.* opprimit, & deterret. Eadem Wisigothorum lex *lib. II. tit. 3. c. 9.* vetuit, nempe nemini licere causam suam potentiori committere, quam ipse est, qui committit.

Digitized by Google

ſallus ſerviet, conf. Roſent. *cap. IX.* 1. 16. Sed ſi debitum feudi utilitatem reſpicit, meliorationem inducit, aut Domino commoditatem afferat, morte debitoris non expirat, & Dominus ſatisfacere tenetur, Gail. *lib.* 1. *obſ.* 117. *n.* 2. Sed quomodo res judicata agnatis, vel Domino nocet, dicam *lib. IV.*

Pater ſuum feudum in *dotem filiæ*, vel frater ſorori non poteſt conſtituere; recte vero *fructus* feudi dabunt, aut ſi conſuetudo permittat; vel ſi feudum eſſet ipſius mulieris, quod marito in dotem recte dabit 11. *f.* 13. 11. *f.* 17. quia Seniori nihil nocet (*a*). Nam hæc dotis conſtitutio, ſuperſtite tantum matrimonio, durat, eo diſſoluto, ad uxorem, ejuſque heredes revertitur; & fructus quoque uxor, vivente viro, percipere dicitur. Modo uxor pactum de lucrando feudo non apponat; neque æſtimatum, ſecus tunc eſſet venditio, concedat, atque interim maritus ſervire tenetur. Hinc patet ratio, cur pater ſuum feudum filiæ dare in dotem nequit, & poteſt uxor, quum pater ſeniori noceat, non autem uxor, a qua clientela nunquam exit, Rothi. *loc. cit. cap. XIX. q.* 3., Vultej. *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 60. Struv. *ſ. j. f. cap. XIII. n.* 1. Etſi alii tutius exiſtiment, ſenioris in utroque caſu conſenſum requiri.

Commoditates, & *fructus*, non uſumfructum recte alienat, quamdiu ipſe vaſallus vivit, poſſeſſionem retineat, & ſervitia præſtet, quia alienare prohibitus de fructibus ſtatuere non vetatur, Andr. *in* 11. *f.* 55. *n.* 3., Camerar. *in* 11. *f.* 55. *p.* 17. *&* 18. Hinc *antichreſis* in feudo conſtitui ſine Domini conſenſu poteſt. Antichreſis eſt quædam pignoris ſpecies, hoc pacto initi, ut donec ſolvatur pecunia, creditor in vicem uſurarum pignore, ſeu fructibus rei oppignoratæ utatur, fruatur, *l.* 14. *&* 17. *C. de uſur.* conf. Noodt. *lib.* 11. *Obſer. c.* 9. Modo nudam ex feudo percipiendi fructus facultatem concedat; ſi enim etiam feudi poſſeſſionem transfert, tunc conſenſu ſenioris opus eſt, Stryki. *to.* 111. *diſput.* XX. *c.* 4. *n.* 42. *Locare* ad modicum tempus poteſt, non vero ad longum, hoc eſt decennium,

(a) Jure longobardico nec dos, nec legitima ex feudo filiabus debetur, & unus caſus in jure extat, quo feudi ſucceſſor alere tenetur vaſallum ob corporis vitium a ſucceſſione excluſum 11. *f.* 6. §. 2. Extra hunc caſum ſucceſſor ab omni onere immunis eſt. Merito, ne pauper vaſallus ſervitia detractet. Jure autem Germanico eſt onus feudi dos ſorori, & filiæ conſtituenda, licet jure Saxonico in ſubſidium, ſi allodia deficiant, debeatur. In Pomerania, & Marchia, etiamſi ampliſſimum poſſideat allodium, tamen ſemper dos ex feudo debetur, Stryk. *to.* 111. *diſput.* 20. *cap.* 1. *n.* 7. Ludewig. *lib.* 11. *feud. Opuſc. IV. differ.* 1. 2. 3.

Digitized by Google

quia tunc esset alienatio *arg. l. 1. §. fin. D. si ager Vectig.* etiamsi dicamus tot esse locationes, quot sunt anni, cum hac cautione lex eluderetur, Covar. *lib. 11. resol. c. 16. n. 4.* Sonsbec. *par. XII. n. 84.* Wesenbec. *cap. XI. n. 7.* Clarus §. *feudum q. 33.* In feudis præsertim magnis, ut Baronia, Comitatu, Ducatu res steriles, nemora, silvas ad tempus, vel perpetuo locari admittit Rosent. *cap. IX. 1. 7. n. 7.* & æquitas suadet, modo melior feudi conditio reddatur, aut consuetudo regionis jubeat, sicut in Regno Neapolitano obtinuit, Struv. *s. j. f. cap. XIII. 6.*

Potest & prædialem servitutem, sive urbanam, sive rusticam feudo imponere 11. *f. 8. §. quid ergo si pretio, vel dolo, aut inscia servitutem rei beneficiariæ imponi patiatur, & ut Dominum ex qualibet caussa postea beneficium revertatur? an ex eo præjudicium Domino generetur, quæsitum fuit?* Et *responsum est, ut vasallo quidem, donec feudum tenet, posse obesse. Domino autem etsi per longa tempora perseveraverit, servitus minime nocet.* Sed, aperto feudo, extinguitur, quia resoluto jure dantis, resolvitur jus accipientis, & Seniori non nocet, nec agnatis, modo ob feudi naturam factum defuncti servare non obligentur. Hæc proprie non est servitus, sed servitutis similitudo, & potius in persona, quam in prædio jus constituit, quia servitus debet esse perpetua, cum caussæ perpetuæ videlicet fundo inhæreat *l. 4. D. de servit. l. 28. D. de S. P. V.* Nam si jus in feudo constitueretur, consensu Domini, & quorum interest, opus esset, quia tunc de parte utilis dominii disponit, ipsumque feudum afficit, & deterius reddit, Hotom. *ad d. §. quid ergo*. Hinc ratio patet, cur ususfructus imponi nequit, & servitus potest, quia usufructus jus & possessionem naturalem in fructuarium transfert, sed servitus, de qua loquimur, nihil transfert, Rosent. *cap. IX. 1. 11. n. 3.* Et sic Interpretum opinio componi valet, Rothius *loc. cit. cap. X. 5. & 6.*

Si itaque vera imponeretur servitus ad Seniorem, & agnatos duratura, Senioris, & agnatorum indigeremus consensu, quia est vera alienatio, hoc est feudalis prædii libertatem imminuit. Obligat tamen ipsum vasallum, & suos descendentes, etiamsi senior non consensiat, cujus nullum vertitur damnum, quum regula juris sit, seniore, aut vasallo deteriorem feudi caussam fieri non posse *1. f. 22. §. si quis*, 11. *f. 8. §. pen.* 11. *f. 47.* sicut nec proprietarius, nec fructuarius *l. 7. D. de usufr.* Qua de re Senior in feudo nequit servitutem imponere, quæ vasallo noceat, & viciſſim; nec proprietarius in prædio fructuario, & viciſſim, sicut nec tutor, aut curator prædio pupilli, vel minoris *l. 15. D. de usufr. l. 3. §. pen. D. de rebus eor. qui sub.* Nec solus Senioris consensus suppetit, si feu-

Digitized by Google

si feudum est antiquum, sed agnatorum opus est, quia utrorumque agitur præjudicium; nocet vero filiis, & descendentibus vasalli, qui cum feudum ab alode separare non valeant, factum defuncti servare tenentur, ut infra dicam. Nec agnatis etiam, aut Domino nocet, si vivo vasallo, longo tempore servitutem quidam possederit, & præscripserit, quia non valenti agere non currit præscriptio, Rothius *loc. cit. q.* 8. §. 4. Hotom. *ad* §. *e contrario* 11. *f.* 8. Potest & Senior, aut vasallus servitutem feudo acquirere, vel servitute illud liberare, quia melior clientelæ conditio redditur; sicut pignus sine Domini consensu in feudo dari non potest, sed sine Domini consensu illud recte redimitur.

In fine libri II. probatum est, vasallum, etsi sine Senioris consensu clientelam alienare non posset, tamen recte subinfeudare, quin Dominus consentiat, & Lotharii, & Friderici Constitutionis pœnam metuaret, 11. *f.* 9. §. *sin vero* 11. *f.* 3. §. *per feudum*, 11. *f.* 26. §. *similiter*. Subinfeudatio est actus, quo vasallus feudum, quod habet, vel totum, vel ejus partem, alii in feudum legitime concedit. Dixi *legitime*, non quia Senioris consensu interveniat oportet, sed ut vasallus subinfeudans tria simul observet, ne subinfeudatio corruat, & ipse in legis rigorem incidat. Videlicet, ut sincere, æquali personæ, & iisdem conditionibus, quibus infeudans tenet, concedat. *Sincere*, hoc est, non sub specie subinfeudationis contractum alienationis perficiat, 11. *f.* 34. §. *profecto*, 11. *f.* 55. §. *callidis*. *Æquali personæ*: subinfeudatus æque idoneus ad servitii præstationem esse debet; & si feudum militare servitium requirit, militiam calleat: si paganicum, domi servire, senioris negotia exercere, aliave pacto investituræ conventa intelligat. Nec potentia, auctoritate, aut jurisdictione nimium Seniorem, & vasallum exuperet, ut vix ab eo servitia exigi possent, secus *tit. G. Ne potentioribus* locum sibi vindicat. *Iisdem conditionibus*, hoc est eadem pacta, eundum serviendi modum, & succedendi rationem subfeudum contineat, quibus subinfeudans parere cogebatur; quia naturam feudi, & pacta solus senior immutat. Subvasallus vasallo subinfeudanti servitia præstat, ab eo investituræ renovationem petit, 11. *f.* 55. §. *firmiter*, 11. *f.* 54. Si autem Seniorem subinfeudantis offendit, subfeudo cadit, *& ad Dominum suum, a quo ipse tenebat, revertatur*, inquit, Frider. I. *in* 11. *f.* 55. §. *illud quoque*, Vultej. *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 137. Decedente vasallo subinfeudante, subinfeudatio expirat, quum resoluto jure dantis, jus accipientis resolvatur. Excipe, si feudum fuerit mere hereditarium, aut si directus Dominus subinfeudationi consenserit, Roth. *in pand. feud. cap.* XIX. *q.* 41.

TITULUS XXIX.

De conſenſu Senioris.

§. XL.

De origine, & indole conſenſus.

Sine amiſſionis clientelæ periculo, & contractus reſciſſione, & pœna, feudum quoque alienatur, ſi Senior conſenſiat, I. *f.* 13. §. *& ſi clientelus*, II. *f.* 34. §. *ſimiliter*, II. *f.* 24. *in fin.*, II. *f.* 52. II. *f.* 55. Antiquitus nullus Senioris conſenſus requirebatur, ſed poſtea, præſertim Conſtitutione Lotharii II. & Friderici I. ſanctum, nullam clientelæ alienationem fieri poſſe, niſi Dominus conſenſiat. Nec legislatores diſtinxerunt, an feudum novum, an antiquum, an proprium, an improprium fuerit. Atque, etſi in feudo antiquo etiam agnatorum indigeamus conſenſu, nihilominus, ſi ſola Senioris venia alienatur, alienatio valet, & vaſallus feudo non cadit; agnati deinde revocare, ut infra dicam, poterint. Hic Senioris conſenſus, vel ab initio in inveſtitura feudi, vel ſuadente neceſſitate, in ipſo alienationis actu intervenit, vel poſt peractam alienationem obtinetur, quum ratihabitio retrotrahatur, & alienatio convaleſcit. Sed ſive initio, ſive in medio, aut fine conſenſiat, a vaſallo cogi poteſt, ut aſſenſum præſtet, niſi juſtam diſſenſiendi cauſſam exhibeat. Et poſtquam ſemel conſenſit, amplius diſplicere non licet, Vultej. *lib.* I. *c.* 10. *n.* 110.

Conſenſus Domini, an expreſſus, an tacitus ſit, ſemper alienationem confirmat. Expreſſus, dum claris verbis alienationi acquieſcit: tacitus, ſi ſciens, & intelligens, quid agatur, ſi præſens, aut abſens non refragatur; quicquid adverſa ſenſiat opinio. Nam quoties quis oppugnando actum impedire, vel reſcindere valet, ſi non oppugnat, conſentit; igitur taciturnitas Senioris cum præſentia conjuncta conſenſum, atque adprobationem parit. Hinc, ſi conſenſiente patre, Decurio municipii filiusfam. eligitur, pater omnibus oneribus, quæ filii munus ſecum fert, ſe obligat, *l.* 2. *D. ad municip.*; etſi ſæpe patientia diſſenſum pariat, *l.* 5. *D. de S. V. P.* Gloſ. *in* II. *f.* 52. *V. permiſſione*, Curt. *par. IV. n.* 137., Zaſi. *par. IX. n.* 41. Wultej. *lib.* I. *cap. X. n.* 82. qui non ſolam ſcientiam, & patientiam requirunt, ſed etiam præſentiam, ſi nihil aliud ſit, ex quo conſenſus tacitus colligi poſſet; quod ex Martiano in *l.* 8. §. 15. *D. quibus mod. pign. ſol.* probant, *non videtur autem conſenſiſſe credi-*

Digitized by Google

creditor, si sciente eo debitor rem vendiderit, cum ideo possit ab eo vindicare, quod sciebat ubique pignus sibi durare: sed si subscripserit forte in tabulis emptionis, consensisse videtur: nisi manifeste appareat deceptum esse; quod observari oportet etsi sine scripsis consenserit. Sed mihi aliter sedet, nec tanta opus esse subtilitate, sed si sciens, intelligens fuerit, sive absens, sive præsens, & impedire valens, pro consentiente censetur. Nec Marcianus obstat, sed potius juvat, quia creditor non scientia, sed errore consensit; quamvis contrariam opinionem communem esse videam, Borcholten *de feudis c. VIII. n. 73.* (a) Denique si plures sint Domini, omnes consentiant oportet, nec unius cunctos supplet, Rosent. *cap. IX. 1.* 30. Verum si unus Senior est mediatus, alter immediatus, & subfeudum alienatur, hinc Senioris proximi consensus tantum requiritur, quia Lotharius, & Frider. *in d. 11. f. 52. & 55.* de omnibus feudis, & vasallis sanxerunt, & Valvasinus subinfeudantis est vasallus, non Senioris mediati; eique onera subfeudi præstat, Pistor *lib. 11. q. 45. n. 13. & 15.*, Zasi. *par. IX. n. 43.* Sed ego addo, modo illus feudi pars a vasallo subinfeudata, ob alienationem allodialis non evadat, aut aliter damnum sentiat, tunc Senioris præjudicium vertitur, ejusque requirenda voluntas.

Natura consensus est, ut *stricti juris* censeatur, quia agit de alienatione, quæ est contra feudi naturam, & ipse est gratia Senioris, qua jus commune evertit, & relaxat, Camer. *in 11. f. 55. p. 44.* Pistor *lib. 11. q. 49. n. 6.* Vultej. *lib. 1. c. 10. n. 98.* & proinde ad non expressa, vel verbis, legisve mente non comprehensa extendi non potest, videlicet *de persona ad personam*. Ut si Dominus assensum præstitit, feudum Cajo alienari, vasallus Mævio alienare nequit, quia, etsi voluntas Senioris fuisset utile dominium transferri, ejus tamen interest, potius a Cajo, quam a Mevio possideri, ne, ipso invito, alterum pro altero vasallum habere cogatur. Præsertim cum hic consensus duo præseferat, alienationis confirmationem, & mandatum; & fines mandati exactissime sunt custodiendi *l. 1. §. ult. D. mand.* Tutius itaque erit, si vasallus generaliter, non ostensa persona, alienandi assensum a Domino obtineat, & tunc in quemlibet alienare valet, modo ab ini-

(a) Sicut si quis sciente, & patiente Domino, feudum longo tempore possidet, illud præscribit, & titulus præsumitur, modo jusjurandum se legitime investitum esse præstiterit, *11. f. 33.* Ita si vasallus, non contradicente Domino, alienat, alienatio valet, cum in utroque casu jus Domini interverti constet, Vasquius *de succession. resolut. lib. 1. §. 5. n. 26.*

inimico Senioris ſe obſtineat, quia in conſenſu inimicus non comprehenditur, Camer. *loc. cit.*, Curt. *par. IV. n.* 140. (a). Nec in collegium, vel ſacrum, vel ſeculare alienet, quia nunquam feudum aperiretur, & Dominus damnum excipiret, Scrad. *par. VIII. c.* 4. *n.* 14.

Nec *de contractu ad contractum* extenditur: ut ſi vaſallus a Seniore vendendi conſenſum impetrat, non poteſt donare, permutare, oppignorare, aliove modo alienare, quia omnis contractuum, & conventionum ſpecies lege Lotharii, & Friderici vetita eſt, uno conceſſo, ceteri interdicti cenſentur *l.* 12. *D. de judic.* etiamſi vaſallus contractum agat, in quo minus Senioris conditio lædereatur. Finge, habuit facultatem vendendi, non poteſt pignorare, aut hypothecare, licet pignus, & hypotheca minor ſit, quam venditio, quia Senioris conſenſus, qui eſt gratia, ſeu privilegium *de uno contractu ad alium* non porrigitur. Et recte Ulpian. in *l.* 7. §. 3. *D. de rebus eo. qui ſub tut.* docet, quod ſi Prætor tutoribus permiſit vendere, & illi obligaverint, nihil egiſſe videntur, quia contra Prætoris decretum egerunt. Senioris enim eſt, ſicut Prætoris in re tutelari, exiſtimare, utrum vendere potius, an obligare permittatur *l.* 5. §. 10. *D. eod.*, Andr. *in* 11. *f.* 55. *n.* 6., ibi Alver. *n.* 14., Camer. *loc. cit.*, etiam ex regula Celſi *in l.* 99. *D. de V. O. quicquid adſtringendæ obligationis eſt, id niſi palam verbis exprimitur, omiſſum intelligendum eſt.* Senior venditionem expreſſit, non pignus, igitur pro omiſſo exiſtimandum.

Nec etiam de contractu *ad ultimas voluntates* extendendus ad alienandum conſenſus: nempe ſi inter vivos obtinuit alienare, cauſſa mortis prohibetur, quia ubi eſt diſpenſatio, argumentum a majori, aut ſimili non valet, & ſi diſpenſatur in uno, in altero etiam vetito non cenſetur conceſſa relaxatio. Idcirco ſi facultatem teſtandi recepit, in ultima voluntate de feudo contrahere non poteſt, Andr. *in* 11. *f.* 9. §. *donare n.* 8., Scrad. *par. VIII. c.* 4. *n.* 23. Diſpoſitio enim inter vivos alia eſt, quam ea quæ cauſſa mortis peragitur. Finge, cauſa mortis Lucius rogat heredem, ut decem Mævio ſolvat, cujus teſtator dixit ſe eſſe debitorem, qui revera non erat, heres ex fideicommiſſo ſolvere tenetur, *l.* 88. §. 10. D. *de legat.*

(a) Si Senior Titio vaſallo facultatem alienandi conceſſit, mortuo Titio, facultas alienandi ad ejus heredem feudalem tranſit, ſi defunctus morte præventus alienare nequivit. Heres defuncti perſonam repræſentat, non tamen ad quemlibet heredem, ſed, qui in feudis ſucceſſurus erit.

Digitized by Google

legat. 11. Sed ſi quis inter vivos pecuniam debitam conſtituit, quam non debet, nulla in eum actio datur *l.* 18. §. 1. *D. de conſt. pecun.* Forſitan Senioris intereſt potius in ultima voluntate, quam inter vivos, & viciſſim, feudum alienari, quod quia eſt quæſtio facti, Judex decernit. Quæſitum eſt, an permiſſa donandi facultate, tam inter vivos, quam cauſſa mortis donare poſſit, negat Camer. *loc. cit. p.* 28. affirmat Roſent. *cap. IX.* 1. 35. *n.* 7. qui totum orbem ita ſentire refert. Sed Camerarium tuetur Ulpianus *in l.* 7. §. 4. *D. de donat.* Ubi ſi filius donare prohibetur, etiam cauſſa mortis donare vetatur, niſi pater conſenſiat, & ſubdit, *ſic enim meminiſſe oportebit, ſi cui donare quoque permiſſum eſt, niſi ſpecialiter etiam mortis cauſſa donare fuerit permiſſum, non poſſe mortis cauſſa donare*, quibus verbis regulam juris oſtendit, quam pro ratione ſubjunxit. Ratio tamen obſcura eſt, forſitan quia quis facilius mortis cauſſa, quam inter vivos, quum breviter ea ſit amiſſurus, donat. Ut data de feudo teſtandi licentia, donationem mortis cauſſa facere non poteſt (*a*).

Nec *de tempore ad tempus* transferri poteſt: videlicet ſi ſenior licentiam alienandi ad certum tempus conceſſit, eo elapſo, expirat. Exemplo creditoris, qui pignus ſibi conſtitutum vendere intra annum, vel biennium conſenſit, poſt hoc tempus vendendo, non aufert pignus creditori *l.* 8. §. 18. *D. quib. mod. pign.* Temporis definitio hic neceſſariæ conditionis, non accidentalis vicem occupat, ſicut ſi conceditur aſſenſus ſuper contractu faciendo ad factum non pertinet, etſi ratihabitione introtrahi valeat, Camerar. *loc. cit. p.* 54. Vultej. *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 107. Scrad. *par. VIII. c.* 4. *n.* 17. Aut ſi non Senior, ſed vaſallus tempus præfinit, puta decem annos, hac alienandi facultate uti non poteſt, ſi tempus ſtatutum elabatur. Sed ſi alienare velit, novo opus eſt conſenſu, quia ſi unicum fuit tempus, unicus fuit aſſenſus, cujus virtute, elapſo tempore, prorogatio admitti nequit, quum illud prorogetur, quod exiſtit; ſed aſſenſus jam expiravit. Omnis enim ſermo

fun-

(a) Obſtat Ulpian. *in l.* 57. *de V. S. Donationis verbum ſimpliciter loquendo omnem donationem comprehendiſſe videtur, ſive mortis cauſſa, ſive non mortis cauſſa fuerit.* Non diſplicet Accurſii reſponſio, nempe ſi *lex* generaliter donare permittat, tunc cauſſa mortis, & inter vivos donari poteſt. Si *homo*, non niſi inter vivos donare valet. *Homo* ſeu *Senior* donare generaliter permiſit, igitur tantum inter vivos donare poteſt, niſi ſpecialiter mortis cauſſa donare permiſerit.

Digitized by Google

simpliciter prolatus intelligitur de prima vice, hoc est primo actu consumitur, & finitur, ut si puellæ quis legat, cum *nupta erit*, de primis nuptiis sensisse dicit Pompon. *in l. 89. D. de V. S.* ubi Wissenbac. *n. 5. & 6.* Qua de re ex citato Pomponio, si vasallus vendendi veniam habuit, vendidit, postea recuperavit, vi ejusdem assensus iterum vendere non potest, quia de prima venditione intelligitur, idcirco novo opus est consensu. Imo si consensus nullum tempus alienandi præfinivit, si vasallus intra decennium non alienavit, consensui Senioris renunciasse videtur, Vultej. *lib. 1. c. 10. n. 107.*

Nec *de re ad rem*: nempe si vasallus unum feudum consensu Domini vendidit, alterum ejusdem conditionis vendere non potest. Aut si Mævius legitime in Titium alienavit, Titius sine Senioris consensu alienare prohibetur. Obtenta venia alienandi feudum Sabinianum, non potest cornelianum distrahere, & viciſſim, nisi connexio reperiatur. Aut si Dominus consensit, ut feudum pignori daretur, vel consensit in sortem, quæsitum est, an *in usuras* consensisse videatur? Et quidem si contractus est bonæ fidei in accessoria, & usuras consensisse dicitur, quia in bonæ fidei judiciis tantum potest officium Judicis, quantum stipulatio *l. 24. D. depositi.*, & proinde usura est de natura hujus contractus, cui si consensus accedit, ipse illius actus naturam sequitur; & quamvis consensus sit stricti juris, tamen in expressis est gratia, & latissime interpretanda; atque expressa non tantum dicuntur, quæ verbis expressa sunt, sed & quæ ex natura negotii descendant, Pistor. *lib. 11. q. 49. n. 19.*, Camer. *in 11. f. 55. p. 59.*, Rothius *loc. cit. cap. XIX. q. 13.* Si vero contractus est stricti juris, & Dominus consensit, ad usuras non obligatur; quia in hoc contractu *usuræ* non ex natura actus, sed ex speciali stipulatione veniunt, & quod contrahens specialiter pactus est, Seniorem obligare non potest. Hodie cum ex mora, tanquam interesse damni emergentis, & lucri cessantis, in praxi, etiam in contractu stricti juris *usuræ* debeantur, seniorem ad usuras quoque obligari non dubitandum, Rothius *loc. cit.* Strykius *to. III. disput. XX. c. 3. n. 31.* Eadem rationis causa putatur, ea virtute comprehendendi, ut sæpe de uno ad alterum natura, vel arte proximum assensus extendatur; finge: feudum assensu Domini cum omnibus juribus, & pertinentiis vendidit, integroque ejus statu, fructus pendens, pensio, actio feudalis ad venditorem pertinet (a).

Præ-

(a) Ex his constat, regulam Ulpiani in *l. 21. D. de R. J.* a feu-

Præterea, præstito assensu, totum feudum alienandi, potest partem distrahere, modo feudum fuerit dividuum, quod sicut sine venia Senioris æqualiter, aut inæqualiter inter filios vasalli dividitur, multo magis consensu Senioris, potest, 11. *f.* 26. §. *omnes filii*, 55. §. *præterea ducatus*, quia ejus conditionem non lædit, imo plures vasallos adquirendo auget. Si vero fuerit individuum, ut Ducatus, Comitatus, Marchionatus, Baronia, tunc sub toto pars non continetur, nisi specialis consensus accedat, aut nisi consuetudo has regales dignitates dividuas declaraverit, ut in Lombardia, & nonnullis Galliæ, Italiæ, & Germaniæ locis servatur, Curt. *par. IV. n.* 122., Hannet. *lib.* III. *c.* 9. Zasi. *par. IX. in fin.* Camer. *in* 11. *f.* 55. *p.* 47.

§. XLI.

In effectibus Dominici consensus, & clausulis.

IN omni negotiorum dispensatione, & privilegio perpetua intelligitur clausula, *salvo jure alieno l.* 2. §. 16. *D. Ne quid in loco publ. l.* 40. *D. de admin. tut.* Alienatio feudorum legitime pe-

a feudis exulare, quæ inquit, *non debet, cui plus licet, quod minus est, non licere, & cap. cui licet* 53. *de R. J. in VI.* Finge, creditor debitori pignus donare permisit, igitur etiam vendere potest. Patri licuit occidere filium, ergo etiam exheredare. Si quis adulterum occidere, multo magis injuria afficere potest. Si S. Pontifex spurios ad actus spirituales legitimare valet, magis ad Seculares, quæ Innocentii III. philosophia fuit, *in cap.* XIII. *qui filii sint legi*. Sæpius tamen qui potest majus, non potest minus, ut Præses habet jus gladii, & tamen deportare, vel confiscare prohibetur, quia primum a lege ei datum est, secundum lex non concessit. Et quæ sunt meri imperii argumentum a majori ad minus negligunt, *l.* 6. §. 1. *D. de interdict. & releg.* conf. Cujac. *ad d. l.* 21. Proinde si vasallus consensum vendendi impetravit, permutare non poterit. Cum aliud sit vendere, aliud permutare *l.* 1. *D. de Rer. permut.* obtinuit licentiam donandi, vendere prohibetur. Consensum habet ad vendendum, sine novo consensu hypothecæ dare non potest. Nam oppignoratione gravior Senioris causa evaderet, cum, devoluto feudo, debita solvere teneretur. Nec aliud erit, si consensum ad hypothecandum habuit, libere vasallus vendere non poterit, ne invito Seniori alius vasallus obtrudatur, Strykius *to.* III. *disput.* XX. *c.* 3. *n.* 15.

Digitized by Google

tacta vel jura Senioris, vel filiorum vasalli, vel agnatorum laedat, parest; igitur si obtinetur, ea offendere non debet, Pistor. *lib. 11. q. 20. ex Conf. Modestin. n. 16.*, Andr. *in 11. f. 55. n. 14.* Sed de jure agnatorum, & filiorum infra agam.

Dum itaque Dominus consensit, sibi præjudicare non præsumitur, sive clausulam *juribus Curiæ & nostris semper salvis*, sive non, adiiciat, quia suo consensu non vasallagium amittere intendit, sed tollere impedimentum, quod clientelam alienare vetabat. Et idcirco emptor iisdem conditionibus, pactis, & natura feudum sibi venditum recipere debet, eundemque Dominum recognoscere cogitur; nec opus est servitia, aut fidelitatem reservari. Verum de servitiis distinguendum: quædam feudo, & fidelitati inhærent, & hæc, etsi nihil dictum sit, in emptorem etiam transeunt, ut in feudo gastaldiæ, guardiæ, advocatiæ, & similium constat *arg. 11. f. 3. in fin.* Si servitia sint a feudo, & fidelitate extranea, non transferuntur, Camer. *in 11. f. 55. p. 75.*, Scrad. *par. VIII. c. 4. n. 28.* Jac. a S. Georg. §. *& cum pacto de non alieniando.*

Sæpius tamen clausula, *salvo jure meo*, Seniori nocet, si nempe in oppignoratione feudi consensit, quod si ad ipsum devolvitur, debitis, aliisve oneribus satisfacere debet, quia pignus semel legitime in prædio feudali constitutum semper durat, donec debitor satisfecerit, feudumque adeo afficit, ut quemcumque possessorem sequatur. Nec Senioris voluntas assensiendo ab hujusmodi onere absuit, sed tacite, aperto feudo, consensisse præsumitur, Pistor *lib. 11. q. 48. n. 22.* Andr. *in 11. f. 8. n. 5.* Rothius *loc. cit. cap. XIX. q. 15.* Quis obsistit: Senior dum consensit, noluit juri *suo renunciare*, sed ut pignus valeret, ut contractum confirmaret, quæ confirmatio nihil novi juris parit. Respondeo: Finis consensus duo hic continet; ut contractus valeat, & ut reali onere feudum afficiat, si onus solvere nollet, sibi contradiceret, quia res transit cum onere suo, quod tacita voluntate consensiendo suscepit. Nobis adstipulatur Rolent. *cap. IX. 1. 18. n. 4.* sed excipit, si consensus clausulam, *salvo jure meo*, habeat. Non placet: nam hæc non refertur ad id, de quo specialiter est dispositum, nec deroget iis, quæ ex natura contractus fluunt, sed spectat ad ea, quæ servitia, obsequia, aliave feudi onera respiciunt, Pistor. *loc. cit. n. 32.*, Struv. *f. j. f. cap. XIII. 7. n. 9.* Non raro consensus ad certum tempus, puta quinquennium præstatur, tunc, eo elapso, Senior *non* tenetur, quia jus pignoris extinctum est, Rolent. *cap. IX. 18. n. 12.* Denique sive adsit clausula, sive absit, obligatur, aperto feudo,

Do-

Dominus, si bona allodialia deficiant, Scrad. *par. VII. c.* [illegible] (a).

Præterea in investitura, aut initio consensus apponi [illegible] fulæ, quæ liberam alienandi facultatem vasallo contribuunt; nempe si feudum Mævius accepit, ut *alienare possit*, non est opus novo consensu 11. *f.* 48. Thom. de Marin. *de Gen. feud. tit.* 31. *in fin.* Jac. a S. Georg. §. *ita etiam quod ipsi n.* 1. Scrad. *par. VIII. c.* 2. *n.* 57. Nec hoc pactum personale, sed reale censetur, quia omne pactum semel contractui appositum, semper durat, nisi aliter constet *l.* 23. *D. de R. J.* Aut *do tibi feudum, & cui dederis*, alienat sine Senioris assensu, sive inter vivos, sive causa mortis disponere velit; qua facultate si ipse uti nolit, heredes ejus feudales etiam alienare possunt. His duabus clausulis licet vasallus alienare, ut libet, valet, tamen in fœminas, aliosve a feudis expulsos alienare prohibetur, nec in Collegium, Universitatem, aut Ecclesiam transferre potest, quia hæc facultas in uno feudi naturam immutat, videlicet alienari sine Senioris consensu, in ceteris illæsam conservat. Etenim si in uno sibi nocet Dominus, in altero sibi nocuisse non præsumitur, Andr. *in* 11. *f.* 55. *n.* 9. Thom. de Marin. *de Gener. feud. tit.* 31. *n.* 13. Garzonius *tract. de fœminis ad feuda recip. limit.* 20. recte transfert in extraneos mares, qui facilius admittuntur.

At quæsitum est, an feudum penes emptorem alienatum jure feudi, an allodii possideatur? Feudista in 11. *f.* 26. §. *feudum*, inquit, *ea lege datum ut ipse, & heredes sui masculi, & fœminæ, & cui dederit, habeant: iisdem culpis amittitur, quibus & aliud feudum. Quod si vasallus alienavit, feudum esse desinit apud emptorem. Et in* 11. *f.* 48. *Si quis ea lege alicui feudum dederit: ut ipse, & sui heredes, & cui ipse dederit, habeant: Respondeo, iste, qui sic accepit, poterit id vendere, vel donare: vel aliter, si sibi placuerit, etiam sine voluntate Domini alienare, & ille etiam cui datum fuerit, non habebit ipsum pro feudo, nisi sicut ei datum est. Sed qualitercumque ei datum fuerit, sive ad proprium, sive ad libellum: licet propriam feudi naturam non habeant jure tamen feudi censebitur: ut ex his culpis ipsum amittat, quibus &*

(a) Strykius *tom.* III. *disput.* XX. *c.* 4. *n.* 17. *& seqq.* inquit, effectum hujus clausulæ esse, *ut si creditor consensu Domini munitam hypothecam habens, possessionem feudi fuerit nactus, non possit declinare servitia feudalia, multo minus possit dominium Principis directum in dubium vocare, aut aliis oneribus, quibus alias obstrictus erat, se subtrahere.* Nec Dominus in hypothecam consentiens contestari valet, ne creditori satisfiat, cum hæc contestatio facto repugnet.

Digitized by Google

verum feudum. Ubi ergo ſic datum eſt feudum, & cui in feudum dederis aliud eſt: & propriam feudi naturam habet.

Et his duabus clientelarum legibus Interpretes propugnant: quid ſentio, exponam. In prima pacti ſpecie, ſi vaſallus, ſuique heredes, tam mares, quam fœminæ hac lege inveſtiantur, *ut ipſi habeant, & cui dederint*, apud eos feudum cenſetur proprium, & iiſdem culpis, quibus alia feuda, amittitur, quamvis ſine Domini conſenſu alienare poſſit, & emptor illud tanquam allodium, non clientelam recipit. Quomodo? Alver., Ravenna, & Andr. hic, quia emptor tam a Domino, quam a vaſallo cauſſam recognoſcit. A Domino, qui alienandi poteſtatem dedit; a vaſallo, qui in eum potius, quam alterum alienavit; & tantum clauſula *cui dederit*, valet, Thom. de Marin. *loc. cit. n. 7.*, Sonsbec. *par. V. n. 8.*. Non recte Cujac. *lib. IV. f. 25.* contra ſenſit, dum aſſeruit apud emptorem etſi jure feudi poſſideri, tamen iiſdem culpis amittit, quibus alii vaſalli amittunt. Decipitur Cujac. ex *d. 11. f. 48.*, cujus mentem Roſentalius *cap. IX. 1. 41. n. 20.* aliique intellexiſſe mihi videntur, videlicet ſive ad libellum, ſive ad proprium feudum vaſallus alienaverit, licet proprium feudi naturam non habeat, jure tamen feudi cenſebitur, & ex iiſdem culpis, *quibus verum* feudum emptor amittit; atque ita *d. §. feudum* ab hac ſpecie differt. Sic feuda Luſatiæ nobilibus conceſſa vivunt, modo alienatio in nobilem Luſatum, hoc eſt parem Curiæ celebretur, Rothius *loc. cit. cap. IV. q. 53.* Fatendum, hos textus a mente Senioris, & natura feudi plurimum recedere, idcirco æquitas a ſitu ſuo removere non debeat, nec ad alios extendere caſus, & potius clauſulam *cui dederis* interpretamur, ut penes emtorem etiam jure feudi remaneat, quum plus dictum, minus ſcriptum exiſtimetur, & proinde Senior dicere vellet, *do tibi feudum, ut tu, tui heredes, & cui dederis, habeant*, hoc eſt omnes, interrupto, & jure eodem, teneant. Conſenſus enim Domini eſt ſtricti juris, & ſi in uno feudi naturam immutat, in ceteris incolumem conſervare contendit.

Clauſula quoque *concedo tibi, & quibuſcumque heredibus tuis*, aut *ſucceſſoribus quibuſcumque*, a veteribus diſputabatur, an legare & inſtituere extraneos, vel inter vivos alienare poſſet. Placet opinio Jacobi a S. Georg. §. *& quibuſcumque n. 1. & 2.* Thom. de Marin. *loc. cit. n. 11.* de iis perſonis intelligi, quæ ad ſuccedendum idoneæ in feudo reperiuntur. Nam vox *heres* in re feudali deſcendentes mares tantum comprehendit, *11. f. 34. §. profecto*, nec vox *quibuſcumque* obſtitur, quia ad rem, de qua agitur coarctanda; nam verba ſequuntur naturam contractus, quibus interpo-

nabitur l. 4. D. *de usur.* Aut *concedo tibi, & tui in feudum descendentibus*, vasallus non alio jure, quam feudi alienare potest, ad ipsum de propria feudi natura, excepta alienatione, admittur, vid. supra. Cave a communi Interpretum sensu, qui vasallo feudi francheram sine Senioris consensu facultatem permittunt. Nam libertas servitii non continet libertatem alienationis, & si in uno clientelæ natura immutatur, in ceteris salva remanere præsumitur, Serad. *par. VII. c. 2. n. 41.* Vultej. *lib. II. c. 10. n. 93.* Aut *do tibi ad habendum, & faciendum quicquid volueris*, Rolent. *cap. IX. l. 42. n. 5.* Denique consensus Senioris initio investituræ appositus, ipsi, & vasalli agnatis præjudicat, consensus vero post actam investituram præstitus Seniori, non agnatis nocet; quia in priori casu agnatis nullum jus quæsitum est, in secundo quæsitum, quo injusta non spoliandi, ut infra dicam.

Effectum domini consentientis in feudi obligationem explicat Stryk. *to. III. disput. XX. c. 4. n. 9. quod in casu aperturæ feudi, deficientibus liberis, & agnatis defuncti vasalli, teneatur dominus hypothecam in feudo constitutam, & ejus consensu munitam, non tantum agnoscere, sed etiam debitum cum usuris, & omni interesse solvere. Cum enim pignus semel legitime in feudo sit constitutum, hinc res ita pignore affecta ad Dominum venit, & creditori ex jure in re legitime constituto competit, si pignus possideat, jus retinendi, ei distrahendi, eum dominus in pignus consentiens, simul etiam in distractionem ex pignoris jure fluentem consenserit, adeoque hoc casu aut solvere, aut distractionem concedere obstringitur; sin vero non possideat, actione hypothecaria contra dominum potest experiri.* Et in fine *lib. IV.* dicam.

§. XLII.

De feudorum refutatione.

QUoniam feudorum alienatio duplici modo contingit, consensu hominis, & consensu, seu auctoritate legis. De primo actum est, superest secundus uti est refutatio, & subinfeudatio, sed subinfeudationem nuper enucleavimus. Refutatio quamvis alienationis species sit, tamen permittitur II. *f.* 44., II. *f.* 38., II. *f.* 14., II. *f.* 49., I. *f.* 5. §. *rursus si fidelis*, II. *f.* 39., Hotom. *disput.* 38. Gudelin. de feud. *par. IV. c. 2. n. 11.* Refutare in jure feudali idem est, ac renunciare, describitur *feudi cessio Seniori, aut agnatis ad tempus, vel perpetuo, pure, vel conditionaliter facta.* Quæritur, cur vasallus hac fruatur

tur poteſtate? ratio dubitationis eſt, quia nihil tam naturale reperitur eodem modo aliquid diſſolvi, quo colligatum eſt: obligatio clientelaris a mutuo Senioris, & vaſalli conſenſu conſtituitur, igitur ut vaſallus ſe ab ea ſe eximat, Senioris conſenſus requiratur oportet. Reſpondeo, obligatio vaſalli eſt relata ad rem, ſeu feudum, deficiente feudo, etiam obligatio perit, Rothius *loc. cit. cap. XIX. q.* 20. Fateor in jure feudale id ſpeciale exiſtimari, quum contractus ſemel perfectus voluntate unius ex contrahentibus non reſcindatur *l.* 5. *C. de O. & A.*

Refutatio duplex eſt, *coacta*, & *voluntaria*: coactam appello, ſi vaſallus vindicandæ injuriæ cauſſa, aut alteri domino ſerviendi cupiditate motus fidelitatem, hominium, & feudum ſeniori renunciat. De hac feudalis Italiæ conſuetudo non meminit, ſed Oberto, & Gerardo, aliiſque feudalium morum Auctoribus ignotam fuiſſe affirmare non audeo. Moribus in Populis mediæ ætatis invaluit, ut ſi vaſallus Seniori, a quo feudum tenebat, ſervire domi, militiæque nollet, ſed potius alteri clientelaria obſequia præſtare mallet, *feudum* antiquiori Domino reſtituebat. Rodericus Toletan. *lib. VII. de Reb. Hiſpan. c.* 33. exemplum exhibet, *His igitur conſumatis, Didacus Lupi Biſtagiæ Dominus, qui inter omnes magnates Hiſpaniæ præcipuus habebatur, a voluntate Regis nobilis familiari diſcidio diſcordavit. Unde feuda, quæ tenebat, reſtituens, ad Regem ſe tranſtulit Navarronum, indeque bellis, & incurſionibus frequentes inſiſtens, damna plurima intulit Caſtellanis.*

Aut ſi vaſallus a ſeniore injuriam accepiſſet, nec ad bellum, vel monomachium provocare poterat, niſi prius feudo, atque hominio renunciaſſet. Secus prolatæ in eum contumeliæ reus æſtimabatur. Sic Eduardo I. Angliæ Regi, Scotia in qua feudalem conditionem vindicabat, cladibus, & bellis impetita, Joannes Scotiæ Rex hominium ſimul cum ſuis Vaſallis renunciavit. Ut ex epiſtola ejuldem Joannis ad Eduardum conſtat, quam Nicolaus Trivettus in *Chron. ad an.* 1296. refert, *Nos dictas injurias, contemptus, & gravamina, & damna, nec non & hoſtiles impugnationes alterius ſuſtinere non valentes, nec in fedelitate, & homagio veſtro licet, per violentam impreſſionem extortis manendo, contra vos, & ad detenſionem noſtram, & Regni noſtri, cujus defenſioni, & tuitioni vinculo juramenti ſumus adſtricti, nos volentes erigere, fidelitatem & homagium, tam a nobis, quam ab aliis quibuſcumque Regni noſtri incolis fidelibus noſtris, ratione terrarum, quas in noſtro Regno tenebant, & etiam ratione menagii, ſeu retentionis noſtræ, nomine noſtro, ac nomine eorundem omnium & ſingulorum vobis reddimus per præſentes.* Ex univerſali clientelarium lege vaſal-

vallus dominum ad monomachiam legibus in Europa [illegible], vel ad bellum lacessere, vel in judiciis de quovis crimine [illegible], non poterat, priusquam suum *homagium* reddidisset, quod [illegible], hoc est *remittere* dicebant, Hac formula, *domine, diu in [illegible] homagio perstiti, & hæc prædia, Civitatem, Oppida, aut jura in feudum a te tenui, nunc eisdem, homagio, & fidei renuncio, quia in me injuriam commisisti, vindictam peto.* Const. Dusrein: *in Gloss. v. ligeitas.*

Voluntaria est, si Vasallus Seniori volenti, aut invito feudum refutat, & infeudationis signum, seu insigne, quod tempore investituræ accepit, restitut & *donum* investituræ *in* 11. *f.* 27. §. *si duo homines* dicitur, Hotom. *loc. cit.*, modo hæc abdicatio celebretur *tempestive*, secus si *intempestive* fiat (*a*). Nempe tempore belli, dum vasallus servire in procinctu deberet, tunc Senior recte refutationem repudiat. Nec distinguitur, an feudum sit novum, an antiquum, Sonsbec. *par. XII. n.* 117., Vultej. *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 130. Dumtaxat, si feudum est novum, quin filii, aut agnati refutantis consensiant, refutatio valet, nisi pater contemplatione filiorum adquisiverit, quia contemplatio Senioris jus quæsitum filiis vasalli præbet, quod sine eorum voluntate amittere non coguntur, Andr. *in* 11. *f.* 39. *n.* 7. ibi Alver. *n.* 8., Sonsbec. *par. XII. n.* 121. Wesenbec. *cap. XI. n.* 17. *& ex l. fin. C. de impub. & aliis*, eruitur.

Feudum autem antiquum sine filiorum, vel agnatorum voluntate refutari non potest, 11. *f.* 39. ut infra dicam, Vultej. *loc. cit. n.* 131. Aut refutat suis descendentibus, sive feudum fue-

(a) Dum Senior investituram concedebat, symbolum aliquod, vel vexillum, vel baculus, vel clypeus adhiberi solebat, & hoc Fridericus in 11. *f.* 27. *donum* investituræ dicit, sicut Cujacius putat. Ego præter hanc symbolicam traditionem etiam litteras *reversales* intelligo, quas vasallus initio investituræ accipiebat ut consuetudo undique in Europa tunc etiam recepta suadet. Gesta Balduini Archiepiscopi Trevirensis apud Reuberum *to.* 11. *Veter. Scriptor. lib.* 111. *c.* 8. *an.* 1342. *Eodem anno Comes Barensis a Domino Baldewino homagium, & feodum juramento innovatum acceptavit, & super eo duplicia munimina litterarum præbuit. Et cap.* 10. *an.* 1343. *eodem anno Fredericus Comes silvester tertia die Septembris recognovit, quod castrum Ironecke, districtum Marcha dictum cum appenditiis de Talevancke teneat ab ecclesia Trevirensi in feodum, & super eo duplicia tradidit munimina litterarum.* Dum Vasallus refutabat, symbola investituræ, & litteras reversales restituebat.

fuerit antiquum, sive novum, consensu Senioris non indiget, quia etiam sine refutatione succedebant, modo refutatio proximioribus, aut agnatis, aut filiis fiat, eosque Dominus investire cogitur. Nam licet II. *f.* 39. alienationem, sive refutationem in agnatos permittat, nec an proximiores, an remotiores sint, distinguat. Attamen II. *f.* 26. §. *itius filios* hac conditione admittit, ut in remotiorem refutatio valeat sine Domini, & agnatorum consensu, sed *revocabiliter*, hoc est, mortuo refutante, revocare merito possit, quia in investitura comprehensis jus ordine successionis est quæsitum, & jus anterius posteriori extingui, aut lædi prohibetur, Hotom. *disput. feud. cap.* 38., Pistor. *lib.* II. *q.* 6. *n.* 19. & 20. Jac. a S. Georg. §. & *cum pacto de non alienando n.* 32. Aut denique refutatio fit in extraneum, & tunc est vera alienatio, qua sine consensu Domini peracta, vasallus feudum amittit, etiamsi in agnatos, sive proximiores, sive remotiores, qui a feudo novo repelluntur, contingat. Omnis extraneus ille est, quem investituea non comprehendit, & ad clientelam non invitavit, Camer. *in* II. *f.* 55. *p.* 25. 33. Hinc feudum novum agnatum, vel proximiorem, vel remotiorem refutari non potest, cum in eo jus feudale tanquam extraneum consideret, Borcholt. *de feudis c.* VIII. *n.* 57. Denique omnis refutatio nunquam feudi naturam, pacta, conditiones, onera, servita aut augere, aut minuere, aut tollere potest, sed iisdem qualitatibus in legitimas personas transmitti permittitur.

TITULUS XXX.

De clientelaris alienationis revocatione.

§. XLIII.

De jure Retractus.

UNiversa feudorum revocatio quinque dumtaxat modis contingere potest, *vel vivo alienatore*, *vel post mortem*, *vel ab agnatis*, *vel a filiis vasalli*, *vel a Domino*, ob illud jus, quod unusquisque in feudo adquisivit. Jus Retractus est *facultas rescindendi venditionem impletam*, & Rothius *in pand. feud. cap.* XX. *q.* 2. a jure protimeseos differre, inquit, quia jus προτιμησις est *facultas impediendi venditionem non dum impletam*, & utens idem offerat pretium, quod extraneus solvere promisit; nam jus protimeseos latine vertitur jus prælationis, quod etiam *jus congrui* vocatur. Vel ut definit Sam. Stryki. *to. IX. disput.* 26. *c.* 1. *n.* 24.

Fa-

Facultas jure competens consanguineo venditoris ad rem immobilem, vel quæ rei immobili comparatur venditam, aut æquali modo alienatam, eodem pretio, iisdemque conditionibus intra certum tempus redimendi. Latina vox est, & aptior, ut contractus a contrahendo, detractus a distrahendo, ita retractus a retrahendo derivat, sic Paul. *in l.* 45. §. 3. *D. de jure fisc.* scribit, libertatem in fraudem fisci datam, *retrabi*, hoc est revocari, & Javolenus *in l.* 19. *D. de usurpat. retroactam venditionem* dixit, & Antoninus, & Verus *in l. fin.* §. 2. *D. de Admin. rer. ad civ. pert.* rescripserunt, Curatori Reipublicæ incumbere agros Civitatis *retrahere*, licet a bonæ fidei emptoribus possideantur, Curt. conject. *lib.* 11. *c.* 15., Strykic. *loc. cit.*

Origo hujus facultatis a lege Mosis dependet, *Levit. cap. XXV. v.* 23. *Terra quoque non vendetur in perpetuum: quia mea est, & vos advenæ, & coloni mei estis. Unde cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur. Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam, & voluerit propinquus ejus, potest redimere, quod ille vendiderat. Sin autem non habuerit proximum, & ipse pretium ad redimendum potuerit invenire. Computabuntur fructus ex eo tempore, quo vendidit & quod reliquum est, reddet emptori, sicque recipiat possessionem suam. Quod si non invenerit manus ejus, ut reddat pretium, habebit emptor quod emerat, usque ad annum jubilæum. In ipso enim omnis venditio redibit ad Dominum, & ad possessorem pristinum. Qui vendiderit domum intra urbis muros, habebit licentiam redimendi, donec unus impleatur annus. Si non redemerit, & anni circulus fuerit evolutus, emptor possidebit eam, & posteri ejus in perpetuum, & redimi non poterit, etiam in jubilæo. Si autem in villa fuerit domus; quæ muros non habet, agrorum jure vendetur. Si ante redemta non fuerit, in jubilæo revertetur ad Dominum. Aedes Levitarum, quæ in urbibus sunt, semper possunt redimi. Si redemptæ non fuerint, in jubilæo revertentur ad Dominos, quia domus urbium Levitarum pro possessionibus sunt inter filios Israel. Suburbana autem eorum non veneant, quia possessio sempiterna est.*

Divinus Legislator universam agrariam legem his verbis complexus est, & primo Deus perpetuam in terra promissionis emphyteusim sibi constituit, directumque dominium reservavit, atque Israelitas conductores esse declaravit, idcirco eam in *perpetuum* hoc est in *proprietatem*, ut Hebræus, Syrus, Arabus, & Chaldæus vertunt, aut Samaritanus *absolute*, vel ut LXX. in βεβαιωσιν, seu *confirmationem*, id est ne emptori perpetuo addicatur, prohibuit, quia Deus est Dominus terræ, & Dominus conditiones in sui

Digitized by Google

juris translatione opponit, quas existimat. Si itaque Deus sibi dominium reservavit, Hebræi suos agros in perpetuum vendere non poterant, sed tantum quasi elocari, seu in emphyteusim dari usque ad an. 50. qui erat jubilæus; imo neque ad illum usque annum nisi sub redemptionis conditione vendi poterant, hoc est ut quovis tempore redimi vel ab eo, qui vendiderat, vel ab ejus propinquo. Anno itaque jubilæi omnes possessiones ad pristinos Dominos redibant, ut eruditissimus hebraicæ legis splendor R. Maimon *tract. de juribus anni septimi, & jubilæi cap. XI. §. 8. Si quis agrum suum alicui vendiderit & hic alteri, rursumque iste tertio, immo vel centesimo, in anno tamen jubilæo redibit ad pristinum Dominum*. Et Petrus Cunæus *lib. 1. de Republ. hebr. c. 2. Ea fuit lex agraria, quæ vetuit, ne quis venditione, aut ullo contractu plenum dominium fundi sui transferret in alium. Nam & iis, qui egestate compulsi agrum vendidissent, redimendi jus quovis tempore concessit. Et ni redemptus esset, restitui eum gratis in jubilæi celebritate jussit*. Deinde ex auctoritate R. Maimonidis *subdit, omnes agri ad veteres Dominos redibant, etiamsi centies emptorem mutaverant. Nec eos excipit eruditissimus Scriptor, quos ex donatione acceperit aliquis. Nihilo enim magis retineri eos a possessore potuisse ait; atque hoc juris Thalmudici est: & rectissimum videtur*. Nam Maimon *loc. cit.* §. 10. scripserat, *qui dono cuipiam dederit agrum suum, recipit eum anno jubilæo*, & recte, ne fraus legi agrariæ fieret.

Quamvis possessiones usque ad annum jubilæi vendi poterant, tamen, tam venditor, quam ejus consanguineus ante hoc tempus redimere poterat, hoc est suo ære retrahere, Ruth. *cap. IV.* 4., Jerem. *cap. XXXII. v. 7. & 8., Ecce Hanameel filius Sellum patruelis tuus veniet ad te, dicens: Eme tibi agrum meum, qui est in Anathoth: tibi enim competit ex propinquitate, ut emas*, hoc est, ut ibi Grotius inquit, si vendidissem alii, ex *d. cap.* XXV. levitici, tibi jus redimendi competiisset, proinde ad evitandum hunc circuitum, tibi venalem agrum offero; quod in jure *brevi manu tradere* dicitur *l. 43. §. 1. D. de jure dot.*. Præter rationem superius relatam, duplex & occurrit, avaritia, atque artis pastoritiæ exercitatio: Avaritia, quia Reipublicæ interfuit, ne in possessiones optime positas, divisalque, paucorum avaritia irrumperet; & egentiorem quemque ditior aliquis pretio expellat, & paupertas in Republica nescitur, si cives avitis possessionibus nudati priscas fortunas votis expetunt. Quam avaritiam Romæ C. Licinius Stolo coercere intendit, dum jussit, ne quis amplius quam quingenta agri jugera possideret, sed ipse prius eludit, nec deinde obtinuit,

Val.

Digitized by Google

Val. Max. *lib.* VIII. *c.* 6. Atque hoc vitio possessiones de tribu in tribum, familia in familiam transibant, quod nunquam licuit, Clarius ad *d. cap.* 32. *Jerem. v.* 8. Pastoritiæ exercitatio; quia in Orientis populis quisque huic arti assidue vacabat, in qua virtutem, fertilitatem, totumque propemodum patrimonium collocabat. Recte Cunæus *loc. cit. cap.* III. *Summus Moses langueſcere civium animos, eorumque remitti virtutem noluit. Etenim tum de majoribus eorum illuſtriſſimus quiſque paſtoritiam vitam vixiſſet, atque in agris verſatus fuiſſet in aliquo opere faciundo, omnino omnium vitiorum, atque incommodorum una cautio fuit, atque una proviſio, uti ne poſteri aliquando ea ſtudia deſererent, quæ & multum homines locupletant, & principia habent eadem, quæ mundi ſunt: Sane vero nimis cito deſerta ea ſtudia, neglectaque fuiſſent, ſi lex omnia coemere omnibus, atque agros adiicere agris permiſiſſet. Ita enim fit plerumque, qui tot paſcua, tamque latos fundos ſine modo tenent, honeſtiſſimi laboris munia, aliis quæ committunt, obire ipſi faſtidiunt; & ut plurimum, qui operam illis locant, peregrini, ignotique coloni ſunt, & mancipia ære emta. Ipſa plebs civium aliena rura colere indocilis, ex agris intra muros correpit urbanas res ut uſurpet. Ibi in otium ſe transdit, corrumpiturque, & arte molli, atque illiberali inertem vitam tuetur.* Hinc nata est in Hebræorum theocratia redemptio, seu jus propinquitatis, Vatablus *ad d. c.* 32. *v.* 7. *Jerem.*, quod eleganter cum feudis Reyherus apud Majum in Notis R. Maimon. *loc. cit. cap.* XII. comparat, Reizius ad Godwinum in ~~*Moſe lib. III. cap. 10. in fin.*~~ Nec tantum his innititur rationibus, sed sua æquitate scatet. Etenim si ante jubilæum Dominus redimere vellet, tunc de pretio quod redimendum erat, tantum retineretur, quantum ex fructibus emptor percepisset; & melius lex agraria Hebræorum, quam Licinia agraria Romanorum avaritiam retundebat, Lamy *in apparat. Bibl. lib.* I. *c.* 5.

Prædiorum vero urbanorum ratio secus vivebat: nam si intra annum venditor non redimeret, amplius retrahere non poterat, R. Maimon *loc. cit. cap.* XII. §. 1. *vendens domum ſitam intra Civitatem muro cinctam, eam redimere quotannis poteſt, quandocumque voluerit, initium numerandi modo fiat a tempore, quo vendidit. Imo hoc ipſo, quo vendidit, repetere eam poteſt. Dum redemit integram, quam accepit pecuniæ ſummam reddit, nec emptori quicquam detrahit. Proximi cognati redimere non poſſunt, ſed ſolus venditor, ſi tantum argenti conſecutus fuerit, nam huic vendere de opibus & vindicare conceſſus eſt, non tamen ex mutuis; nec ex dimidia ſaltem parte redimere poteſt. Fatis functo emptore, redimitur*

a filio, & mortuo venditore facultatem filius nanciscitur vindicandi singulis XII. *mensibus elapsis*, &c. ibi Majus, nec anno jubilæi ad antiquum dominum revertebantur. Ratio differentiæ erat, quia prædia rustica censebantur propria cujusque tribus hereditas, & a Deo in divisione terræ promissionis donata, quam rationibus supra allatis confundi non expediebat. Sed prædia urbana, domus, suburbana pro libitu cujusque constructa erant, præsertim cum a diversis incolis & proselytis urbes habitarentur. Aedes Levitarum vero semper redimi poterant, aut si non redemtæ, anno jubilæi ad pristinum Dominum redibant, quia nihil fere Levitæ in terra promissionis exceperunt, & prædia urbana rusticorum conditionem assumere Deus sanxit, Tirin. *ad d. cap.* 25. *Levit. v.* 5. Nat. Alex. III. *H. V. I. disser.* XIV. Denique patet Cujacii error, qui *consult.* IX. Jus retractus juri Mosaico ignotum asseruit, cum illud apprime feudorum retractui, & consanguinitati respondeat.

Jure Romano jus redemptionis satis statutum erat. Et non statim, sed serius, & tempore Reipublicæ, atque Monarchiæ initio constanter latuisse affirmo, Tullius *Orat. pro Balbo cap.* XXV., inquit, *Crassum emisse de libertino homine, Soterico Marcio: ad Metellum pervenisse de Venonii Vindicii bonis non tenebat; simul illud nesciebat, prædiorum nullam esse gentem: Emtionibus ea solere sæpe ad alienos homines sæpe ad infimos, non legibus, tanquam tutelas, pervenire*, Altesser. *Rer. Aquitan. lib.* III. *c.* 18. (a) Postquam invaluit, Valentinian., Theodos. & Gratianus *an.* 391. *in l.* 14. *C. de contrab. empt.* abrogarunt, & placuit, ut si quis fundum venderet, proximis, hoc est consanguineis, vel consortibus venditoris, hoc est, cum quibus res vendita esset communis, extraneum emptorem removere non liceret, *ne* homines de rebus suis aliquid facere inviti cogerentur, & cuique, cui

(a) Juxta hanc juris disciplinam dixit Symmach. *lib.* IX. *Epist.* 27. *Opto quidem te in tantum copiis pecuniæ familiaris affluere ut possis opima prædia comparare. Sed mallem te sine amicorum noxa, atque injuria oculum, ac desiderium novis emptionibus admovere. Num ego Postumianensem rem jure optimo sine ulla mentione consortii tui ab antiquissimo possessore mercatus, nunc primum tua ammonitione convenior, ut prope jam inveterata possessione decedam. Cujus pretium non ejus mediocritatis, ut emisse delectet: adeo cum possim tibi legibus obviare, & desiderio ejus, cujus res aguntur, obsistere: Copiam tamen facio, ut, quod argenti dedimus venditori, id homini meo Euscio, cui summa comperta est, digneris expendere: si tamen præoptas nostra mercari quam tua nexu obligationis absolvere.*

Digitized by Google

cui vellet, bona vendere permitteretur, his verbis, *Dudum proximis, conſortibuſque conceſſum erat, ut extraneos ab emptione removerent, neque homines ſuo arbitratu vendenda diſtraberent. Sed quia gravis hæc videtur injuria, quæ inani honeſtatis colore velatur, ut homines de rebus ſuis, facere aliquid cogantur invioi, ſuperiore lege ceſſata, unuſquiſque ſuo arbitratu quærere vel probare poſſit emptorem.*

Remanſit tamen in quibuſdam caſibus, ut Impp. Leo, & Anthem. *in l. 1. C. non licer. habitator.* qui de convicanis loquuntur, nempe ſi habitator Metrocomiæ (quæ eſt caput vicorum) rem ſuam alienare voluerit, nemini, niſi illius vici habitatori vendat, ſecus venditio effectu carebit, atque ne hæc lex cum *d. l.* 14. pugnaret, Tribonianum in *d. l.* 14. illa verba adjeciſſe, *niſi lex ſpecialiter quaſdam perſonas hoc facere prohibuerit*, Cujac. *ad d. l.* 1., Wiſſenbac. *ad tit. D. de contrah. emp. diſput.* 36. *n.* 2. & Raguell. *ad l. ult. C. de jure emphyt.* exiſtimant.

Verum quamvis cuique de re ſua diſponendi facultatem conceſſiſſent, ne dominiorum naturam lædere viderentur, tamen adeo in paternas, atque avitas poſſeſſiones affectione rapiebantur, ut majorum prædiis, laribus, focis, & ſepulchris carere nunquam permitterent *l.* 35. *D. de Minor. l.* 1. §. 15. *D. ſi quis in fraud. patr.* Quintil. *declam.* 298. *ducimus quendam adverſus ipſas terras conſuetudine affectum. Non vendes tu agellum meum: non paternos, avitoſque cineres, & oſſa alicui pretio cænæ unius addices.* Hinc prædia paterna, avitaque abalienare propemodum ignominiæ, diſtracta recuperare laus æſtimabatur, Sidon. Apollin. *lib.* III. *epiſt.* 5., ubi Donidius Eborolacenſis prædium a ſe inconſulto alienatum redimere Majorum recordatione conatur, *Eborolacenſis prædii etiam ante barbaros deſolatam medietatem, quæ domus patritiæ jura modo reſpicit, ſuffragio veſtro juri ſuo optat adjungi. Neque ad hanc nundinationem ſtimulo cupiditatis, ſed reſpectu avitæ recordationis adducitur. Siquidem fundi ipſius integritas familiæ ſuæ dominium uſque in obitum vitrici nuper vita decedentis, aſpexit. Nunc autem vir alieni non appetens, ſui parcus, poſſeſſionis antiquæ a ſe alienatæ, non tam damno angitur, quam pudore, quam ut redimere conetur, non avaritiæ vitio, ſed verecundiæ neceſſitate compellitur. Tribuere dignare votis ſuis, precibus meis, tuis, ut ad ſoliditatem juris iſtius, te patrocinante, perveniat moribus cui rem parentum, ſibique non ſolum notam, verum etiam inter lactantis infantiæ, rudimenta reptatam, ſicut recepiſſe parum fructuoſam ſic non emeruiſſe nimis videtur ignaum.* Et *lib.* III. *ep.* 3. paternas ceſpites redimere *charitatis incitamenta* appellat.

Et

Et Lege Roscia Decoctores in XIV. ordinibus sedere vetabantur, Cicer. *in Philip.* 2. A Cassio & Brutus apud eundem Cicero. *lib.* 11. *de Orat.* reprehenditur, quod bona majorum, atque avita mancipasset, & dissipasset. Et ruta cæsa quoque vendidisset, imo & *solium paternum*, quod Cujac. ad *l.* 66. §. *quintus D. de contrab. emp.* interpretatur *sellam*, in qua Jurisconsulti sedentes respondebant. Et recte Quintilian. *declam.* 337. inquit, *Penates istos, in quibus natus sum, qui mihi cottidiana imagine adhuc versantur ante oculos, istos penates in quibus sacri aliquid esse credimus, amisi.* Semper enim paternum, avitumque jus prædiatorium, lares, domosque integras conservare Veteribus religio fuit *l.* 35. *D. de Minor. l.* 22. *C. de admin. tut.* Hinc clausula, cujus frequenter in Jctis mentio occurrit, legatis, fideicommissis, & donationibus apposita, *ne prædia de familia exeant l.* 114. §. 15. *D. de leg.* 1. *l.* 69. §. 3., *l.* 77. §. 11. 15., 27. & 28. *D. de leg.* 2., & passim, cujus origo fuit, ut familiæ splendor bonis perduraret, & propter naturalem affectionem, quam quisque majorum bonis exhibet. Qua de re Magistratus, qui in provincia jus dicebat, ibi prædia emere non poterat, præterquam si paterna ejus a Fisco *distraherentur l.* 62. *D. de contrab. emp.* Ex qua communi hominum affectione erga Gentilitia prædia jus προτιμήσεως & προτιμεω, hoc est *præfero*, descendit, quod pluribus Europæ populis jus *recomparationis*, *anteriorationis*, *præsentationis* & *congrui* nuncupatur.

Antiquum jus, quod ante *d. l.* 14. obtinuerat, primum in Oriente restituit Romanus Lecapenus, qui *an.* 919. primum Cæsar, deinde Augustus regnavit, in Const. quam Cujac. *to.* 11. *in fin.* græcam ex Harmenopulo sumptam perscribit, & Latio Fabrottus apud Cujac. *loc. cit.* initio donavit. In ea Sanxit, jus protimeseos primum ad consortes, veluti fratres, qui paterna prædia possident: post cognatos consortes, ad socios: deinde ad eos, qui rem communem citra societatem habent, sive cognati, sive exteri fuerint, ut coheredes, & collegatari: postea ad eos, qui communi census vinculo tenentur, hoc est eidem Domino canonem pensitant, licet in diverso loco censum persolvant: Postremo ad vicinos, & confines pertinere. Antequam venditio fiat, denunciandi sunt, de qua subdit Lecapenus, *denunciatio rursum fiat, ut intra dies* XXX. *justum pretium, quodque haud segniter verus emptor esset præstiturus, ipsis sine ulla mora solventibus pro rata ipsimet inter se se id distribuant, vel alicujus opera, atque arbitratu id fiat. Qui autem statuto tempore sibi delatam pretii partem non præstiterint, jure prælationis cadent; nisi quis eorum captivus fuerit, deportatus, aut relegatus, aut ad publica privataque negotia*

Digitized by Google

tia sine dolo abfuerit, vel ætatis annum XXV. nondum expleverit. Horum enim, qui administranda negotia susceperunt, intra quatuor menses cum præsentibus novis emtoribus pro rata parte concurrunt, pretium justum explentes una cum legitimis usuris ac necessariis sumptibus. Denunciatis igitur Procuratoribus quatuor menses dantur, non denunciatis decennium, neque hoc jus tacito consensu amittitur, sed expresso opus est.

In Occidente primum Fridericus I. restituit, uti eruditis præcipue Strykio, non 11. placet, & legem Lecapeni retinuit, in Constit. *Sancimus*, quam Cujac. *loc. cit.* refert, nempe jus hoc primo consanguineis venditoris concessit: & qui gradu proximior est, præferatur, sive masculus, sive fœmina fuerit, inquit Wissenbac. *disput. 36. Digest. n. 6.*, sed rectius Perez. *ad tit. C. de pactis inter empt. n. 26.* eam excludit, quia hæc in aliam familiam transit, nec sunt ejus liberi in familia, a qua ipsa venit *l. 195. & 196. D. de V. S.* nisi consuetudo dissensiat. Filius an retrahat? dicam, si res sit a majoribus possessa, retrahit, aut ut alii distinguunt, si heres patri non extiterit, secus si heres extiterit, tunc retrahere nequit, quia factum, hoc est venditionem patris defuncti servare tenetur, *l. 14. C. de R. V. l. 3. C. de reb. alien. non alien.* Perez *loc. cit. n. 24.* Wissenbac. *loc. cit. n. 4.* excluditur filius adoptivus, naturalis, nothus, qui de alienatoris familia non sunt. Deficientibus consanguineis, coheredes, socii, vicini, confines vocantur, omnes tamen qui retractu gaudere velint, pretium, & impensas necessarias refundere debent, oblatumque oblatum pretium, rem simul cum accessione, fructibusque pendentibus restituere tenetur. Actio retractus intra XXX. dies exercenda, post eos expirat, nisi legitime fuerit detentus, nempe captivus, deportatus, in exilium missus, absens causa Reipublicæ, vel propria, minor XXV. Si reliquerint tutores, curatores, vel procuratores, isti intra quatuor menses venire debent; si non venerint, damnum resarcire compelluntur. Neque jus hoc in dote, donatione propter nuptias, simplici donatione, testamento, permutatione, transactione admittitur, nisi simulatio, & fraus probetur, secus fiscus vendere potest illis, qui jus hujusmodi habent; unde in sola venditione Imp. procedere voluit, etsi in emphyteusi, & ad longum tempus locatione constituisse videatur. Ab hoc jure eos, qui venditori atroces injurias, vel manus impias, vel gravem bonis suis jacturam intulerint, vel insidias in ejus vitam moliti sunt, Viam publicam, Ecclesiam, & Curiam excludit. Denique transacto decennio, *sine denunciatione, nulla de cetero moveatur controversia illi qui possident ex aliquo contractu, vel ex donatione, vel ex testamento,*

to, ab illis, qui habent jus Προτιμήσεως, *vel etiam fisco.*

Jure Canonico Greg. IX. *in cap.* VIII. *de in Integr. rest.*, quo secundum Parrosinensem, seu Parenensem consuetudinem proximiorum intra annum, & diem jus protimeseos exercendum concedit, ut fundos venditos retrahere potest. Imo ante Friderici I. constitutionem vetustissimo Germaniæ jure diligenter hæc prælatio servabatur, qua nemo sine propinquorum consensu extra familiam avitos fundos alienare poterat, secus proximi heredes jus retractus exercebant. Hinc Heinec. *Elem. jur. Germ. lib.* II. *tit.* 14. §. 404., Cujac. II. f. 4. communi errore II. Fridericum auctorem, putat, sed recte, nihil nisi purum putum jus Germaniæ complecti scribit (*a*). Equidem in sua Constitutione ad legem Lecapeni, & vetus jus Germaniæ Fridericum respexisse non dubito, atque hodie ubi recepta, servatur, Altesser. *loc. cit.*. Etenim hodie in Germania, Belgia, Ducatu Bremensi, Terra Wursatica, Hadelensi, statuto Luneburgico, Cellensi, Stadensi, Hoyensi, Verdensi viget Frideri. Pusendorfius *to.* I. *observ. jur. Univ.* 133. §. I. *& seqq.* Jus tamen *Vicinitatis* vix receptum est. Tempus etiam a Lecapeno & Friderico statutum locorum consuetudo immutavit, *Pusendorf. loc. cit.* In Regno tamen Neapolitano, & præsertim in hac civitate gentilitius retractus non obtinet, Franch. *decis.* 346. *n.* 10. *&* 390. *n.* 3. sed dumtaxat jus congrui, de quo Lecapenus, & Fridericus præsertim sanxerunt, Gudelin. *de jure feud. par.* IV. *c.*4. *n.* 14. Christin. *to.* VI. *deci. belg.* 31. *n.* 29.

Attamen quamvis Const. *Sancimus* non undique in Europa in allodii venditione invaluisset, nihilominus in feudis nulla propemodum Natio est, quem non colat, cum satis ex feudorum *indole*, investituris, & jure longobardo proficiscatur. Nam etsi veteri Italiæ jure vel totum, vel partem feudi vasallus, illaudato seniore, alienare poterat. At postea Lotharii, & Friderici I. legibus omne commercii genus sine senioris consensu interdictum est, sive novum, sive antiquum feudum fuisset. Sed quia in feudo antiquo filii, atque agnati jus vindicant, idcirco antiqui feudi alienatio ipsi seniori, qui consentit, præjudicat, non vero agnatis, qui non consenserunt. Cum nemo jus sibi quocumque titulo quæsitum, nisi suo consensu, auferri valeat, II. *f.* 26. §. *Titius filios*, II. *f.* 39.,

(a) Hinc Bodin. de *Republic. lib.* V. *c.* I. *Ac tametsi Germania Roman. leges testamentarias magna ex parte probavit, nihilominus majores nostri prædia paterna, gentilitiave præter duas tresve uncias ad summam legare prohibuerunt, sed de proximos quosque jure legitimo deluerunt.* Et Cuja. *ad l.* 54. *D. de leg.* 2.

Digitized by Google

39., Thom. de Marin. *de Gen. feud. tit.* 11. *n.* 68. Vultej. *lib.* 1. *c.* XI. *n.* 160. Scrad. *par.* VIII. *c.* 7. Si enim mens illarum Nationum, quæ protimesin cognoverunt, fuit, ne bona ex familia exirent, eo magis in clientelæ conditionibus admittere compellimur, dum perpetua in investituris agnatorum comprehensione feuda constituantur, atque non tantum jus sanguinis, proximitatis, & stirpis concurrit, sed & senioris invitatio, contemplatio, & liberalitas, qua bona sua sub lege feudalis nexus primo a se investito, suo sanguini, suisque descendentibus, donatione una alteri succedente, tanquam unda undam superveniente, concedere voluit. Præterea semel declarata senioris voluntate, eam nec ipse, nec in investitura vocati convellere, & abrogare possunt, cum contractus censeatur, qui fieri voluntatis, factus necessitatis adimpleatur oportet, nisi omnes, quorum interest, consensiant.

Non autem in omni feudalis juris translatione protimeseos viget, sed dumtaxat, in venditione, quæ pretium recipit: (a) cum leges jus protimeseos jubentes, semper de venditione, & pretio meminerint. Hinc donare, infeudare, aliove titulo *legitime* transferre vasallus valet, quin retrahi timeatur, modo dolus malus abfuerit, atque sub pacto lucrativo oneroſum, hoc est pretium emptionem venditionem indicans non lateat, Pistor *lib.* II. *q.* 12. *n.* 16. Scrad. *par.* VIII. *c.* 7. *n.* 33. Cujac. *lib.* II. *f.* 4. Gudelin. *de jur. feud. par.* IV. *c.* 3. *n.* 10. 11. Struv. *s. j. f. cap.* XIII. *A.* 21. ubi pretium non est, nec redemptio reperiri potest. Nec refert, an cum bonorum universitate, an titulo singulari feudum vendat, quia qui retrahere potest, & velit, cetera venditoris allodia emere non cogitur, ne legi fraus fieret. Quæsitum est, an in feudo hereditario retractus procedat? Jus longobardum non cogitavit, quia hanc feudi speciem ignorat, sed feudum ex pacto, & providentia sive proprium, sive improprium cognoscit, II. *f.* 26. §. *Titius filios*, ubi Andr. & Lipar. negant. Sed Pistor *lib.* II. *q.* XI. *n.* 20., Rosental. *cap.* IX. 1. 89. *in fin.* affirmant: non immerito; nam tempore, quo in Italia jus protimeseos in clientelis concessum est, tantum

(a) Fridericus in tribus contractibus προτιμήσεως admittit, venditione, emphyteusi, & locatione ad longum tempus. Jus Longobardicum de gentilitio clientelari retractu loquens pretii, hoc est venditionis meminit. Verum Interpretibus recte visum est ad locationem extendi. Sicut illa prælatio, quæ Universitatibus Regni nostri competit, si eas Domini, hoc est Barones vendunt, etiam merentur, dum locare velint, etsi ad modicum tempus locent, Rovit. *ad pragm.* 63. *de Offic. Proc. Cæs. n.* 31.

Digitized by Google

de illis feudorum speciebus cogitatum fuit, quæ tunc vigebant. Feudum hereditarium Prudentum interpretatio, non lex, aut consuetudo invenit; igitur leges feudales hoc jus ei elargiri non poterant. Verum ex mente hujus juris etiam in feudo hereditario, quod mixtum appellant, admitti oportet, ut probante Rovito, *ad rubr. de feud. n.* 22. infra dicam.

Displicet & communis Interpretum schola apud Rosent. *loc. cit. n.* 4. quæ in feudo alienabili lege, vel moribus sine senioris consensu protimesin admittit. Nam si in investitura vasallo facultas daretur, illaudato domino, feudum alienandi, posset, cui vellet concedere, modo a jure non improberetur. Si itaque tantum valet Senioris voluntas, cur lex, vel consuetudo idem gerere non potest? Nec obnititur, hanc facultatem sibi concedi, ut tantum in investitura comprehensos alienare deberet; nam in remotiorem agnatum, præterito proximiore, recte alienaret. Sed qui feudum juri protimeseos nexum possidet, proximiori, non remotiori alienare tenetur. Feudista enim *in d.* §. *Titius* jus redimendi *proximiori* concedit, quia in hoc jure non tantum familiæ conservatio, & splendor spectatur, sed etiam jus, quod agnatis in feudo vendito, & quidem proximioribus competit, qui præ remotioribus rationem, spem, & jus citius possessurum vindicant Pistor *lib.* 11. *q.* 12. *n.* 66. ibi ejus adnot., & infra dicam.

Hoc jus redimendi, quoniam ex natura feudi, & voluntate contrahentium, id. est senioris, & vasalli descendit, contraria voluntate conveniri posse arbitror, ne agnati utantur, quum quisque legem, quam vult, rei suæ apponere valeat, quoties a lege, & bonis moribus non reprobetur; sicut Imp. Leopoldus *an.* 1698. inter cetera, quæ in investitura Livio Odescalco Syrmiæ Duci concessit, dedit & hæc, inquit Lunig. *Ital. diplo. to.* 11. *p.* 467. *Concedimus, ne omnes alii retractus, vel vicinitatis, vel agnationis jure nitentes, dominia in ipsos rite translata irritare, vel rescindere, vel annullare valeant: Verum ipse Celsissimus Dux, ejusque omnes descendentes, non attento aliorum prothimeseos jure in possessionibus, dominiisque partis & comparatis tuti, & securi sint, imperturbatique relinquantur. Et contra si ab ipsius Celsissimi Ducis antecessoribus, ejusque posteris, ex avitis bonis quidquam olim alienatum esset, vel deinceps alienaretur in iis omnibus legitime recuperandis jus retractus gentilitium Duci, ejusque descendentibus omnino tribuimus, concedimus, & elargimur: usucapione, & præscriptione quacumque ita sublatis, ne ipsi, eisque hæc omnia repetituris obstaculo, & impedimento esse queant.*

TI-

Digitized by Google

TITULUS XXXI.

De juribus Senioris, & Agnatorum.

§. XLIV.

De jure probibendi.

UNiverſalis feudorum intentio, inſtitutio, & conceſſio tria jura ſeniori, agnatis, & filiis vaſalli vendentis, nempe *jus probibendi*, *redimendi*, & *revocandi* indulſerunt, ne ex familia exirent, & ſenior invitus alium ſanguinem, generoſitatem, aliamque vaſallorum ſpeciem cognoſcere, atque excipere cogeretur, & ne in inveſtitura vocati jus quæſitum amitterent. Sed de his tribus juribus tanta Interpretum concertatio, tantus nodus, & tenebræ occurrunt, ut difficile veritatem inveniri deinde contingat. Ego, quid æquitas, quid ratio & jus petat, amplectar.

Jus prohibendi eſt facultas filiis, & agnatis conceſſa, qua vaſallo feudum vendere volenti etiam cum conſenſu Domini, juſtum pretium ad extraneo oblatum ſolvere poteſt, & denunciare, ne alii, quam ipſis vendet, & vaſallus obſequi tenetur, feudiſta. in 11. *f.* 9., *Porro ſive de bona conſuetudine, ſive de prava quærumus: conceſſa erat domino pro æquali pretio redemptio: niſi hoc beneficium amiſerit Dominus per refutationem, vel annali ſilentio, ex quo ſciverit, computando. Præſcriptione autem triginta annorum ſubmovebatur, tam ſciens, quam ignorans: in probibendo autem, vel redimendo potior erat proximi agnati, quam domini conditio: ſi tamen feudum erat paternum.* Ex quo §. conſtat, olim vaſallum potuiſſe ſine Domini conſenſu Feudum alienare, Dominus æquali pretio redimere poterat, niſi ſciens prudens, vel tacite per lapſum anni ſuo juri renunciaſſet, aut xxx. an. præſcriptione ſciens & ignorans removebatur. Agnati vero ſi prohibere, vel redimere vellent, domino erant potiores, ſi feudum fuiſſet paternum.

Cogitur itaque vaſallus omnibus agnatis denunciare, ſi vendere velit, ſive conſenſu ſenioris, ſive libere vendat. Nam feudum paternum ſine ſenioris venia recte agnatis ſucceſſuris vendit, quia non alienatio, ſed acceleratio ſucceſſionis exiſtimatur 11. *f.* 39., 11. *f.* 3. *ſed etiam res, cujus alienatio prohibetur, nec per beneficium dari conceditur niſi in caſibus, ut ecce ſi quis ex agnatis tuis rem, quæ a communi parente per ſucceſſionem ad eum pervenerit, alienare voluerit: non permittitur ei etiam ſecundum antiquam conſuetudinem alii vendere, niſi tibi, vel alii proximiori pro æquali pretio accipere vel-*

Digitized by Google

lenti. Si extraneo vendere velit, agnatus & Domino, & extraneo profertur, modo pretium ab extraneo juſte oblatum perſolvat, Andr. *in d.* 11. *f.* 3. *n.* 3. Alver. *eo. n.* 2. Jac. a S. Georg. §. *& eam pacto* 2. *n.* 32. Aut ſi proximior agnatus huic beneficio renunciat, remotior ſubingreditur, quia renunciatio proximioris operatur, ac ſi nullum ejus jus extitiſſet; nec ſi ipſe uti nolit, ulterior excludatur oportet; ſed ſtatim ſua renunciatione, juris exercitium remotioris excitatur. (*a*) Sicut & agnatus, prætermiſſo proximiore, non poteſt in agnatum remotiorem feudum alienare, quia mutare ordinem ſuccedendi, & jura ſanguinis lædere prohibetur, jac. a S. Georg. *loc. cit. n.* 32. Curt. *par.* IV. *n.* 146. Gudelin. par. IV. *c.* 3. *n.* 7. ſecus proximiori agnato a remotiore in quem alienatum eſt, reddito pretio, retrahere licebit 11. *f.* 3. §. 1., 11. *f.* 26. §. *Titius*, Cujac. *lib.* IV. *f.* 14. niſi proximior alienationi conſenſiat, tunc ſibi nocet. Denique in ſola venditione jus prohibendi viget, non in aliis alienationum ſpeciebus, quæ præſertim jura, & obligationes in feudo conſtituunt. Et deficientibus agnatis, ſenior redimere poteſt *d.* §. *porro*.

§. XLV.

De jure Redimendi.

SEcundum jus, quod filiis & agnatis competit, eſt προτιμήσεως, hoc eſt facultas feudum jam venditum, ab emptore, ſoluto pretio, recuperandi, 11. *f.* 9. §. *porro*, 11. *f.* 26. §. *Titius filios*, 11. *f.* 3. §. *ſed etiam*. Primum de filiis, quorum nomine omnes deſcendentes continentur. Sed acriter diſputatum, an filii, vivo patre, hoc jure uti poſſint? communis Interpretum ſchola affirmat, cui Piſtor *lib.* 11. *q.* 13. *n.* 33. obnititur. Ego, quid ſuadet, aperiam; (1) Filius ad feudum avitum non tantum beneficio patris, quam pacto, & providentia inveſtientis, & primi inveſtiti invitatur; itaque quod pater non dedit, auferre nequit, ſicut Alph. Varus in *l.* 3. *D. de Interd. & releg.* ea quæ non a patre, ſed a genere, &

(a) Nam ſententia juris προτιμήσεως eſt, ut feudum in familia remaneret; nec repudiatio unius alteri obeſſe poteſt, aut ordinem eorum, qui in inveſtitura vocati ſunt, intervertere. Secus voluntate unius feudum ex familia exiret. Et dum jus Longobardicum proximiorem invitat, etiam proximior ille dicitur, qui repudiante proximiore, locum ejus occupat, l. 1. §. 7. D. *unde cogn. Fachin. lib.* VII. *Controv. c.* 17.

Digitized by Google

& stirpe filii habent, delicto patris eis incolumia remanere docuit. (2) Si jus redimendi filio non daretur, feudum ad exteram familiam transiret, nec agnati impedire possent, quia donec filii superstint, agnatorum ratio silet & lex redemptionis elusa, & neglecta evaderet. (3) quoties feudista de jure protimeseos loquitur, semper proximioribus illud concedit, quis tam proximior, quam filius? Cui tam legitime majorum bona debeantur, quam filiis, qui pinguiorem rationem, & proximitatem, sive sanguis, sive pietas, sive concedentium voluntas spectatur, sibi in familia vindicant? Nec factum patris impugnant, sed extraneum repellunt, & conveniunt, ut sibi prælatio detur, quia proximiores sunt. (4) Primi juris retractus auctores filiis non minus jure sanguinis, quam proximitatis prælationem indulserunt *cap.* VIII. *de in integ. rest.* & satis ex Const. *sancimus* eruitur, & multo magis in feudis, quæ a majoribus accipiunt, possidere debeant, Sonsbec. *par.* XIII. *n.* 170. Thom. de Marin. *de Gen. feud. tit.* II. *n.* 49. *&* 68. Scrad. *par.* VIII. *c.* 7. *n.* 9.

Suadet & auctoritas Feudistæ *in* II. *f.* 26. §. *Titius filios masculos non habens, partem suam feudi Sejo, partem ejusdem feudi possidenti agnato suo concessit. Sempronius proximior agnatus, mortuo demum Titio partem illius feudi nullo dato pretio recuperare potest. Quod si Titius filios proprios haberet, pretio reddito, etiam vivo Titio: quod si consensit, alienationi, vel per annum, ex quo scivit, tacuit omnino removebitur*, ibi Andr. Hotom. Alver. Cujac. ceteri. Species hæc est. Titius filium masculum non habens, partem feudi paterni Sejo agnato suo [illegible] valet jure veteri alienatio, vel senioris consensu, jure novo, & proinde sejus, donec Titius vivat, recte possidebit; sed, mortuo Titio, agnatus proximior revocabit, non reddito pretio, quasi successionis jure. Quod si Titius filios haberet, pretio reddito, etiamsi Titius vivat, redimat, videlicet si filii aut suo consensu, aut annali silentio, aliove modo excluſi fuerint. Fateor *d.* §. *Titius filios* varie ab interpretibus excipi, quos Pistor *lib.* II. *quæst.* 5. refert, & ipse opinionis suæ aciem in eo ponit, quia filius feudum a Patre obtinet, idcirco ejus factum impugnare nequit, quod nobis non placuit, sed potius proximitatis gradu protimesin filiis concedimus, Roth. *in Pand. feud. cap. xx. q.* 10. Borcholten *de feud. c.* VIII. *n.* 147.

Nunc de agnatis, qui, deficientibus filiis, vel nolentibus, vel legitime excluſis, idem jus redimendi, vivo etiam alienatore, soluto tamen pretio, exercere possunt *d.* §. *Titius filios*, *d.* §. *porro*, non modo si in extraneum, hoc est in investitura non comprehensum,

ſum, & a primo adquirente non deſcendentem, ſed etiam in remotiorem agnatum, ne privata vaſalli voluntate ordo ſucceſſionis lædatur, alienatio contingat. Etſi ſtulte ſe gereret agnatus, ſi pretio feudum redimeret, dum, vaſallo defuncto, jure proprio, ſine ulla pretii ſolutione, revocare valeat, Vultej. *lib.* 1. *c.* 11. *n.* 160., niſi aliter juſta ſibi perſuadeat cauſſa. Cur vero pretium, vivo alienatore ſolvere tenetur? Ratio hæſitandi eſt, quia rem ſuam emere videtur: ratio autem decidendi eſt, quia, vivo alienatore, alio jure ad redimendum venire non poteſt; non ex jure, ſeu capite ſucceſſionis, cum quamdiu vaſallus alienans, ejuſque deſcendentes vivant, nulla agnatis ſucceſſio competit. An *poſt mortem* alienatoris feudum redimens, emtori pretium reſtituere *debeat?* problema eſt: diſtinguam; ſi emtor ſciverit rem eſſe feudalem, tunc non dicitur deceptus, & ſibi imputare debet, & pretium non recuperat, quia malæ fidei poſſeſſori comparatur; ſi ignoravit, merito petit, Andr. in 1. f. 5. *n.* 290. *&* 30.

Ex his dirimitur quæſtio, an ſi agnatus proximior *nolit* redimere, aut non poteſt, ex vi edicti ſucceſſorj remotior admittatur? negat Vultejus *lib.* 1. *x1.* *n.* 183. *&* Piſtor *lib.* 11. *q.* 12. *n.* *65.* *&* *66.* Attamen mihi ſedet, feudiſtam clare contrarium probare *in* 11. *f.* 3. §. *ſed etiam*, ibi, *tibi*, *vel alii proximiori*, hoc eſt tibi agnato, vel alii agnato proximiori, ſeu poſte proximiori, ſi tu hoc jus redimendi exercere nolis. Si enim remotiori hæc facultas non daretur, feudum ex familia exiret; nec viri clariſſimi differentiam proferre poſſunt, cur ſi proximior morte, aut naturali, aut civili, nempe maxima, vel media capitis diminutione redimere prohibeatur, agnatus remotior *in protimeſi* ſuccedat; & poſtea ſi proximior nolit, ſuccedere remotior negetur; eum tam voluntate, quam neceſſitate jura noſtra amittamus. Hinc judex feudalis, aut allodialis proximioribus præcipere debet, ut intra certum tempus redimant, quo elapſo, remotior ſubingreditur, Roſent. *Cap.* 1*x.* 2. 82. *n.* 11., Sonsbec. *part.* *x111.* *n.* 119. Hinc etiam natura protimeſeos deſcendit, nempe ut agnatus extraneo cedere nequeat, quia extraneus eſt feudi incapax, & ſtatim ex familia exiret; recte cedit agnato, vel in eodem gradu, vel remotiori, modo ordo ſucceſſionis non lædatur; idcirco agnatus proximior, prætermiſſo ſecundo gradu, illi, qui in tertio, vel quarto gradu eſt, cedere non poteſt, quia ceſſione feudum de uno gradu ad alterum, omiſſo medio, transferret, & ſucceſſionis ratio interverteretur. Dominus vero, ni decipiam, cedere poteſt, cum ipſe, uti lubet, re retracta uti valeat, Wiſenbac. ad tit. dig. *diſp.* 36.

Digitized by Google

36. *n.* 13., Gail. 11. *obſ.* 29. *n.* 10. Roſent. *cap.* IX. 2. 92. (*a*).

Tempus filiis, agnatiſque ad redimendum ſtatutum, eſt annus 11. *f.* 9. §. *porro*, 11. *f.* 26. §. *Titius filios*, qui a die ſcientiæ computatur, ſive feudum in extraneum, ſive in remotiorem agnatum venditum fuerit; eo elapſo, facultas redimendi expirat, quia quoties intra certum tempus jus aliquod competit, ſi intra illud non exercet, renunciare cenſetur *l.* 7. *C. de bis qui avus non.* Scientia hic non quælibet, ſuppetit, ſed illa requiritur, quæ totum negotium cum ſuis qualitatibus cognoſcit *l.* 76. *D. de R. j.* proinde juſte ignoranti, vel pupillo non currit, ſed an currat ipſo jure minori? affirmat Pontifex *in cap.* VIII. *de in integ. reſt.* ſalvo reſtitutionis beneficio. Rectius mihi videtur Juſtiniani edictum *in l.* 1. *fin. C. In quib. cauſ. in integ.* in qua temporalibus præſcriptionibus abrogatis, nempe bidui, aut tridui contra minores, conſtituit non currere, meliuſque eſſe *intacta eorum jura ſervari, quam poſt cauſſam vulneratam remedium quærere.* Præſcriptiones tamen 30. vel 40. annorum in ſuo ſtatu manere, excluſa in integrum reſtitutione, voluit. Nec ſola extrajudicialis monitio ſatis erit, ſed judicialis requiritur, &, ut pluribus placet, litis conteſtatio, Piſtor *lib.* 11. *q.* 12. *n.* 21. Hotom. 1. *obſer.* 16. Struv. *S. j. f. cap.* XIII. 21. Rothi. *in pand. feud. cap. xx.* 6.

Quamvis annale tempus juſte ignoranti, non diſſoluta, & ſupina ignorantia prædito, non currat, tamen ſi præſcriptio XXX. intervenit, hæc agnatos, & ſeniorem etiam ignorantes excludit, quia hoc temporis ſpatio omnis actio perit, ſive ſciverit, ſive ignoraverit *d.* §. *porro*, *l.* 3. *C. de præſcrip.* 30. Piſtor *loc. cit. n.* 36. Vultej. *lib.* 1. *c.* 11. *n.* 192. Scrad. *par.* VIII. *c.* 7. *n.* 46. Verum an ex Prætoris Albi clauſula *in l.* 1. §. 1. *D. Ex quibus Cauſ. majo.* reſtituantur, *ſi qua alia mihi juſta cauſſa eſſe videbitur, in integrum reſtituam*, hoc eſt, ſi æquitas reſtitutionem, etſi in meo edicto non expreſſam, ſuggerit? Non meretur reſtitutionem, qui tanto tempore ignoravit, vel tacuit, præſertim cum agnatus, defuncto alienatore, feudum ſine pretio recuperare poſſit, & in alienationem conſenſiſſe præſumitur. Piſtor *loc. cit. n.* 41. Roſent. *cap.* IX. *n.* 93. *n.* 15. Hotom. 1. *obſerv.* 16.

§. XLVI.

(a) In jure allodiali retractus non ſemper rem remotiori agnata venditam proximior retrahit. Jus commune, & Campaniæ, Engolimenſis, Xantonenſis, & Pictavienſis, proximiorem ad retrahendum admittit. Sed conſuetudo Biturigum, emente remotiore, proximior non retrahit, P. Greg. *Synt. lib.* XXVI. *c.* 13.

Digitized by Google

§. XLVI.

De jure revocandi.

POſtremum jus filiis, agnatiſque competens, eſt revocatio, ſeu facultas, ipſis non conſenſientibus, feudum alienatum poſt alienatoris mortem revocandi, quin pretium ſolvatur, ſive in extraneum conſenſu ſenioris, ſive in agnatum remotiorem ſine ſenioris conſenſu fuerit alienatum, quia nemo ordinem ſuccedendi invertere poteſt. Aut ſi plures in pari gradu agnati inveniantur, & uni, altero præterito, illud refutaverit, ceſſerit, aut alienaverit, alter, qui in pari gradu eſt, pro ſua portione revocat, imo etiamſi domino refutaverit, II. *f.* 39. *alienatio feudi paterni non valet etiam Domini voluntate, niſi agnatis conſenſientibus, ad quos beneficium quandoque ſit reverſurum: nec in filiam vaſallus feudum poterit confirmare, agnatis non conſenſientibus, vel poſtea ratum non habentibus, & licet prohibeatur beneficii alienatio inter agnatos, tamen ſi paternum fuit, concederetur: Et ſi libellum unus alteri fecerit de feudo paterno, non eſt libellus, ſed refutatio,* & I. *f.* 8. §. 1., II. *f.* 26. §. *Titius ſilios*, II. *f.* 3. §. *ſed etiam* II. *f.* 9. §. *porro*, II. *f.* 8. §. *e contrario*.

Primum de filiis, de quibus vehementer Interpretes contendunt, an poſt mortem vaſalli patris feudum ab eo alienatum revocare poſſint? Hartm. Piſtor Cl. Germaniæ feudiſta *lib.* II. *q.* 13., Struv. *ſ. j. f. Cap. XIII.* 16. hanc facultatem filiis denegare pro aris, & focis conantur; quibus univerſalis Interpretum cohors reclamat. Primæ theſis ratio eſt, quia in jure feudali nunquam hoc privilegium filiis conceſſum videtur, & ipſi nonniſi mediante perſona patris ſuccedere poſſunt, idcirco heredes patris dicuntur, quo nomine nunquam agnati vocari ſolent II. *f.* 45. tanquam heredes allodiales, nec feudum ab allodio ſeparant, & heres factum defuncti præſtare tenetur, *l.* 14. *C. de R. V.* & textus *in* I. *f.* 18. docet, tamdiu alienationem ſubſiſtere, quamdiu alienans, & heredes alienantis vitam vivant, igitur alienationem revocare non poſſunt, & Rothius in *Pand. feud. cap. xx. q.* 10. Adverſæ opinionis ſubſidium eſt, quia feudum vetus beneficio primi concedentis, & contractu adquirentis omnibus ſuis deſcendentibus debetur, nec iis jus quæſitum voluntas ſenioris, aut vaſalli patris auferre valet. Imo plus juris vindicant filii, quam agnati, cum pars patris, rerum quodammodo paternarum domini cenſeantur; & magnopere eorum intereſt, ne res immobiles familiæ præſertim a majoribus profectæ in agnatos collaterales tranſeant, ſicut & agnato-

Digitized by Google

torum, ne in extraneos migrent. Præterea filii etiam ſunt agnati, & luitas eſt ſpecies agnationis, cum proximiores ex agnatis ſui dicantur *l.* 6. §. 2. *D. de Carbon. edict. Cujac. XIV. obſer. c.* 11., Hotom. *lib.* 1. *obſer. c.* 16.

A recepta opinione non diſcedo; & præter rationes, quas ipſa affert, addo (1) ſuperius probatum, filios, vivo patre, poſſe feudum ad eo alienatum, dato pretio, redimere, ipſomet Struvio fatente, pecunia, aut caſtrenſi, vel ab amicis forſitan donata. Quæro quanam ratione filius feudum redimit? quia ei jus ab inveſtitura initio natum ſuffragatur, atque adſiſtit, quo prohibet, ne extra familiam clientela a majoribus adquiſita tranſiret. (2) Vaſallus pater in feudo antiquo jus vindicat, donec vivit, hoc eſt adeo uti frui valet, ut filiis, agnatiſve non noceat, quare vendere, pignorare, donare, aliove modo minuere in eorum præjudicium nequit, etiamſi ſenioris conſenſus accedat. Si enim textus *in* 1. *f.* 8., negat vaſallo de feudo teſtamenti factionem, quomodo inter vivos diſponendo in inveſtitura vocatis nocere poterit? Thom. de Marin. *de Gen. feud. tit.* 2. *n.* 50. & 51. (3) Si nulla eſt ordinatio defuncti in feudo, igitur pater filium in feudo exheredare non poteſt; quomodo? quia filius potius beneficio majorum, quam patris ſuccedit, Vultej. *lib.* 1. *c.* 9. *n.* 198. dixi lib. II. *tit.* XXI. §. 44., atque in allodio exheredatus, recte feudum capiet, Sonsbec. *par.* IX. *n.* 166., Jac. a S. Georg. §. *ita quod ipſi n.* 5. Et quamvis filius feudum retinere, & hereditatem patris repudiare prohibeatur, tamen, ne ſui patris memoriam ſpernere videatur, communi Prudentum in Italia conſenſu obtinuit, ut ab eo quodammodo feudum recipere dicatur, dixi *in proleg. cap.* VIII. §. 42. *p.* 225. (4) Dogma ſane juris longobardici, ut filius nequeat repudiare feudum, & hereditatem patris accipere a jure Romano pendet, quo filius & pater una, & eadem perſona eſt, & feudum quaſi pars paternæ hereditatis cenſeatur. Verum id naturæ feudi antiqui repugnat, quod unuſquiſque pro ſe & deſcendentibus adquirit, ut perpetuo in familia remanèret, Lorber *Inſt. jur. feud. German. lib.* II. *tit.* 29. §. 221. & §. 302.

Sæpius tamen filius hac revocandi facultate carebit, ſi heres patris erit, ſive inter vivos, ſive cauſſa mortis feudum alienavit, quia tanquam heres factum defuncti ſervabit, ſive feudum fuerit hereditarium, ſive ex pacto & providentia *l.* 114. §. 15. 16. *D. de leg.* 1. *l.* 149. *D. de R. J.* Niſi inventarium fecerit, tunc, etſi patris hereditatem adierit, nihilominus alienationem revocare poteſt, quia aditio hereditatis adeo heredi jura ſua conſervat, ac ſi eam non adiviſſet *l. fin.* §. 9. *C. de jure delib.* in bonis enim

patris reperitur quædam crediti imago uti est feudum majorum beneficio etiam filiis competens, quod paternæ hereditatis aditione præsertim inventario peracta eorum jura non confundit, vel intervertit, & satis juri Romano respondet. Nam pater bona adventitia filiisam. alienare nequit, alienatas vindicabit, & hypothecam in bonis patris habet, si bona adventitia sunt materna vel materni generis, vel lucra nuptialia, quia si sunt labore, & industria filii adquisita, ipse in bonis patris hac hypotheca non gaudet *l.* 1. *&* *6. C. de bon. quæ liber.* ibi Giphan. & Wissenbac. Scrad. *par.* VIII. *c.* 8. *n.* 19. Rolent. *cap.* IX. 2. 71. Aut si feudum fuerit mere hereditarium, etiam inventario, nec filius, nec agnatus alienatum repetit, cum hoc ad omnes vasalli heredes, etiam extraneos transeat. Aut si novum, sive ex pacto, & provid. sive hereditarium sit, quia tunc illicite alienatum Domino, exclusis descendentibus, atque agnatis, aperitur, etsi heredes extiterint, aut inventarium confecerint. Aut consensu senioris alienavit, filiis, agnatisve revocandi facultas negatur, paucis refragantibus, asserit Rolent. *Cap.* IX. 2. *65. & 66.*, Clarus §. *feudum q.* 42.

At si fuerit feudum hereditarium mixtum, filio, & agnato jus retractus competit. Feudum herediratium mixtum dicitur, ut assidue assertum est, quod de feudo ex pacto, & providentia delibat, quia in eo nemo succedere potest, nisi a primo Adquirente descendat, & in investitura comprehensus sit. Decerpit ex feudo hereditario, quia descendens, qui in hoc feudo vult succedere, ultimi defuncti heres esse cogitur. Proinde hoc feudum nihil a feudo ex pacto, & providentia distat, cum unus alteri nocere non possit. Et tam filius, quam agnatus alienationem a defuncto actam, etiamsi hereditatem ejus adeant, revocant, quia non factum defuncti impugnant, sed quia proprio jure ex legis providentia præferri contendunt. Ratio enim hujus juris non consistit, ut ipse Revocator sit futurus successor, sed ne bona suorum majorum ad extraneos transeant, eosque, qui nullum jus vindicant. Hinc si proximior agnatus retrahere nolit, remotior, licet non futurus successor, revocabit. Et ex communi fere Interpretum schola probat Rovitus *ad Rubr. de feudis n.* 17. *& seqq.*

Præterea Agnati idem revocandi jus vindicant, quia vasallus feudo fruitur, donec vivit, sicut fructuarius, suumque jus simul cum morte expirat, nec ipse ad successores feudum transmittit, sed a primo acquirente, invito etiam ultimo defuncto, accipiunt, & recognoscunt, II. *f.* 23. *in fin.* II. *f.* 18., II. *f.* 17., I. *f.* 14. §. 1. Nec agnatus revocans pretium restituere cogitur, quia extin-

cto

Digitized by Google

cto vasalli alienantis post mortem suam jure, jus emptoris, qui ab eo causam habet, etiam extingui necesse est, & proinde agnatus non acquirit, sed jus suum possidere & frui incipit, quod pretio habere non cogitur II. *f.* 26. §. *Titius filios* sive extraneo, sive remotiori agnato vendidisset, quidquid Mediolanense collegium olim decrevisset, Pistor *lib.* II. *q.* 6. Struvius *s. j. f. cap.* XIII. 16., sive Domini consensus adfuerit, sive simpliciter alienasset, quia consensus unius alteri nocere non potest. Aut si plures agnati existant in pari gradu, in unum eorum, ceteris præteritis, alienari prohibetur, secus ceteri jus revocandi pro sua quisque portione exercent, quia senior omnes pro sua portione æqualiter in investitura vocavit, quem ordinem vasallus mutare nequit, ne jus cuique quæsitum auferatur I. *f.* I. §. *quod hodie*, I. *f.* 8. *pr. v. æqualiter*. Hinc jus revocandi competit illis, qui tempore alienationis proximiores extiterunt, sed, his defunctis, ceteri qui deinde nati sunt, Andr., & Alver. *in* I. *f.* 8. §. *hoc quoque*, quia mors agnati proximioris jus remotioribus vel conceptis, vel natis partum auferre non potest, cum quisque, donec vivat, fruatur, instar Fideicommissi *l.* 77. §. 32. *D. de leg.* 2. nam feuda antiqua veterem fideicommissorum naturam a Ictis intextam imitantur, Struv. *loc. cit.* Vultej. *lib.* I. *C.* XI. *n.* 181. Rothius *loc. cit. q.* 9 Denique quæ de filiis supra diri ad agnatos quoque pertinent.

Tempus revocandi feudum, mortuo alienatore, ut communiter creditur, est annus, si in remotiorem agnatum alienatum fuerit; si in extraneum, triginta annis durat *ex* II. *f.* 26. §. *Titius*, Rosent. *cap.* IX. 95. *n.* I. Verum Pistor *lib.* II. *q.* 8. *n.* 31. Scrad. *par.* VIII. *c.* 8. *n.* 38. Struv. *s. j. f. cap.* XIII. 18. & Rothius *loc. cit. q.* 19. non distinguunt, an in remotiorem agnatum, an in extraneum alienetur, semper ex caussa successionis jus hoc nisi XXX. non præscribitur, quibus innitor. Nam omnis actio, uti est revocatoria, nisi aliter lege caveatur, 30. an. durat; cum hac in re jus feudale nihil statuerit, jus civile sectamur, *l.* 3. *&* 4. *C. de præscrip.* 30. & jure feudali nulla propemodum præscriptio, quam 30. an. cognoscitur; sicut etiam jus adeundi hereditatem, ita jus successionis hoc temporis spatio præcludi oportet. Nec *d.* §. *Titius* obstat, qui non de jure revocationis ex caussa succedendi, sed ex jure protimeleos disponit, ut supra asseruimus. Nec si proximior agnatus XXX. an. non revocavit, post ejus mortem alius agnatus, qui in locum ejus succedit, repellitur, quia negligentia, quæ est omnis præscriptionis fundamentum, agnati proximioris remotiori nocere non potest; nam donec proximior vivit, remotiori nulla est adquisita actio, & non valenti agere non currit præscriptio

Digitized by Google

l. 30. *C. de jure dot. l.* 7. §. 4. *C. de præscrip.* 30., 11. *f.* 52. §. *satis bene*. Neque hoc tempus a tempore alienationis, sed delatæ successionis computatur, & emtor a die litis contestatæ, sicut quilibet malæ fidei possessor omnes fructus perceptos, & percipiendos restituere tenetur.

TITULUS XXXII.

De consensu agnatorum.

§. XLVII.

De consensus agnatitii effectibus.

COmprehensio descendentium, & collateralium in investitura hæc tria hactenus recessita privilegia, nempe jus prohibendi, reiimendi, & revocandi peperit. Sed quia privilegio a lege cuique concesso renunciari potest, ideo si in alienatione filii, agnatique consenserint, his juribus uti amplius non possunt, 11. *f.* 39. ibi *consensientibus*, *&* 1. *f.* 5. §. *præterea si ille, ad quem feudum per successionem jure obvenire debet, consenserit eos investire, ad quos secundum rectum morem non pertinet: nullo modo ad eum repetendum regressum habet*, *&* 11. *f.* 26. §. *Titius filios in fin.* Nec refert, an eorum consensus præcedat, an adsit, an subsequatur, cum ratihabitio retrotrahatur; sive alienationem licite, sive illicite celebraverit *l. fin. C. ad Macedon. l.* 56. *D. de judic.* modo consensus ille probetur, & filius, agnatusve in alienationis contractu uti consentiens actui, non uti testis interveniat, quia causa testimonium perferendi vocatus, sibi non præjudicat *l.* 39. *D. de pignor. act.*, 11. *f.* 39. ibi *postea ratum non habentibus*, Sonsbec. *par.* VIII. *c.* 5. *n.* 2. Curt. *par.* IV. *n.* 146. Et omnibus placet.

Sed quoniam consensus in omni actu dupliciter præstari possit, *tacite*, & *expresse*: videndum, an tacitus satis erit, & noceat. Etsi sæpius in jure taciturnitas consensui comparetur, nihilominus hac in re nec ipsa, nec præsentia filii, aut agnati suppeditat, sed vel verbis, vel facto alienationi consentire oportet. Hinc si uti testes, vel tutoris, aut curatoris nomine instrumento subscripserint, vel auctoritatem adhibuerint, consensisse non præsumuntur. Et sanxit Justinian. *in l.* 26. *C. de adm. tut.* cujus hæc est species: mater habens duos filios, unum ætatis legitimæ, hoc est XXV. an., eumque testamento præteriit, alterum impuberem, & hunc heredem instituit: Frater major natu fratris impuberis tutor est, auc-

Digitized by Google

ctoritate tutoris hereditatem adit. Imperator reſcripſit, ſuæ auctoritatis præſtatione, ſalvam de inofficioſo matris teſtamento querelam ſibi reſervari, quod Roſent. cap. IX. 2. 78. *n.* 16. & 17. non recte impugnat, cum majus ſit adhibere auctoritatem, tanquam tutor, quam teſtimonium dicere, uti teſtis, vel advocatus, procurator, vel fidejuſſor, Piſtor *lib.* II. *q.* 7. *n.* 1. Struv. *ſ. j. f. cap.* XIII. 19. niſi ſciens prudens dolo malo tacuerit, *l.* 5. *C. ad Vellej.*

Et cum natura conſenſus ſit, ut *de perſona ad perſonam non* ſe extendat, nec niſi conſenſienti aut noceat, aut adjuvet; conſtat, conſenſum unius agnati ceteris vel in pari, aut impari gradu exiſtentibus non præjudicare: ut ſi duo ſunt agnati, unus conſenſit, alter diſſenſit, qui diſſenſit pro ſua portione jus vel redimendi, vel prohibendi, vel revocandi exercere poteſt; cum quod omnes tangit, ab omnibus probandum eſt. Hic damnum ſingulis uti ſingulis in inveſtitura vocatis inferendum, vel non, vertitur, Rothi. *loc. cit. q.* 14. Piſtor *loc. cit. n.* 24. Roſent. *cap.* IX. 2. 81. Nec proximior, qui conſenſit, remotiori nocere poteſt, qui diſſenſit, ſed remotior, defuncto proximiore, revocat, quia donec proximior vivit, quia jus revocandi dependet a jure ſuccedendi, quo uti nequit, niſi ordo ſuccedendi ſibi aperiatur, facultas remotiori ſopita jacet. Verum jure redimendi ſe tueri valet, quod proximiori, & omnibus agnatis adeo competit, ut ſi proximior redimere nolit, remotior, adhuc proximiore, atque alienatore ſuperſtite, redimere non prohibetur, ut nuper probavi.

Præterea conſenſus agnatorum *nec de re ad rem, nec de cauſſa* ad *cauſſam*, ut de conſenſu ſenioris dictum eſt, porrigitur; quare ſi agnatus, proximior, conſenſit, ut in remotiorem alienaretur, ſi in extraneum alienatur, merito revocat, quia hoc conſenſiendi modo curavit, ne feudum ex familia exiret. Nec conſenſus vel agnati, vel patris filiis poſtea naſcituris, vel agnatis nocet, etſi de filiis Piſtorius diſſenſiat, quia facultas revocandi non oritur a jure, quo defunctus conſenſiens habuit, ſed a voluntate Concedentis, & primi Acquirentis, qui in inveſtitura vocavit; ſed in caſibus, in quibus revocatio non datur, conſenſus defuncti heredi nocere debet, Scrad. *par.* VIII. *c.* 5. *n.* 9. Piſtor *loc. cit. n.* 48. Proinde conſtat, non cogi agnatum alienationi conſentire, quum jus ſuum non a jure vaſalli alienantis dependeat, ſed a providentia inveſtientis, & primi inveſtiti deſcendit, & vaſallus, qui alienare deſiderat, feudo utitur fruitur, donec vivit, fato cedens agnatis reſtituere tenetur, eſt tanquam fideicommiſſarius, & depoſitarius licet utilitatis perceptor, etiamſi neceſſitas urgeat, *l.* 69. §. *prædium*

Digitized by Google

dium D. de leg. 2. ibi Cujac. Scrad. *loc. cit. n.* 12. Roth. *loc. cit. q.* 16. Denique si feudum hereditarium alienatur, agnatorum consensu non indigemus, ut ex ipsius indole constat, quam sæpius enucleavimus, Struv. *loc. cit.* 20.

TITULUS XXXIII.

De contractibus feudorum jure Regni Neapolit.

§. XLVIII.

De prohibitæ alienationis origine.

HActenus de prohibita feudorum alienarione jure communi; nunc municipalem jurisprudentiam interpretari oportet. Dum Longobardorum Natio in nostri Regni provinciis jus, potestatemque exercebat, prima in Italia feudorum mater, feuda, Gastaldia, & subfeuda ab illius jure regebantur. Et quamvis Gens Nortmannica deinde armis subjugasset, & victo populo, uti lubebat, leges indicere poterat, nihilominus veteres feudales longobardicæ gentis consuetudines retinuit; & sicut olim in Italia vasallo datum erat, inconsulto Domino, feudum alienare, ita in nostris provinciis obtinuisse nemo ambigit. Et cum ope Nortmannica ab Apulia, Calabria, & Sicilia Græci, & Saraceni omnium clientelarum ignari expulsi essent, in eas regiones feuda induxerunt. Hinc Comitum, & Baronum, nomina tunc dumtaxat nota, copia audita est. Fatendum nihilominus Nortamannos nonnullas novas ex patrio solo, vicinisque Germaniæ Dynastiis consuetudines invexisse, iisque feudales aut controversias, aut successiones, aut naturam, & pacta regere possent, ut Regni Proceres Gulielmum Regem deprecati, ut exoletis novis, quas ediderat, legibus, *restitueret consuetudines, quas avus ejus Rogerius Comes, & Robertus Guiscardus prius introductas observaverat, & observari præceperat*, teste Falcando *in Hist. sicula*, Franc. de Andr. *disput. feud. cap.* 11. §. 4. *n.* 19.

In Italia ante Lotharium Saxonicum in Occidente Imperatorem hoc est seculum XII. an. 1137. feudorum alienatio in quibusdam Curiis permittebatur, in aliis interdicebatur, nisi Senioris consensus adfuisset; donec ipse in campis Ronchaliæ generaliter prohibuerit. Quam legem in Regno Rogerius publicus Lotharii hostis recipere noluit, sed feudorum sui dominii alienationem, lata lege, quæ prima apud nos circa feuda censetur, regere decrevit in Const. *Scire volumus lib.* III. 1. *Scire volumus Principes nostros, Comites, Baro-*

Digitized by Google

Barones, Archiepiſcopos, univerſos Epiſcopos, & Abbates, quod quicumque de regalibus noſtris magnum, vel parvum quid tenet, nullo modo, nullo ingenio poſſit ad noſtra regalia pertinens alienare, donare, vel vendere in totum, vel in partem minuere, unde jura noſtra regalia minuantur, aut ſubtrahantur, aut damnum aliquod patiantur. Univerſali lege Rogerius omnem feudorum alienationem, ſive magna, ſive parva fuerint, interdicit, Prælatis, Baronibus, & Principibus, qui tunc erant tres ejuſdem Legislatoris filii, Rogerius Dux Apuliæ, Anfuſus Princeps Capuæ, & Tancredus Princeps Tarenti; nec Principatus dignitas, & nomen tunc niſi Regis filiis concedebatur, Falcand. *in Hiſt. Sicul.* De ſubfeudis nihil ſanxit; arbitror ſine ſenioris voluntate Barones ſubinfeudare potuiſſe, ex jure longobardo, quod vigebat (*a*).

Ro-

(a) Primus, qui feudales titulos *Comitis* nempe & *Baronis* in noſtris provinciis induxiſſet, fuit Jordanus Rogerii Comitis filius, qui abſtulit Saracenis Drapanenſem Civitatem, deinde XII. caſtra ſubjecit, ſuiſque militibus *an.* 1077. diſtribuit, quos primos Regni *Barones* ante Monarchiæ erectionem Inveges *in Annal. par.* VII. exiſtimat. Malater. *lib.* III. *c.* XI. de his Caſtris a Rogerio opera Jordani adquiſitis inquit, *Comes laboris indeficiens crebris incurſionibus ut ſibi omnia ſubſtarnat, infeſtare aggreditur, brevique termino uſque ad duodecim famoſiſſima Caſtra ſuo dominio obediendo ſubire coegit, quæ militibus ſuis diſtribuens cum omnibus appendiciis ſuis de ſe habenda delegavit.* Et Fazella *de rebus ſiculis decadis liber* VII. *capto Drepano, Rogerius ſupervenit, urbem ingreditur, atque arce, & propugnaculis collapſam munit. Poſt hæc per eam provinciam duodecim Sarracenorum oppidula capit, ſubigit, prædam militibus diſtribuit, ac demum Biccarum ſeceſſit.* Poſtea *anno* 1089. *aut* 1090. Rogerius, adquiſita Sicilia, alios Barones, (qui ſecundi ſunt noſtrarum Regionum Barones) creavit, de quibus Malater. *lib.* IV. *c.* 15. *Militibus itaque ſuis, quorum auxilio tanti honoris culmen adeptus fuerat, arceſſitis, gratias cum omni manſuetudine referens quibuſdam terris, & largis poſſeſſionibus, quibuſdam aliis diverſis præmiis laboris ſui ſudores recompenſat.* Sic paulatim numerus Comitum, & Baronum, acceptis feudis, ante, & poſt monarchiam ſub Noſtmannis augeri cepit. Et feuda non modo Regni incolis, domi, militiæque Claris, ſed & exteris Neuſtriæ habitatoribus, aliiſque concedebantur. Sed vaſallus ſine Domini conſenſu, antequam Rogerius conſtitutionem *ſcire volumus*

pro-

Rogerius duplici verbo utitur, *vendere*, & *alienare*: venditio omnem dominii translationem oſtendit; alienatio pro omni contractu dominii, aut juris, obligationiſve translativo accipitur *l. ult. C. de rebus alien.* & quodvis commercii genus in feudis, quæ ipſe *regalia* vocat, vetare voluit. More Francorum, qui res Principis, res publicas, titulo Clientelæ conceſſas *regalia* appellabant, ut ex eorum capitularibus conſtat. Imo etiam præſcriptionem comprehendit, ſicut verbum *ſubtrahantur* indicat, quia alienatio etiam uſucapionem continet, qui rem ſuam uſucapi patitur, alienare cenſetur *l.* 28. *D. de V. S.* Aut ſi jura feudi minuat, nempe ſervitutes amittit, onere aggravat; libertatem lædit, etiam alienare dicitur, ſicut verbum *minuantur* exprimit. Nec tamen Rogerius regalia in allodium conceſſa intelligere, ut immerito putavit hic Afflictus, ſed tantum in feudum; nam regalia in allodium conceſſa directum, & utile dominium transfert, cujus poſſeſſor, ſi alienare velit, Regis placito non indiget, ſecus ſi titulo clientelæ habuit, de quo Rogerius loquitur, ut ex verbo *tenet* conſtat, hoc eſt dominium ad Regem, adminiſtratio penes eum, qui tenet hoc eſt naturaliter detinet, pertineat.

Et ſuſpicari poſſimus ætate Rogerii *regalias* non adhuc in allodium fuiſſe conceſſas; quare hanc alienationis ſpeciem intelligere non potuit. Poſtea in Regno ſententia obtinuit, poſſe Regem domanialia etiam in allodium alienare, modo regales reditus magnopere non diminuat, Montan. *in* 11. *f.* 55. §. *præterea ducatus n.* 22. *& ſeqq.*, quia Regis eſt liberalitatem exercere, & de Alphonſo I. Aragon. Ant. Panormit. *lib.* IV. *de dict. & factis Alphonſ. n.* 42. *Scimus item Alphonſum Regem non modo vectigalium partem maximam civibus ſuis elargitum, ſed urbes etiam præclariſſimas, comitatus, ducatuſque ſplendidiſſimos dono dediſſe. Ac interim ſolitum dicere. Regum in primis ſtudium, & officium eſſe populares ſuos locupletes efficere, popularibus enim ditioribus factis, nec utique Reges futuros pauperes.* Semper enim jus ſuperioritatis exceptum intelligitur, quod a Corona Regis evelli nequit, tanquam jus perſonale, inſtar uſufructus, cujus commoditates percipiendi facultas, non vero jus transfertur. Ex quo fateor cautius eſſe ſi in regalia jure allodii poſſeſſa aſſenſum Regis adhibeat, ſi poſſeſſor alienare velit. Ut novi Poſſeſſoris fidelitas, capacitas, meritum, & adminiſtratio Regi conſtiterit, Andr. Georg. *in Repet. c.* 54. *n.* 37. Hanc

promulgaſſet, jure Longobardico tunc vigente alienare poterat, niſi forſitan Conſuetudo recenter inducta prohibuiſſet. Quam extitiſſe non ſuſpicor, ſecus Rogerius vetare non facile coactus eſſet.

Digitized by Google

Hanc Rogerj legem retinuit, & commendavit Fridericus II. in *Const. D. M. lib.* III. 5. *Constitutionem divæ memoriæ Regis Rogerii aut nostri super probibita diminutione feudorum, & rerum feudalium ampliantes, decernimus omnes alienationes, seu quoscumque contractus super feudis, & rebus feudalibus minuendis, aut commutandi, nullam omnino firmitatem habere: nisi de speciali nostræ celsitudinis licentia confirmentur. Transactiones etiam, si quæ super eis sine mandato nostræ Curiæ factæ fuerint: Jusjurandum interpositum, seu etiam stipulationem pœnalem nullius decernimus esse momenti. Eisdemque contrahentibus, & alienantibus concedimus potestatem, jure proprio prædicta omnia revocare. Arbitria etiam ex compromisso super præmissis facta nulla esse censemus, cum de eis constitutione nostra certo personis magistro justitiario, & justitiæ tantum cognitio sit delata.* Imperator omnem feudi alienationem interdicit; nempe venditionem, donationem, permutationem, transactionem, compromissum, divisionem, subinfeudationem, servitutis impositionem, hypothecam, cessionem, adjudicationem secundo judicis decreto factam Laratha *in Theat. feud. par.* VIII. 57. alteriusve juris constitutionem, nisi Regis consensus obtineatur, etiamsi jusjurandum, vel stipulatio interveniat, sive inter vivos, sive causa mortis alienatio contingat. Quæ constitutio apud nos celeberrima existimatur.

In pluribus vero a jure longobardo discessit, videlicet eo jure subinfeudatio permittitur, modo sincere, iisdem pactis, & in personam æque strenuam fiat II. *f.* 55. §. *callidis*, II. *f.* 9., II. *f.* 26. §. *beneficium*. Servitutem imponere vasallus potest II. *f.* 8. §. *quid ergo*; Sed hæc Fridericus interdixit, Paris a Puteo *de Reddin. cap.* 178. *n.* 2. Jure longobardo vasallus feudum sine domini consensu alienans, illud amittit, II. *f.* 52. II. *f.* 55. sed ex hac Constitutione alienator *jure proprio*, hoc est propria auctoritate, & *speciali*, facto proprio, idest alienationi illegitime actæ opponere se, & actione revocatoria, seu condictione ex hac constitutione contractum alienationis rescindere potest. Sicut & ipse emptor emptionem delere non prohibetur, quia quoties contractus est nullus quilibet contrahens obrogare, & retractare valet *cap.* VI. *de rebus eccl. alien.* cum ex contractu nullo nemini jus quæsitum est. Nec refert, an si nullus interveniisset assensus, an si adfuit, sed non jure præstitus sive ex se, sive ex clausula in eo apposita, nempe Rex assensit, cum hac clausula, si intra annum juramentum fidelitatis exhibeat, litteras assecurationis obtineat; jusjurandum a Vasallis exigat; si hæc non servantur, assensus ruit, & facultas revocandi reviviscit, Tapia *lib.* VI. *jur. Regni tit.* 22. Freccia de subfeud. *lib.* II. *quæst.* I. *n.* 15., *Afflict. hic n.* 40.

Neque pacto inter contrahentes conveniri poteſt, ut alienationem ſine Regis aſſenſu factam revocare non liceret, ſecus revocatio nulla eſſet, niſi ſtatim alteri parti denuncietur, & quod acceptum eſt, reſtituatur; quia jus publicum, ex quo feuda orta ſunt, privatorum pactis abrogari, hoc eſt immutari nequit, præſertim cum nihil ſit, cui hoc pactum innitatur, quia contractus invalidus cenſetur. Verum quantum temporis ad revocandum venditor habeat? jure municipali ſtatutum non eſt; proinde Andr. in 11. *f.* 38. *n.* 9. judicis arbitrio relinquit, qui perpenſa forſitan loci diſtantia, perſonarum qualitate, aliove obice tempus conſtituet, intra quod ſi non revocat, Dominus revocare poterit, & tamdiu illud, retinebit, donec feudatarius vivat, eo mortuo, agnatis teſtituat. Praxim revocationis exhibet Paris de Puteo *de Redin. feud. cap.* 41. *n.* 10. *A certis annis circa inolevit practica, quod alienans Feudum, vel res feudales ſine conſenſu Regis ante aſſenſum impetratum, vocato judice, & notario, & teſtibus rogatis, in teſtimonio publico aſſerit, ſe alienaſſe, vel obligaſſe tale feudum & contractum publicum de eo feciſſe cum tali: & propterea, quia dicta alienatio, vel obligatio dicti feudi fuit facta contra jura, & in præjudicium ſuæ primogenituræ, & ſui utilis dominii, & eſt nulla ideo jure proprio, auctoritate conſtitutionis regni ipſam tanquam de facto factam revocat, & annullat, & pro revocata, & annullata habere vult, ac ſi facta non fuiſſet, & omnia ad ſtatum priſtinum revocat, ac reducit, rogans notarium, quod de tali revocatione conficiat inſtrumentum ad cautelam feudi, & ipſius Domini, & ſuam.* Venditor pretium ſimul cum intereſſe, emptor poſſeſſionem feudi ſimul cum fructibus, ut ſæpe apud nos judicatum eſt, reſtituere debet, Tapia *loc. cit.* Capyc. *in* 11. *f.* 55. *p.* 41. qui mentem Andreæ *in* 11. *f.* 55. *n.* 18. ibi Lipar. enucleat.

Hæc revocandi facultas jus feudale non omnino latuit; nam feudiſta *in* 11. *f.* 44. inquit, *præterea ſi vaſallus ante conſtitutionem Lotharii Regis feudum alienavit: quod in quibuſdam Curiis pro parte, in quibuſdam pro toto olim licebat. & ipſum poſtea recuperabat, pro feudo ſibi retinebat: hoc eſt in cauſſam feudi recadebat. Hodie autem ſi ipſum alienaverit, ſi quidem illicite, licet poſtea recuperaverit, tamen penes eum non remanebit: ut pote domino ad quemcumque pervenerit, apertum.* Hoc eſt olim ante Lotharium, ſeu ſeculum XII. vaſallus, ſine ſenioris conſenſu alienare poterat, & poſtea alio actu forſitan reemendo recuperare, & penes eum pro feudo erat: ſed ex conſtitutione Lotharii, ſi non adeſt ſenioris conſenſus, etſi recuperaverit, Domino tamen aperitur, modo in venditione, aliove contractu traditio interveniſſet, ut

Al-

Digitized by Google

Alver. *hic n.* 3. ſupplet. Fridericus vero non proprie revocandi facultatem induxit, quum hæc potius ex actus invaliditate, quam conſtitutione naſcatur, ſed caducitatis pœnam, ſeu amiſſionem feudi remiſit, Andr. *in* 11. *f.* 55. *n.* 16. ibi Lipar., Roſa *Conſult. xiv. n.* 20., nempe, ut nec Domino, nec agnato devolveretur.

Quæſitum eſt, an heres revocare poſſit? communiter noſtris hanc facultatem tam heredi venditoris, quam emptoris competere placuit, ſive feudum fuerit ex pacto, & providentia, ſive hereditarium, quia heres non impugnat factum defuncti, nec actum a jure improbatum ſervare tenetur; quod enim nullum eſt nullam in herede obligationem producere poteſt, nec ſola defuncti voluntas capax eſt obligandi heredem, niſi eam jus adprobet; nec poſt alienatoris mortem recte aſſenſus impetratur, quia morte ejus, poſtquam contractus in vita non convaluit, ejus dominium ad heredem tranſiit, Camer. *in* 11. *f.* 55. *p.* 88. *& ſeq.* Afflict. *Dec.* 278. Lanar. ad Rovit. *in pragm.* 1. *de fide memor.* Andr. *in* 11. *f.* 55. *n.* 16. Lipar. Deinde ſi defunctus revocare poterat, ergo etiam ejus heres, quia heres eſt ejuſdem poteſtatis, & juris, cujus fuit defunctus, *l.* 59. *De de R.* idcirco *l.* 14. *C. de R. V.*, quæ jubet heredem facto defuncti parere cogi, hic non viget, ſed potius ex ea contrarium hauriri debet.

Qua propter ſi pater feudum antiquum ex pacto, & providentia alienat, in venditione primo filii, ſecundo agnati, tertio ſenior præferuntur, ut ſupra vindicatum eſt; atque communi opinione etiam in feudo hereditario apud nos obtinuit, nec leges feudales, quæ vivo alienatore, protimeſim concedunt, abrogatæ ſunt, Rovitus *in tit. de Feud. n.* 18. nec, mortuo alienatore, jus revocandi excludunt, etiamſi agnatus non reperiatur in gradu ſucceſſionis, ſed ultra eum a legibus noſtris ſtatutum, olim in tertio, hodie in quinto, etiam prælationem habet, Frider. in Conſt. *ut de ſucceſſionibus lib.* 111. 27. *In omnibus autem in quibus prædiximus aliquos veluti ulteriores gradu, ſive in communium prædeceſſorum rebus, ſive in acquiſitis excludi debere ſpem noſtræ gratiæ petentibus non negamus imo ipſos aliis in liberalitate noſtra præferre diſponimus, ſi ejuſdem feudi ad nos rationabiliter devoluti ſimul competitores exiſtant, dummodo a conſanguineis tantum noſtræ Curiæ offeratur, quantum ab extraneo eſt oblatum*, hoc eſt, ſi feudum quaternatum Curiæ aperitur, quia vaſallus ſine liberis deceſſit, ſuperſtitibus in quarto, vel ulteriori gradu agnatis, qui a primo acquirente deſcendunt; Regia Curia pro eodem pretio, quod ab aliis invenit, hos agnatos præferre debet, ſecus eis injuriam irrogaret, ſi extraneos præponere vellet, ne nobilitas, ſplendor, &

conſervatio familiæ periret, ut ſuperius probatum eſt, hinc in feudo novo prælatio non procedit.

Nec tantum agnati jus prælationis gaudent, ſed etiam Univerſitates, dum feudum venditur, vel fructus locantur, vel particularis juriſdictio, nempe civilis, vel criminalis ſecundarum cauſarum, ſiclæ, & Portulaniæ, atque ad regium domanium, ſeu libertatem proclamant. Nam nemini jus ſe a ſervitute liberandi denegandum eſt; vaſalli Baronum propter angarias, parangarias, adjutoria, aliaſque impoſitiones magnam ſervitutis ſpeciem experiuntur, ne inviti a Barone vendantur, ne eorum conditio deterior fiat, naturali impediantur frui libertate, quam ſub immediato Regis regimine gaudere valent. Verum ut Univerſitates hoc privilegio fruantur, tria interveniant neceſſe eſt, Voluntas univerſitatis, quod ejus vires ſuppetant, & Regi eam univerſitatem in ſuo domanio retinere expediat. Et quamvis ante *pragm. 63. de off. Procur. Cæſar.* tempus prælationis judicis arbitrio relinqueretur, hodie ex d. pragm. annus præſcribitur, quo elapſo, etiam reſtitutionem amittit, ut R. Moles, cujus doctam deciſionem refert Tapia *lib. VI. jur. Regn. tit. 9.* Rovit. ad *D. pragm. 63.* prolixe Franc. Marad. *obſerv.* 55.

Denique Fridericus aliam edidit conſtitutionem qua alienari prohibuit, quicquid Vaſallus a R. Curia tenet, niſi Rex conſenſiat. Videlicet in Conſt. *hac edictali lege in perpetuum valitura omnibus Regni noſtri fidelibus expreſſius inhibemus. Ut nullus Comes, Baro, vel miles, vel etiam quilibet alius, vel Clericus, res qualicumque noſtro ſervitio obligatas, de quibus reditus & ſervitia Curiæ noſtræ debeantur, quocumque alienationis titulo inter vivos, vel in ultimis voluntatibus in alium pro parte vel in toto transferre præſumat, vel etiam commutare, unde ſervitium ipſum, aut reditus Curia noſtra perdat.*

Hæc lex eſt generalis, & feuda comprehendit, & omne id quod Baro, Comes, laicus, aut clericus ſub annuo reditu, aut ſervitio, militari, aut aulico, aut paganico a R. Curia tenet. Ne Curia ſervitium amitteret, & ne invita alium vaſallum agnoſcere cogeretur. Et ſcripſit feudiſta in *in* 11. *f.* 12. exemplo ſocietatis, de qua Ulpian. in *l.* 19. *D. pro ſocio, ſocius mihi eſſe non poteſt, quem ego ſocium eſſe nolui.* Verum hæc duplex ratio proprie feudo convenit; ſi aliquod regale ſub reditu, aut alia ſervitii ſpecie quam feudali poſſideat, impune alienare, *ſalvo reditu, ſervitiove*, poterit. Sicut Frider. *in fin. b.* l. verbo *unde*, hoc eſt [illegible] quo contractu ſervitium R. Curiæ debitum pereat, oſtendit. Jure Romano prædia, quæ fiſco tributa debent, alienari poſſunt, & onus ſimul

mul cum iis transit, quin fiscus consensiat, *l.* 2. C. *de fundis Tamiacis l.* 2. C. *sine Censu*.

TITULUS XXXIV.

De Permissa feudorum alienatione.

§. XLIX.

De Excadentiis.

QUamvis Fridericus in d. Const. *D. M.* universalem feudorum prohibuisset alienationem, excadentias tamen excepit, quas Baro, aut Comes, sine Regis assensu alienare valent: *Excadentias autem Baronibus, & militibus locare permittimus: Dummodo sub eo annuo servitio, & reditu locentur, sub quo antiquo locari consueverunt. Ita quod in nullo debitum servitium, vel reditus minuatur.* Et nunc ex instituto de his agendum.

Excadentiarum nomen in Regno vetustissimum est, & bona eorum, qui sine herede moriuntur, significat, ut in diplomate Roberti Principis Capuani, quo an. 1128. monasterio Montis Casin. donat *terras quas relinquunt homines, qui sine herede moriuntur, quæ dicuntur scaditiones, quæ sunt, & amodo erunt*, inquit, Monasterii Mont. Casi. Chronicon *lib.* 10. *c.* 96. jus Romanum *bona vacantia* dicit, vel ut Theodosius *in l. fin. C. de bonis vacant. patrimonium cadens*, ex quo vox *excadentia* apud nos invaluit, hoc est bona, quæ vel morte, vel lineæ interitu, vacant, & concedenti devolvuntur. (*a*) Hæc Afflict. *hic n.* 59. describit, *Baroni-*

(a) Sive in Domanio Regis, sive Baronis vacarent. Sicut ex *Regesto* Frider. II. a P. de Vineis scripto, & a P. Borrello conscripto fol. 2. *Cum de provida provisione sit in nostra Curia ordinatum, ut in qualibet provincia Regni nostri vir unus fidelis, & prudens statuatur, cui per destinatam sibi provinciam demanii MORTICIORUM, & EXCADENTIARUM ad Curiam nostram spectantium comitatur nos confidentes de prudentia, & fidelitate Petri Castaldi de Neapoli fidelis nostri statuimus cum Magistrum procuratorem MORTICIORUM & EXCADENTIARUM animalium camporum aliarum rerum & virium ad curiam nostram spectantium in ipsis partibus tam eorum quæ revocata fuerunt quam etiam quæ deinde per industriam suam & revocatorum sollicitudinem juste poterunt revo-*

Digitized by Google

ronibus, & militibus habentibus fœuda non permittitur indistincte locare res feudales ad eorum libitum voluntatis: Sed eis per istam constitutionem imponitur frœnum: ut tamen eis liceat locare in perpetuo, aut ad longum tempus res excandentiales feudales, id est res, quæ semel jure licito fuerunt concessæ titulo locationis perpetuæ, vel ad longum tempus sub annuo servitio seu, reditu, & posteæ res illa feudalis aliqua ex caussa licita reversa est ad ipsum Baronem, vel militem: istas res excandentiales potest Baro, vel miles concedere titulo locationis sub antiquo, & consueto servitio, seu reditu, absque aliqua diminutione dicti antiqui reditus, vel servitii, ita quod si ex dicta concessione diminueretur antiquum servitium, vel antiquus reditus, locatio esses ipso jure nulla. Et Andr. in Const. *dignum lib.* III. 4. Paris Puteo de *redintegr. feud. cap.* 210.: Lanar. *in tepet.* I. *f.* I. *n.* 82. *& seqq.* ubi ejus Nepos Fulvius, P. de Greg. *par.* I. *de Concess. feud. q.* 2. *n.* 2.

Verum ut excadentiarum natura, & de iis Baronum facultas recte intelligatur, præcognoscendum. In Regno nullus sine Regis assensu, sive laicus, sive clericus fuerit, suum allodium clientelæ nexui subjicere valet; & omnes juris longobardici textus, qui cuique etiam privato de rebus suis infeudandi facultatem concedunt, apud nos a primis Normannicæ gentis incunabulis præsertim sub monarchia exoleverunt. Sola itaque feudorum collatio, quæ a libro, seu regesto, in quo scribuntur, *quaternata simpliciter* dicitur, ad Regem spectat, cui quilibet de populo fidelitatem, homagium, non alteri sine ejus venia præstare, & exhibere debet. Et cum a Rege castra, civitates, & territoria cum vasallis infeudari soleant, idcirco apud nostros paræmia obtinuit, omne castrum præsumi feudale, donec allodium probetur. Præter hanc quaternati feudi speciem adest & altera collatio, quæ *secundum quid quaternata* nuncupatur, ob Regis & Baronis voluntatem, quæ in infeudatione sive castri, seu casalis, sive territorii suæ Baroniæ intervenit, & ab utroque tenetur, & in quinternionibus Regiæ Cameræ describenda, ut prolixe Lanar. *in repet.* I. *f.* I. ibi Fulvius, & Roccus *de offic. rubric.* XII. §. 7.

Et

revocari. Dedimus ei potestatem ut demania MORTICIA, & EXCADENTIAS ipsas præter ea, quæ Curiæ nostra specialiter necessaria non sunt vel de mandato nostro ne locentur excepta ad conservationem & incrementum eorum & nostre Curie commodum locare possit excoli, & reædificari faciat prout viderit utilius expedire sic quod in melius proficiant ne depereant & proventus ipsorum omnium exigat ad opus nostre Curie conservandos.

Digitized by Google

Et quia feudum est universitas, proinde sub universali feudi quaternati investitura, plurima propemodum continentur, quæ omnia *bona redititia* appellamus, hoc est quorum fructus Baroni cedunt, ut feuda plana, & de tabula, seu rustica, tenimenta, seu mansus, censualia, res Curiæ, res solitæ concedi, emphyteuticæ, res feudi particulares, quæ omnes excadentiales vocantur, quarum collatio non ad Regem, sed solum Baronem pertinet, etsi Baronia a solo Rege teneatur. Nec sunt feuda quaternata, nec nobilitatem conferunt, nec proprie feuda, sed feudorum simulacra; sicut nemora, vineæ, montes, planities, aliæque feudi partes in emphyteusim, vel ad libellum, vel annuum censuum, seu reditu concessæ; quod ex Generali Italiæ consuetudine permittitur. Res tamen steriles, etsi Freccia, & Franc. de Amicis confundant, ab excadentialibus differunt: bona sterilia sunt feudi domanialia; excadentiales sunt res, quas Baro sub consueto servitio, & reditu concedere solet, Paris de redin. *cap.* 3. *& seqq.* Fulvi. Lanar. ad Patruum *in* 1. *f.* 1. *n.* 138.

Omne, quod Baro initio investituræ in feudo invenit, domaniale nuncupatur, nec aliquid sine Regis consensu alienare valet; verum acriter a nostris disputatum est, quomodo domaniale in excadentiam immutari adeo possit, ut postea solo Baronis assensu *lacari*, hoc est infeudari valeat? Nonnulli x. annos, alii xxx. alij xl. alii immemorialem præscriptionem requirunt. Suadet opinio Andreæ *in* 1. *f.* 1. *n.* 5. duplici modo ex re domaniali excadentialem fieri, aut in prima concessione Regis assensus intervenit, & tunc si Baroni aperiatur, absque alio Regis assensu, vel solemnitate, iterum infeudare poterit *cap.* 11. *de feud.* Aut initio regium assensum non petiit, non obtinuit, & tunc unica concessio cum spatio xxx. annorum rei demanialis naturam in excadentialem transmutat, & ex domaniali excadentialis evadit, & Baro in possessione infeudandi, seu ad censum, emphyteusim, libellum, reditum, puta gallinæ, chirothecæ, panis, olei, vini, frumenti, & similium sine regis consensu concedendi constituitur, inter fructus feudi recenseri incipit, liberam Baro de ea disponendi facultatem adquirit, modo, ut infra dicam, d. Const. *D. M.* non lædatur.

Præscriptione itaque xxx. an. cum unica concessione, seu collatione conjuncta Baro se tueri potest, ut sine Regis consensu rem suæ Baroniæ domanialem concedat. Sicut feudum planum, & de tabula, seu ipsamet res excadentialis, evadit quaternatum, si unica tantum Regis collatione, xxx. annis Rex tenuerit, Andr. *in* 11. *f.* 16. *n.* 12. cum tempus non modo naturaliter rerum indo-

dolem, & qualitates, ſed etiam civiliter mutet, ut in uſucapione conſtat. Opus tamen eſt bona fide Baronis, qui credebat rem illam infeudare potuiſſe, & ſcientia Regis, contra quem Baro præſcribit, quia Rex dumtaxat in Regno feuda erigit, ſolus bona ſua alienat, aut ſcientia ſui officialis, quo rerum conditio ſicut melior ita deterior reddi poteſt, quod male Fulvius Lanar. *loc. cit.* n. 143. negavit, & *lib.* 11. *tit.* 1x. §. 16. probavi, Curte in *Diverſ. pag.* 14. *n.* 36.

Nunc de modo, quo excandentias locare, ſeu infeudare poſſit, nempe quoties terras incultas, arando, colendo, ſerendo, plantando, meliores, cultiores, & fructuoſiores ſub ſolito ſervitio infeudat, quod vel ab antiquo ab aliis Baronibus, aut a Rege, dum caſtrum, aut civitas illa in domanio Regis vivebat, vel ab ipſo Barone poſſidente, qui initio illud conſtituit, recipiebatur, ut ex clauſula, quæ in feudorom conceſſione apud nos apponi ſolet ab Andrea *in* 11. *f.* 16. n. 10. relata conſtat, *donamus tibi talem terram cum omnibus juribus. & pertinentiis ſuis, quam de demanio in demanium habeas tu feudatarius: quam de ſervitio in ſervitium, ut feudatarii alii, qui ſunt in illa terra, non habentes feudum quaternatum, ſed planum, & de tabula ſibi ſerviant.* Aut latis erit, ſi clauſula *cum feudatariis, & ſubfeudatariis* apponatur (*a*). Baro enim ſervitia aut a feudis quaternatis ſecundum quid, aut a planis & de tabula, ruſticis, manſis, uno verbo excadentiis debita remittere, immutare, aut imminuere nequit; nec quæ ſunt Baroniæ domania; nempe piſcationes, ve-

(a) Pulchrum conceſſionis cujuſdam Caſtri occurrit apud P. de Vineis *lib.* VI. *cap.* 25. *Per præſens privilegium notum facimus univerſis tam præſentibus, quam futuris, quod nos attendentes fidem puram, & devotionem ſinceram, & grata ſervitia quæ N. fidelis noſter, noſtro culmini fideliter exhibuit hactenus, & inceſſanter ad præſens exhibet, & exhibere poterit devotius in futurum: Caſtrum C. & Juſtitiariatus cum omnibus juſticiis, juſtitiariis, rationibus omnibus, & pertinentiis ſuis quæ de demanio in demanium, & quæ de ſervitio in ſervitium eidem, & heredibus ſuis provenire potuerunt in perpetuum de ſpeciali gratia, & ex certa ſcientia noſtra duximus concedendum.* Reſervat, ſervitia, & jus primogeniture conſtituit. Et aſſidue in omnibus hujus Regni Clientelarum conceſſionibus fere hæc clauſula occurrit, quæ *de demanio in demanium, quæ de ſervitio in ſervitium.* Et Baroni bona domanialia, & quæ ſervitia, redituſque feudo præſtant, jus alienandi denegabat; & hodie utimur.

Digitized by Google

venationes, aucupia, montes, paludes, nemora, territoria, reditus, jurisdictiones, vendere, aut alienare præsumat, nisi infeudari solita fuerint, hoc est excadentiarum naturam assumpserint; nec remittere servitia, reditus, & fructus, qui ab his bonorum speciebus exigi consueverunt, Paris de Puteo *de redint. cap.* 5. *&* 6. *&* 20., Capyc. *in Invest.* §. *feudorum clausulæ pag.* 104.

Neque has excadentias sub allodiali natura, sed feudali concedere tenetur d. Const. D. M. & Regestum Friderici, cujus verba refert Andreas *in* II. *f.* 40. *n.* 8. *quod si feudatarius terras parum utiles de demanio locet, ut plantentur, & certa portio fructuum reddatur annuatim domino, non pecunia, quod potest: & non revocatur, nisi tam modica esset portio, ut rationabiliter fraus præsumatur. Et ideo illud est verum, quod in augmentum feudi possit,* & in Const. *D. M. v. minuendis.* Verbum *locet*, quo utitur Fridericus non ostendit allodialem concessionem, sed feudalem, sicut data vasallo facultate, ut feudum alienaret, de utili tantum dominii translatione, non directi intelligitur, quia rei immutatio nunquam præsumenda, nisi probetur, Fulvius Lan. *loc. cit. n.* 150. Camer. *in* II. *f.* 55. *p.* 40. Nec tantum sub solito servitio, sed & sub certa fructuum portione, non vero in pecunia, ut nostris Prudentibus perpetuo placuit, concessio fieri debet, nec sub modica fructuum portione, ne dolus malus præsumatur. Cur vero Imp. in pecunia prohibeat? Respondet Fulvius *loc. cit. n.* 156. quia facilius conditio feudi augetur, cum ex cultura fructus, non ex pecunia augeantur, & Fridericus augmentum feudi respicere voluit. Cumia tamen *in cap. si aliquum v. in capite n.* 24. P. de Gregor. *de Concess. feud. par.* II. *q.* 7. *n.* 24. *& Andr. in d. Const. v. minuendis*, etiam in pecunia exigi posse concedunt, modo fraus procul esto.

Ex his natura Excadentiarum eruitur. Et (1) Baro dum eas concedit, servitium, reditum, vel pecuniam remittere nequit, quia tunc esset donatio, nisi remittat, donec ipse vivat. (2) Hæc bonorum species non est feudalis, cum pro iis nulla Baroni fidelitas, sed reditus præstetur, & in commissum cadit, si canonem non solvit, etsi res ipsa feudalis dicatur; hinc iisdem culpis, quibus vasallus feudum amittit, excadentiarum possessor eas non perdit, cum hæc parva feuda, rustica, & mansus jure feudi non censeantur, nec jure feudali, sed Romano succeditur, Const. *si quando contigerit lib.* III. 10., Glos. in const. *ut de successionibus* Paris a Puteo *loc. cit. cap.* VIII. C. 37. (3) Barones in harum concessione Clausulam apponunt, ut vendere, donare, in dotem dare, aliove modo alienare sine sua licentia non possint, & pro consensu ter-

tiarium, seu laudimium accipiunt, d. Const. *si quando*, ibi Andr., & Paris *cap.* 141. *n.* 9. Tertiaria est tertia pars pretii rerum feudorum, dum venduntur, quæ ob utile dominium possessoris Baroni dabetur. (4) Quoniam excadentialis est res particularis feudi, idcirco nisi tempore, cujus memoria nescitur præscribi non potest, modo a servitio, aut reditu libera adquiri contendatur, quia feudi conditioni, hoc est adohæ, & servitio a Barone Regi præstando nocet, Const. *consuetudinem lib.* III. 38. Paris *loc. cit. cap.* 276. *n.* 15., & *cap.* 170. *n.* 10. (5) Si excadentiæ augmentum natura, videlicet alluvione accedat, augetur servitium, nec augmentum possessor alienare potest, & ejus naturam assumit, I. *f.* 4. §. *si quis* ibi Andr. & Lipar. Paris *loc. cit. cap.* 120. cujus ipsa excadentia censetur, sicut dotis augmentum eadem dos est, nec aliam cudit, ejusque qualitatem sequitur *l.* 8. *C. de jure dot.*

Devolutis autem ad Baronem excadentiis, an ipse iterum concedere obligetur? Regni Interpretes dissensiunt, quorum opiniones, si lubet, Lanar. *in* I. *f.* I. *n.* 131. dabit. Si Friderici mentem intuemur, facultatem, non necessitatem vasallo imponit, ut ex verbo *permittimus* constat. Et Paris de Puteo de *redin. cap.* VI. vetustam regni consuetudinem ab auctoritate potius Baronum, quam juris conditam n. 15. afferat: *Tamen Barones dicunt, quod est consuetudo in regno, quod bona excadentialia tenetur Baro, cum excidunt, concedere, & non retinere pro suo demanio, ne ordo feudorum pervertatur. Et dicunt, quod videtur dari feudum ea conditione, quod demanialia teneat in demanio & redditicia ad reditum concedat. Moventur per dicta verba privilegiorum, quæ de demanio in demanium & quæ de servitio in servitium*, quam tamen clausulam Andreas *in* II. *f.* 16. *n.* 10. non sicut regni Barones intellexit, nempe quæ de demanio in demanium habeas tu feudatarius: quæ de servitio in servitium, scilicet ut alii feudatarii, qui in eo castro sunt, nec habentes feudum quaternatum, sed planum, & de tabula, tibi serviant. Fateor jure Barones cogi non posse, etsi consuetudo secus jubeat, cum Fridericus licentiam infeudandi, non sibi retinendi concessisse videatur, Lanar. *loc. cit. n.* 155., et Nepos *in addit. ad* §. *si quis per triginta* II. *f.* 26. *n.* 42. Afflict. in Const. *ut de successionibus n.* 54. Ponte *de Potest. Pror. tit.* III. §. 3. *n.* 40., ubi Paridem arguit de antiqua & contraria regni consuetudine loquentem quæ esse non poterat, cum ipsis Baronibus plurimum nocuisset. Et potius mores vigent, ut libere de excadentialibus disponant, & mensæ suæ applicent.

Devoluta igitur ad Baronem excadentia statim evadit domanialis, si in censu aliarum rerum Baroniæ demanialium conscribat, &

& menſæ ſui feudi incorporat, ſi ita loqui fas eſt. Verum ſi de hac incorporatione non conſtat, forſitan eam a bonis domanialibus ſeparatam retinuit; recte Andr. *in* 1. *f.* 1. *n.* 4. inquit, hac in re præſcriptione opus eſſe, non qualibet, ſed xxx. annorum, quæ apud juris feudalis auctores frequentari ſolet, & in feudis potiſſimum uſurpatur, quaque rei conditio immutatur, acquirit quis jus vaſallagii, & in poſſeſſione illius rei ita affectæ ſe conſtituit. Si Baro iterum in rem excadentialem convertere, hoc eſt ſub conſueto ſervitio concedere velit, ſolemnitatem, videlicet Regis conſenſum adhibere tenetur, ex generalis juris regula, quæ domania Baroniæ, inſalutato Rege, alienare interdicit, Franc. de Amicis *in* 1. *f.* 1. *pag.* 44.

§. L.

De Dote, & Dotario.

VEtuſtis Regni legibus Baroni dotem, & dotarium in feudo ſuæ uxori ſine Regis aſſenſu conſtituere permittitur. (a) Et pri-

(a) Nec tantum Barones in Regno, ſed & ipſi Reges dotarium, ſive dotalitium ſuis uxoribus conſtituebant. Willelmus II. Siciliæ Rex Joannæ uxori ſuæ Henrici II. Angliæ Regis filiæ in nonnullis civitatibus, dotarium aſſignavit. Cujus diplomæ refert Robertus a Monte *in append. ad Sigibertum ad an.* 1178. *Guliel-mus Rex Siciliæ divina favente clementia ducatus Apuliæ, Princi-patus Capuæ, per hoc præſens ſcriptum damus, & in dotalitium concedimus Joannæ Reginæ chariſſimæ uxori noſtræ, Henrici magnifi-ci Regis Anglorum filiæ, Civitatem Siponti & Civitatem Veſtæ, cum omnibus juſtis tenimentis ſuis, & pertinentiis earum. In ſer-vitio autem ei de tenimentis comitis Gaufridi, Alezine, Peſchizan, Bizum, Captile, Batanum, & Silizum, & omnia alia, quæ ibi Comes de honore ejuſdem comitatus Montis Sancti Angeli tenere de-gnoſcitur, condecimus etiam ei ſimiliter in ſervitio Caudelarium, Sanctum Clericum, Caſtellum paganum, Biſentinum, & Cognanum. Inſuper concedimus, ut ſint de tenimento ipſius dotarii, Monaſterium Sancti Joannis de Lama, & Monaſterium Sanctæ Mariæ de Pulſano, cum omnibus Tenimentis, quæ ipſa monaſteria tenent, de honore præ-dicti comitatus Montis Sancti Angeli* Annal. Angliæ in ſuæ. *Ita quidem ipſa Regina uxor noſtra predicta omnia ſemper recognoſcat, ut* here-

ma lex quæ apud nos invaluit, fuit Regis Rogerii in Conſt. *Si quis Baro lib.* III. 13. *ſi quis Baro, vel miles uxorem duxerit, & tria feuda habuerit, liceat ei unum dotarium uxori ſuæ de tribus feudis conſtituere: Si autem pauciora habeat, ſecundum qualitatem, & quantitatem feudorum dotarium ei in pecunia conſtituere permittimus. Ceterum ſi plura tribus habeat, pro portione, quæ ſuperius ſtatuta eſt, habita, dotarium ipſum conſtituere licebit. Comes autem, vel Baro, qui caſtra tenet, de caſtris ipſis dotarium conſtituere poterit, dum tamen caſtrum, unde Baronia, vel Comitatus nomen aſſumpſit, in dotarium conſtituere non poſſit.*

Sanxit Rogerius, quod ſi Baro, vel Miles tria feuda poſſideat, uxori dotarium in uno ex his ſtatuere poſſet; ſi duo, vel unum, dotarium in pecunia conſtituet; ſi plus quam tria habeat, in uno etiam aſſignet. Modo non conſtituat in illo caſtro, a quo Baronia, vel Comitatus nomen aſſumit. Hic Baro a feudatario diſtinguitur: Baro eſt, qui feudum quaternatum habet, quod ſub ſe alia feuda quaternata continet, quæ alius tenet; nam Baronia eſt nomen Univerſitatis ſub ſe multa feuda continens. Feudatarius ſeu miles eſt, qui habet feudum xx. unciarum, ex quo adoha R. Curiæ præſtatur, & evadit Baro, ſi illud conſenſu Regis alienat hac conditione, ut ab eo teneat, & tunc regis conſenſus feudum quaternat, Andr. *in* II. *f.* 51. *n.* 20. *&* 21. Afflict. *hic n.* 1. *&* 2. P. de Greg. *de Conceſ. feud. par.* II. *q.* 3. *n.* 4. Curte *in Diverſ. par.* II. *c.* 5. *n.* 93.

Supervenit lex Willelmi I. in Conſt. *fratribus lib.* III. 17. & permiſit fratribus poſt mortem patris, ſi in hereditate allodia aut mobilia, aut immobilia non ſupereſſent, ſororibus ſuis bona patris feudalia pro dote obligare; & ſi tria feuda habeant, unum ex eis in dotem ſororibus dare poſſent; claululam deinde ſubdit, *ut tamen in omnibus ſupradictis, quando feudum alienatur, vel obligatur, aut in dotarium conſtituitur, matrimonium ipſum de ſpeciali noſtra licentia contrahatur. Aliter omnes conventiones nullas vires habebunt.* Tempore Willelmi in Sicilia lex erat, neminem ex Baronibus matrimonium contrahere, niſi Regis placitum interveniſſet; lex cultioribus populis jam audita, & ſervata, ſancta eſt. Verum Rex ea abutebatur, & non paucas in Regno tunc ſeditiones, & odia

---

heredibus noſtris, nobis noſtra ordinatione in Regnum ſuccedentibus, & de omnib. præſcriptis tenimentis ſervitium, prout exigit feodum eorum, integre, & illibate jam dictis heredibus noſtris faciat & maneat ſemper in eorum fidelitate. Eandem dotalicii conſtitutionem refert Hovedenus *in Annal. Angl. in Henrico II. ad an.* 1177.

Digitized by Google

odia Baronum in ipsum excitavit, dum assensum puellis præstare recusabat, ut annis, & vetustate onustæ, feuda ad R. Curiam devolverentur, quod suis Legatis Matthæus Bonellus palam exprobravit, sed Rex restitit, Hugo *in Hist. Sicul. in fin.*, dixi *lib.* II. *tit.* IV. §. 13. Ex hac constitutione videtur non tam stricte Regis veniam in Baronum nuptiis perquiri, dum, inquit, si feudum pro dote, aut dotario datur, assensu Regis opus esse, cum nuptiæ contrahantur. Quid si non feudum, sed allodium in dotem daretur, tunc in matrimonio Regis licentia non requirebatur, & ita suspicor. Ceterum Willelmus hoc jus assentiendi in nuptiis nunquam ab se abdicavit, quod Montan. *in* II. *f.* 55. *n.* 167. *&* Ponte *de Pot. Prer. tit.* VI. *n.* 5. non intellexerunt. Et dum assensus intervenit, hic pro licentia Regis in feudorum alienationibus existimatur.

Primus in Regno Willelmus induxit posse feudum in dotem obligari, aut dari, sine Regis assensu, si nuptiæ consensu Regis celebrantur; cum Rogerii constitutio de dotario tantum statuisset. Etsi Feudista in §. *devare* II. *f.* 9. feudale prædium, aut jus in dotem filiæ, aliive citra amissionis jacturam sine senioris venia dari non posse postea instituisset, & proinde mores Longobardorum hac in re non retinuit. Et licet sub nomine fratris tam frater, quam soror carnalis intelligatur, tamen patruelis, qui est in quarto gradu, & hoc jure in feudis non succedit Const. *ut de successionibus*, non continetur. Verum tunc frater obligat feudum pro dote, vel in dotem concedit, quoties defuncti patris allodia deficiant, & penes maritum feudum cum servitio, atque oneribus erit, sicut penes dotantem reperiebatur, Afflict. *hic n.* 6. Diom. Mariconda *hic*. Willelmus de fratre tantum meminit, an pater feudum filiæ in dotem dare poterat? Mores longobardorum tunc negabant, in fratre tantum correxit, in patre igitur nihil derogavit, etsi, teste Afflictitio *hic n.* 10. Regina Joanna I. hanc legem ad patrem extendisse diceretur, dicam infra.

Exstincta Nortmannorum stirpe, Sueviça succesit, quæ, etsi in nuptiis Baronum regium assensum sibi restituisset, Const. *honorem nostri diadematis lib.* 3. 33. Const. *sancimus lib.* III. 22. tamen in Const. *lib.* III. 15. inquit, *licentiam Baronibus, & militibus impartimur, posse etiam de duobus feudis dotarium constituere. Et si unum tantum, & dimidium habeat, dimidium feudum ei in dotarium constituere licebit. Ceterum si unum tantummodo, non in terra, sed in pecunia uxori suæ qualitate feudi facultatem constituendi dotarium in posterum Barones, & milites sibi noverint, fore permissum.* Rogarii legem excepit, in eo correxit, ut si Baro

ro duo feuda habeat, in uno ex his dotarium conſtituere, ſi unum & dimidium, in dimidio; ſi unum dumtaxat, tunc in pecunia poſſet, quin Regis aſſenſus obtineretur. Abrogavit tamen legem Willelmi, qui tacitum conſenſum, ex licentia contrahendi matrimonium, ſi feuda in dotem darentur, permiſit, ſed Fridericus in alienatione feudi expreſſum ex d. Conſt. *D. M.* requirit, diſſen. Montan. *loc. cit.* n. 108.

Attamen de muliere, quæ ſuum feudum in dotem dare poſſet, nihil cogitatum, jus longobardicum, ni decipiam, ſervabatur, quo mulier feudum viro, modo non æſtimatum, nec cum pacto de lucrando dare ſine ſenioris aſſenſu poterat 11. *f.* 13. licet hunc textum magna Interpretum turba, cum conſenſu ſenioris intelligat; nihilominus Imp. Fridericus in archivo, quod Andr. *in* 11. *f.* 9. §. *donare* refert, diſpoſuit, *Imperator Federicus in Regno Siciliæ, ſicut patet in ſuis regiſtris, quæ ſunt in archivo, ſtatuit, ut ſi demanium feudi detur in dotem inæſtimatum, vel etiam æſtimatum pro certa quantitate dotis: Compellatur dotans ad pecuniam: & ſi non ſit ſolvendo, dimittatur apud accipientem in dotem hujuſmodi res feudalis, nomine pignoris reſtituenda per eam, quando habebit pecuniam: inſtrumento alienationis, id eſt dationis in dotem annullato: fructibus propter onera matrimonii non computatis: ſervitio faciendo Curiæ per eum qui tenet: hoc ſatis æquum fuit ab illo, qui fuit rigidus in ſuis juribus exigendis: ſicut eſt videre per dictum regiſtrum: maxime, quia dotis cauſſa præcipua debet eſſe,* & in d. Conſt. *fratribus* & in Conſt. *in aliquibus v. quintumdecimum. v. verius videtur.*

Voluntas Imperatoris eſt: ſive mulier ſuum feudum, ſive alius in dotem dederit, aut æſtimatum, aut inæſtimatum, datio dotis etiam ſine Regis aſſenſu valeat, reſciſſo æſtimationis inſtrumento, feudum penes maritum loco pignoris manebit, lucrabitur fructus, quando feudatarius non eſt ſolvendo, fructibus non computandis in ſortem, donec vere dos ſolvatur. Atque ſi feudum Regi aperitur, etiam jus pignoris in eo durat. Hinc jus longobardum a diſpoſitione hujus regeſti Imperatoris differt: jure longobardo omnis feudi alienatio, & pignoratio ſine ſenioris conſenſu facta, dum feudum ſeniori devolvitur, extinguitur: ſed ex hoc Regeſto, perſeverat, Lipar. *ad Andr. in d.* §. *donare*, Camer. *in* 11. *f.* 55. p. 85. Ponte *de Pot. Pror. tit.* VI. *n.* 4. Atque hoc modo mulieri, aut alteri dotem in feudum dari permiſit.

Suevis Andegavenſis familia ſucceſſit, & Carolus I. *in cap. ad majeſtatis noſtræ audientiam*, quod hodie non extat, ſtatuit non modo in Baronum nuptiis conſenſum Regis adhiberi, ſed etiam ſi

Rex

Rex super nuptiis contrahendis assensit, feudum nihilominus in dotem dari non potest, nisi alius assensus obtineatur.(a) Sed Carolus II. in Cap. *item statuimus, quod licitum*, cuique liberam nubendi facultatem sine Regis placito concessit, & subdit, *dummodo feuda, vel res feudi non dentur in dotem, & dummodo eadem* (matrimonia) *inter fideles contrahant, & fiant. Quod si secus factum fuerit, sive quod feudalia dentur in dotem sine Curiæ assensu, sive quod cum infidelibus contrahant, feuda amittant illi, qui sine assensu contraxerunt, & ad jus Curiæ applicentur. Et qui cum infidelibus se de prædictis personis matrimonialiter copulaverit. Si vero bona feudalia dentur in dotem, requiritur assensus. Quod infra octo dierum spacium, postquam partes ad Curiam pro eo requirendo pervenerint, & se ipsi Curiæ præsentaverint (si ipsorum fides nota non fuerit) in Curia de ea constare poterit, fiat inquisitio infra breve tempus, quo poterit. Et postquam inquisitio præsentata fuerit, secun-*

(a) Carolo I. Jurisprudentia Suevica, & Universalis tunc in Europa lex placuit, ut feudales nuptiæ consensu Senioris indigerent, ut ex Archivo 1280. B. fol. 22.

Karolus dei gratia Rex Jerusalem & Sicilia &c. Tenore presentium notum facimus Universis, quod petrus de abioso de acerris tenens quedam bona pheudalia in acerris & pertinentiis suis fidelis noster majestati nostre actentius supplicarit, ut tum inter ipsum ex parte una, & palmam sororem Goffridi de Rocca tenente similiter quedam bona pheudalia ex altera verba sint habita ad invicem de matrimonio contrahendo cum rebus mobilibus usque ad summam unciarum auri quadraginta matrimonium ipsum sic inter eos fieri concedere de gratia dignaremur. Nos autem ipsius supplicationibus inclinati quia de fidelitate ipsorum Curie nostre constat per Inquisitionem inde factam de mandato nostro per quondam Girardum de arrus olim Justitiarium terre laboris, & comitatus molisii fidelem nostrum & sub sigillo suo Curie nostre missam de matrimonio ipso sic inter eos ad invicem contrahendo cum rebus mobilibus ut est dictum dummodo utrique parti placeat benignum prestamus nostre majestatis assensum. Ita tamen quod mulier ipsa aliquo tempore inventa fuerit per se tenere & possidere aliqua bona pheudalia, bona ipsa pheudalia que sic tenere, & possidere per se inventum fuerit in penam commissi mendacii, & manifeste fraudis ac presentis rescripti veritate tacita impetrat curie nostre totaliter applicentur predicta vero mulier habet quinque fratres masculos ex utroque parente sicut invenitur per Inquisitionem predictam. Datum apud Turrim Sancti Herasmi prope capuam die IX. Aprilis VIII. Indictionis. Et passim in Regestis Caroli I. occurrit.

Digitized by Google

ſecundum merita inquiſitionis ipſius, quam citius poterint, expediantur.

Hoc Capitulo Carolus abrogat Conſt. Friderici *honorem noſtri diadematis*, & Conſt. *cum hereditarium*, Capitulum ſui Patris *ad majeſtatis*. Deinde Carolus I. in cap. *ſatis conſtat*, ſtatuit nullum ſine Regis aſſenſu nuptias contrahere cum filiis, aut filiabus, vel proditorum, vel qui Banniti ſunt, pœna omnium bonorum publicationis; ſed iſtud etiam abrogavit ejus filius Carolus II. in Cap. *humanitatem*, in quo crimen læſæ majeſtatis & hæreſis tantum excepit. Verum licet jus nubendi Baronibus, & vaſallis conceſſiſſet, tamen feuda in dotem dari, aut cum infidelibus (quos ſiculos præſertim intelligit) nubere, ſine ſuo conſenſu non permiſit. Abrogat & Cap. *in matrimoniis* Honorii IV. qui Baronibus & nuptias, & feuda in dotem dari ſine Regis conſenſu conſtituit, Neapodan. ad *d. cap. item ſtatuimus*, Andr. *in* II. *f.* 55. *n.* 7. *&* 8. Ponte *de Pot. Prov. tit.* VI. *n.* 7. & ſi feudum in dotem ſine aſſenſu concedatur, Regi aperiri conſtituit; & hæc eſt prima lex, quæ propter illicitam alienationem, feudum amitti ſanxiſſet, nec poſtea ſervatam legimus.

De Dotario Carolus II. in *cap.* 66. ſtatuit, *dotarium in terra feudali conſtituant feudatarii uxoribus abſque licentia noſtra, vel Curiæ noſtræ. Sed viro præmortuo mulier dotarium habens non det in dotem, vel uſumfructum dotarii ſine aſſenſu noſtro, vel Curiæ noſtræ, dum nubat ſecundo.* Rogerii, & Friderici legem ſecutus. Cur Carolus prohibuit feudum in dotem dari, ſed dotarium ſuper eo conſtitui permiſit? Capyc. *in* II. *f.* 55. *p.* 18. reſpondit, quia dotis datio transfert dominium, in dotarium autem uſusfructus tantum tranſit; male: ratio, inquit, Lipar. ad Andr. §. *donare* II. *f. g.* §. 8. quia Carolo ſic placuit, & magis dotario, quam doti favere voluit; & in dote conſtitutionem Rogerii, & Willelmi, & Friderici regeſtum correxit. Imo ſi iterum nuptiæ contraherentur, dotarium ſine aſſenſu in dotem dari prohibuit, Ponte *loc. cit. tit.* VII. §. 1. *n.* 1. *&* 2. Montan. *loc. cit. n.* 169. Roccus *de offic. rubr.* XIX. *n.* 52.

Jus noſtrum municipale ſic paulatim crevit uſque ad Ferdinandum I. qui, precibus Neapolitanis *an.* 1505. *in pragm.* II. *de feud.* ſtatuit pro dotibus neapolitanæ mulieris regium aſſenſum ſubintelligi, hoc eſt, ſi mulier dotem Baroni viro tempore nuptiarum tradit, etſi dotale inſtrumentum habuerit, quo cum regio aſſenſu obtinendo bona feudalia ſibi obligat, tamen ſæpe aut negligentia, aut ignorantia, aut Baronis malitia Regis aſſenſum non impetrabat, & plurimum Mulierum dotibus nocebat. Idcirco Ferdinandus ſta-

Digitized by Google

ſtatuit, ut ſtatim a die nuptiarum, & dotalis inſtrumenti Regis aſſenſum pro dotis aſſecuratione in feudo ſui viri ſubintelligi oporteat. Sive mulier cum exteris, ſive exteri cum neapolitanis mulieribus contraherent, ſicut *in pragm.* III. *eo.* ipſemet Ferdinandus conſtituit. Hæc tamen Regis gratia pro obligatione, conſervatione, & reſtitutione dotium, Patri nuptæ mulieris, ad quem dotis reſtitutio fieri debet, non prodeſt; neç ad antefatum extendi poteſt, cum natura aſſenſus ſit, ne de caſu ad caſum, perſona ad perſonam, contractu ad contractum porrigatur, Revert. *deciſ.* 377.

Attamen Carolus v. *an.* 1539. *in pragm.* VIII. *de feudis*, precibus Neapolitanis ab aula Madrid reſcripſit, Regis aſſenſum ſubtelligi obtentum ſuper bonis, & juribus feudalibus obligatis, vel obligandis, pro conſequutione, reſtitutione, & conſervatione dotium, antefati, & illius uſusfructus, ſicut dotale inſtrumentum diſponit. *Item ſi ſupplica la voſtra Maeſtà, che ſi degni dichiarando ampliare, & quatenus opus eſt, æque principaliter, e di nuovo concedere, che alle donne Napolitane, o Cittadine, ovvero maritate con Napolitani in Napoli, intelligatur, & ſit præſtitus aſſenſus regius ſuper quibuſvis bonis, & juribus feudalibus, etiam titulatis obligatis, & obligandis per la conſecuzione, reſtituzione, e aſſecurazione degl' antefati, e loro uſufrutti, giuſta la forma, e vigore degl' iſtrumenti, e cautele, confette, e conficiende, per la conſecuzione, reſtituzione, e aſſecurazione dei predetti antefati, e uſufrutti. Placet.* Rovit. *ibi n.* 7.. Hoc capitulum merito Prudentes intelligunt, quoties bona allodialia viri deficiant, hypothecaria ſuper ejus feudo ad dotis, & antefati reſtitutionem agi poteſt. Etſi Ponte *de Pot. Pror. tit.* VI. *n.* 15. diſſentiat: ſed male, nam noſtrorum Regum liberalitas precibus idcirco annuit, ne mulieres indotatæ remanerent, nec neceſſitas eos cogere poterat, ut potius ſuper feudis, quam allodiis dos tutior eſſet; igitur ſi allodia ſuperſunt, obligatio feudalis perit. Et omnis gratia, quæ juri univerſali feudorum alienationem vetanti derogat, ſtricte intelligenda eſt; atque immerito Camerarium *in* II. *f.* 32. *n.* 157. carpit, qui nobis ſentit; & aſſidue judicatum eſt, Revert. *dec.* 579.

Sed ante Philippum II. certabatur, an aſſenſus Gratiæ ad bona feudalia ſoceri dotantis extendi poſſet? Philippus an. 1586. in *pragm.* XXIV. *de feud.* legalem aſſenſum pro dotibus obtentum intelligi, in beneficium omnium, quibus earum ſolutio, aut reſtitutio faciunda erit. *Item eſſi fidelisſimi Città, Baronaggio, e Regno eſpongono a Voſtra Maeſtà, come la Sereniſſima Maeſtà del Re Cattolico, e dopo la Maeſtà Ceſarea di glorioſo ricordo hanno conceduto aſſenſo ſopra l' obligazioni de' beni feudali, così a beneficio del ma-*

marito per le consecuzioni delle doti, e mutui da essi dipendenti cogl' interusurii, come a beneficio delle donne, per l' assecurazione, e restituzioni d' esse doti, antefati, e loro interusurii, e nei casamenti, i quali si facevano tra persone, delle quali una almeno sia Napolitana abitante in Napoli giusta la continenza, forma, e tenore d' essi istrumenti, e perchè, Cattolica Maestà, detto assenso conceduto per modum legis in remunerazione de' servigii senza clausula quoad expresse tantum relative alla formula, e clausula di essi istrumenti, dee intendersi prestito a beneficio di tutti quegli, ai quali si promette la restituzione di esse doti negl' istrumenti dotali ai quali esso assenso si riferisce generalmente. Desiderando però essi supplicanti riconoscere dalla mano liberalissima di Vostra Maestà per grazia tutto quello che per ragione di essi supplicanti si dovesse, la supplicano, che si degni ordinare, che detto assenso si intenda prestito in detta ipoteca di beni feudali a beneficio di tutti quegli, ai quali si deve fare il pagamento, e restituzione di dette doti, mutuo, e interusurii; secondo la forma di essi istromenti. Placet. Et Rovitus ad antefatum quoque extendit; hinc si mulier decesserit, omnes ejus heredes pro dotis consequutione agere possunt, Ponte *loc. cit. n.* 45.

Nunc de Dotarii quantitate, & indole: Dotarium jure longobardo quarta, jure feudali tertiaria, jure romano donatio propter nuptias, quæ novissimo jure æqualis doti esse debet, *auth. qualitas C. de pactis Conven.*. In feudis est tertia pars bonorum viri, sicut in Const. *si quis baro*, & Const. *licentiam*, ubi si Baro habet tria feuda pro dotario unum constituat. Non tamen uxori debetur, nisi nuptiis fuerit statutum, vel promissum, nec statutum præsumitur, nisi probetur, & uxor sibi imputet, si tempore nuptiarum constitui non petiit. Tam inter vivos, quam caussa mortis assignari a viro potest, & caussa mortis uti legatum valet, non debetur, nisi deducto ære alieno. Si matrimonium non fuerit consumatum, sed tantum nuptiale osculum intervenit, medietatem dotarii consequitur *l.* 16. *C. de donat. ante nupt.* nisi culpa viri uxor cognita non fuerit, tunc integrum dotarium obtinebit. Duo enim proprie dotario caussam dederunt, dotis constitutio, & virginitatis amissio, si hæc cessant, cessat & antefatum *l.* 24. *C. de Donat. int. vir.* ibi *præmio pudicitiæ cessit*. Nisi vir virginitatis suæ uxoris jacturam, & naufragium prius cognoverit, ut si concubinæ, vel meretricis munus exercebat, conf. Capan. *de dote qu.* VI. Attamen dotario carebit, si virum suum occidit *l.* 10. *D. solut. matrim.* aut si adulterium non vi, aut metu coacta commisit, Nigris ad *Cap. Caroli II. mulier*, Napodan. *ad Consuet. de jure quartæ*,

Digitized by Google

ne, Afflict. ad Const. *licentiam*, Const. *fratribus*, Andr. *in* 11. *f. 9. §. donare.*

Uxor in dotario non dominium, sed usumfructum consequitur, Willelmus I. in Const. *mulier lib.* III. 16. *Mulier quæ dotarium habuerit in terra, post mortem viri heredem, vel dominum Baroniæ de dotario assecurare tenetur, videlicet de vita, membris, & captura corporis sui, & quod non quærit artem vel ingenium; qualiter prædictum dotarium de Baronia, vel comitatu subtrahatur, salvo per omnia mandato superioris domini.* Nam Baro feudi usumfructum habet, in quo recte dotalitium constituit, *cap. VI. de donat. int. vir. & uxo.* Mortuo viro uxor assecurationis jusjurandum Comiti, vel Baroni, in cujus Comitatu, vel Baronia est terra feudalis sibi in dotarium statuta, vel heredi in feudo succedenti præstare tenetur, ut bona corporis, animi, & dotarium ipsum conservet, & a feudo non subtrahat, & supra diximus. Et ipsa ab hominibus dotarii assecurationem, salvo Comitis, aut Baronis jure, exiget, eos opprimere non debet, servitium Regiæ Curiæ, non domino Baroniæ, exhibet, & jurare filiis in feudo succedentibus, non cogitur, sicut Willelmus hic sanxit. Relevium de dotario solvit, excadentias infeudat, juspatronatus exerceet, hoc est presbyteros Ecclesiæ in suo dotario vacantis præsentat, Roye in *proleg. jur. patro. c.* 11. & ex d. Willemi Regis dotalitii charta constat. (a) Omnesque fructus percipit, Andr. *hic*, Afflict. *eo. n.* 4.

Hanc Willelmi legem retinuit, & explicavit Carolus II. *in*

(a) Quamvis Richardus Cantuariensis Archiepiscus an. 1175. coram Henrico II. Angliæ, & Ludovico Francorum Regibus apud Vestmonasterium Concilium celebraverit, in quo statuit. *Nulli liceat Ecclesiam nomine dotalicii ad aliquem transferre, vel pro præsentatione alicujus personæ pecuniam, vel aliquod emolumentum pacto interveniente accipere. Quod si quis fecerit, & inde in jure vel confessus, vel convictus fuerit, ipsum, tam regia, quam nostra freti auctoritate patrocinio ejusdem ecclesiæ in perpetuum privari statuimus*, teste Hovedeno *loc. cit.* Abusum potius, quam justitiam abrogat, cum ipsa feudi, seu territorii, castri, aut civitatis universitate transeat, *cap. VII. de jurepatron.* ibi Costa, Florens, & Roye. Nec tantum in dotalitio, sed & in usufructu, creditore antichretico, conductore, bonæ fidei possessore, sequestro, & prædio dotali transferri probat Boehmer. *tit. Decr. de jurepatron. §. CXI. & seqq.* Sicut res sacra, & religiosa ex se vendi non potest, sed si prædium vendatur, in quo illæ extant, tanquam accessiones cum ipso prædio transeunt, *l. 9. C. de relig.* illustrat Cuja. *ad l. 4. 5. 6. D. de contrahen. emp.* ne actum agam.

Digitized by Google

cap. Mulier dotarium, ſeu tertiariam conſtitutam legitime in terra feudali, vel in pecunia, viro præmortuo cum liberis, vel ſine dote non data, vel data in pecunia, rebus mobilibus, vel terræ lucretur, & habeat dotarium, & dotem, niſi ſpeciale pactum aliud indicet, ut poſt mulieris mortem reintegretur dotarium terræ Baroniæ & feudi, unde proceſſit dotarium in pecunia, vel in mobilibus. Lucretur etiam in proprietate, ſi non habeat filium de illo marito, alias habeat ſolummodo uſumfructum. Et ſi non nuptiis ulterius; vocetur cum filiis ejuſdem matrimonii in lucro proprietatis dotarii in virilem portionem, alioquin ſi nubat, habeat ſolummodo uſumfructum. Ex quo cap. uxor, ſive dotem dederit, ſive non, dotarium etiam adquirit; ſed ſi promiſit, & non ſolvit, non adquirit, aut minus ſolvit, pro dotis ſolutæ quantitate tertiariam lucratur, niſi uxor, aut alius ejus nomine dare parata, & vir accipere diſtulerit. Atque ſi vir defunctus filios relinquat, uxor in dotario uſumfructum habet, & ſi ſecunda vota non petat, ſimul cum filiis in proprietate ad virilem portionem admittatur, ſicut jure civili *l. 3. l. 5. autb. uxore C. de ſecund. Nup.* Barth. de Capua, & Napod. *hic*, Afflict. in *Conſt. mulier n. 5.*

Jure conſuetudinis Neapolitanæ in Conſuetud. *quartam* mulier antefatum, defuncto viro, propria auctoritate, vel judicis mandato capere, & apprehendere poteſt. Et poſſideat, deducto prius ære alieno, ante antefati conſtitutionem contracto, *in plena proprietate, ſi liberos ex marito præmortuo non habebat. Sed ubi habet liberos ex marito præmortuo, poteſt fructus quartæ ipſius auctoritate propria per ſe, & per alios capere, & apprehendere. Qui uſusfructus, muliere ipſa mortua, conſolidatur proprietati, & ad omnes liberos mariti ex quacumque uxore ſuſceptos, a quo quartam habet perveniet. Liberis autem præcedentibus ipſi matri, mater ipſa ipſius quartæ plenam proprietatem habet. Prædicta autem apprehenſio facienda auctoritate propria ut dictum eſt, habet locum infra annum a morte mariti computandum, ubi mulier non habet liberos ex marito præmortuo. Sed ſi habet liberos annus ipſe incipit a tempore, quo ipſa mulier deceſſerit de domo mariti mortui.* Quæ Neapolitana Conſuetudo juri Nortmannico, & Andegavenſi nuper expoſito convenit.

Hodie, ſive adſint vel non filii, ſive vidua vivat, ſive iterum nubat, uſumfructum tantum habet, & ſi filii non ſint, heredes mariti ſuccedunt *pragm. 1. de donat. propter Nupt. an. 1617.* quæ antefati, & donativi quantitatem præſcribit, *alle doti di ducati quattro mila a baſſo, l' antefato ſia per terzo, e il dona-*

Digitized by Google

autivo d' otto per cento. Alle doti di ducati quattromila ſino a diecimila l' antefato ſia a ragione di ducati venticinque per cento, e il donativo a ragione di ſei per cento, alle doti di ducati diecimila in ventimila, l' antefato ſia a ragion di venti per cento, e il donativo a ragione di cinque per cento. Alle doti di ducati ventimila in trentamila, l' antefato ſia a ragione di quindeci per cento, e il donativo a ragione di quattro per cento; E che alle doti di ducati trentamila in su, l' antefato e donativo ſiano conforme potrà convenirſi, purchè l' antefato non ecceda i quindeci, e il donativo i quattro per cento. E che l' antefato o reſtino, o non reſtino figliuoli a morte della donna, torni per morte ſua agli Eredi del marito, onde è uſcito. E che alle donne vedove, quando ſi torneranno a caſare, non ſi poſſa coſtituire l' antefato; ſe non per la metà di quello, che ſi poteria loro coſtituire, ſe ſi caſaſſero la prima volta. E che i lacci, e ſpille, che ſi promettono, non ſi poſſano cercare dalla donna, ſe non per l' ultima annata, quando il marito ſarà morto, non moſtrando però gl' eredi del marito pagamento di detta ultima annata. Sive de feudo, ſive allodio agatur.

§. LI.

De ultima Vaſalli voluntate.

ROgerius, & Fridericus cum omnem alienationis ſpeciem in feudo ſine Regis aſſenſu prohibuiſſet, vaſallus tam inter vivos, quam cauſſa mortis huic legi parere compellitur. Attamen ex mente legislatoris, & jure deinde ſcripto apud nos in ultimo voto Vaſallus non pauca de feudis ſine metu pœnæ, aut contractus reſciſſione merito diſponit.

Hinc duplicem regulam conſtituo: Prima eſt, quoties feudi dominium, ſeu jus non læditur, vaſallo tam inter vivos, quam cauſſa mortis diſponere licet. Fructus itaque ſeparatos, aut a feudo ſeparandos legare poteſt, & heres præſtare tenetur, quia non feudales, ſed allodiales cenſentur, 11. *f.* 12. ibi *fructus tamen erunt communes*, 11. *f.* 45. Videlicet in teſtamento heredem rogat, ut quotannis decem vini amphoras ex feudali vinea Mævio præſtet, quia heredem perſonaliter obligat, nec jus legatario in corpore Feudi concedit, nec uſumfructum ſtatuit, Camer. *in* 11. *f.* 55. *p.* 17. Montan. *in* 11. *f.* 55. *n.* 6. Roccus de offic. *rubr.* XII. §. 6. *n.* 14.

Ex hac regula conſtat, Teſtatori ſine Regis aſſenſu jus eſſe ſucceſſorem gravandi, ut fructus feudi dividat cum eo, qui in feudo non

Digitized by Google

non succedit. Finge primogenitus cum secundonato fructus dividat, aut annuum aliquid ex feudo ei solvat, cum non de re feudali, sed fructibus ab herede percipiendis disponat, nec secundonatus obligationem in feudo, sed in primogenito personalem adquirit, nec primogenitum impedire valet, ne illud legitime alienet, P. de Gregor. *de Concess. feud. par. VI. c. 2. n. 14.* Rovit. *ad pragm. IV. de feud. n. 109.* Rodoer. ad *pragm. 33. c. 27. n. 23.* Potest & creditosi simplicem feudi possessionem legare, quam nos *tenutam* vocamus, hoc est commoditates feudi a creditore percipiendas, donec debita pecunia, aut legatum solveretur. (a) Nam non de dominio feudi, sed simplici possessione agitur, quæ in facto consistit; nec qui tenutam habet, legitimus feudi successor esset oportet, nec Baro dicitur, nec jura Baronis usurpat, sed commoditates, & fructus colligit, jurisdictionem, non uti Baro, sed Baronis procurator exercet, hoc est jurisdictionis proventus percipit. Imo qui incapax est feudi, ut Clericus, Ecclesia, monachus, mutus, surdus, aliterque imperfectus tenutam seu simplicem, & naturalem possessionem sive inter vivos, sive causa mortis habere potest. Nec morte ejus, qui tenutam exercet, extinguitur, sed ad jus heredes transit, ut communiter in Regno obtinuit, Roccus *loc. cit. n. 70.*

Hinc displicet Montani opinio *in II. f. 55. n. 5. & 6.*, & de Marinis *lib. II. resol. cap. 81.* qui directo negant legari posse feudi fructus Mævio, ut donec legata quantitas ei solvatur, propria auctoritate feudum ingredi, fructus percipere, & jurisdictionem exercere posset. Etenim sive a manibus heredis, sive propria auctoritate habeat, semper fructus dicuntur allodiales, nec realem in feudo actionem adquirit, sed personalem adversus defuncti heredem intendit; nec in hujusmodi legato jus in re constituitur, Galeota *lib. I. controv. 28.* Roccus *loc. cit.* Constant. *ad pragm. 33. n. 3. de feud.*, quamvis Regni Prudentes Montanum communiter fere sequantur. Obtinuit quoque in Regno ex *pragm. 33. de feud.* jus esse testatori heredem gravandi usque ad integrum feudi valorem, non ut realem actionem in feudo, sed personalem in herede, qui feudi pretium legatario solvere tenetur, constituat sive gravamen hoc filio, sive descendenti, aut collaterali successori imponatur. Modo non sit filius, cui legitima debetur, hoc est tertia pars

(a) Hoc verbo utitur P. de Vineis *lib. V. epist. 92. subsequenter per fratres, & oblatos eodem corporali possessione tradita, bonorum omnium hospitalis ejusdem syndico, heremi nominatæ: vos auctoritate propria, TENUTA seu possessione ipsorum bonorum, bonum ipsum contra justitiam spoliantes &c.*

Digitized by Google

pars pretii feudorum, tunc de reliquarum valore testator cui lubet, relinquit, Rovit. ad *pragm.* IV. *de feud. n.* 117., Roccus *loc. cit. n.* 87. Constantius *loc. cit. n.* 4. Nicol. Pisanus *ad Rubr.* 2. *tit.* 2. *R. C.* Verum quæ de fructibus, & gravamine diximus, in feudo hereditario & ex pacto novo intelliguntur. Nam de feudo ex pacto, & providentia antiquo testator successorem ne in una quidem candela pro anima gravare potest, ut loquitur Andr. *in* II. *f.* 45. *n.* 7. Montan. *in* II. *f.* 55. 3.

Ex his patet, fructus præsertim a feudo separatos, etsi allodiales esse, tamen ex his Baro collectas non solvit, Carolus II. in cap. *porrecta*. Rationem præstat Lucas de Penna (qui sub Roberto Floruit, & Bartholo coævus) in *l.* 3. *C. de fundis limitrophis*, *quia domini personaliter serviunt in exercitu in obsequium rei publicæ, quod alii non faciunt, sed pecuniam solvunt, & quia gravantur in hoc, ergo relevantur, ut cum aliis in collectis non contribuent .... Nec illud quia plus solvunt servitii nomine juxta redituum quantitatem, quam faciunt Burgenses de bonis eorum, quia hoc solum verum est in feudis novis, & quæ ex donatione regia processerunt, & ex publico, seu patrimonio regni. At Burgenses bona pro quibus collectas exsolvunt, non ex donatione regia, vel fisco, & patrimonio regni consecuti sunt, sed vel successione parentum, vel alias labore, & industria sua: nec in Rex dominium habet, sed solam protectionem, & jurisdictionem juxta veram opinionem .... Videmus enim hujusmodi homines antiqua feuda tenere majoris valoris, & reditus, modica etiam pro his præstare servitia, vel adobas, & ea perraro, cum ad ea præstanda non submoneantur, nisi quando Rex pro guerra, quam ageret, indiceret Comitibus, & baronibus servitium generale. Burgenses autem, & Rusticos casserunt nunquam, vel perraro quiescere, ut etiam præter guerram collectas, & hujusmodi onera in pluribus, & diversis casibus cogantur cum importabili gravamine, ac damno subire. Attenta itaque ratione propter quam non contribuunt pro feudis cum aliis Burgensibus, & Rusticis in collectis, veniant ipsi feudatarii pro eorum feudis in talibus collectis, & aliis, quando non servient personaliter in exercitu, & quando non imponitur ea casu, quo nobilis eo casu in exercitu personaliter deserviret; non sine ratione cogendi.* Eadem immunitas veteranis militibus data est, qui agros limitaneos colebant, *d. l.* 3. Si itaque Baro non servit in bello, tunc solvit, ut, inquit, Penna, sed hodie non solvit.

Secunda regula nascitur ex *pragm.* XXIII. Philippi II. *an.* 1595. *de feudis*, qua quilibet Baro, Comes, & feudatarius de feudo hereditario, exclusa femina proximiore, in masculum de familia remo-

motiorem, qui nisi fœmina adesset, succederet, disponere potest? Ratio legis est, ut feudum in familia conservatur: *Item questa fidelissima Città, Baronaggio, e Regno conoscendo con quanta facilità gli stati, e feudi, tanto titolati, quanto non titolati, quaternati, e non quaternati in molto tempo con molte fatiche, e servizj acquistati in un punto si perdono nelle proprie famiglie acquirenti.* Nam fœmina nuptiis feudum de familia primi acquirentis, ad familiam, mariti transfert, & ita in plurimis Europæ dominiis quædam familiæ feuda adhuc possident. Si itaque familiæ consideratio, & sexus dignitas a legislatore perpensa est, patet, non posse a testatore excludi fœminam proximiorem, instituto masculo remotiore, quæ in familia nupsit, sicut ex d. pragm. *le quali si casano in famiglia aliena*, Rodoer. *ad d. pragm. cap. VI.*, nec masculum, qui ex fœmina in familia nupta nascitur, cum hic & sexum, & familiam a legislatore requisitam habeat; quæ duo simul requiruntur; & hac facultate Barones carere professi sunt *an.* 1617. Rodoer. *loc. cit. cap. VII.* Dicam *in Cod. LL. feud. R. Neap. & Siculi.*

Promulgata hac Philippi II. *pragm.* 33. Barones suspicari ceperunt, an filiam, vel descendentem lineam præterire, & agnatum remotiorem instituere possent? Carolum VI. adierunt, qui rescripsit, *Placet S. C. Maj. gratiam concessam pragm. 33. de feudis, cujus vigore possunt, feudatarii, quibus ex legibus Regni essent fœminæ successuræ, illis posthabitis instituere proximiorem masculum, cui dictis fœminis non extantibus, deferenda esset successio, procedere, ac vires habere, quamvis agatur de filiabus, aut aliis fœminis descendentibus ab ultimo possessore.* Et hodie hac de re inter Regni Prudentes disputatio, *de qua in lib. II. tit. XVIII. §. 54.* obtumescit. Nec testator hac utens gratia, sorori necessario vel paragium, vel aliquid legare cogitur, ut ex *d. pragm. 33. alle quali donne possa detto feudatario, sopra detti suoi stati, e feudi, stabilire tanto, quanto li parerà per sua dote, o essendo maritata, per amorevolezza di donarli, e lasciarli.* Et judicatum in successione feudi Macchiæ an. 1682. 11. Maii refert Rodoer. *loc. cit. cap. XI.* Filiæ vero necessario dos seu legitima competit, præsertim cum testator successorem gravare valeat, ut ex feudo legitimam quantitatem filiæ, vel sorori præstaret.

Testator qui gratia uti velit, gradum successionis transgredi non debet; nam si hodie est fœmina in quinto gradu, & masculus in sexto reperitur, eam, instituto masculo, præterire prohibetur, quia intra fines successionis non existit, & fisco noceret, quod Gratia verbis *al suo real patrimonio non apporterà danno alcuno* prorsus negat, & devolutio aut impediretur, aut consisteret. Nec masculum

Digitized by Google

lum remotiorem prætermiſſo proximiore, inſtituere poteſt, cum Gratia vellet, illum inſtitui, qui ſuccederet, ſi fæmina non extaret. Sed proximior tunc ſuccedat, an fæmina invitetur? Dicam, ſi ignorat teſtator proximiorem agnatum habere, potius proximior, quam fæmina ſuccedere debeat, quia non in gratia, ſed perſonæ electione erravit, & teſtator non inſtituiſſet maſculum remotiorem, ſi proximiorem ſciviſſet, nec gratia abuſus eſſet *l. fin. D. de hered. inſt. l. 4. C. eo.* Si vero ſciebat, tunc fæmina ſuccedit, & diſpoſitio non valet, & gratiam condemnit, Rodoer. *loc. cit. cap. 19.* Nec tantum remotiorem marem vocare poteſt, ſed & ei vulgariter ſubſtituere, cum ſubſtitutus non a gravato, ſed ab ipſo teſtatore feudum obtineat, & unicum gradum condidiſſe videtur, Montan. *de Regal. §. fin. n. 11.* Sed rectius Rodoer. *loc. cit. cap. 24. n. 4.* in vulgari ſubſtitutione duo, nempe ſi heres non poteſt, vel nolit hereditatem adquirere, diſtinguit: ſi inſtitutus non poteſt, ſubſtitutus admittitur, ſi tamen nolit, excluſo ſubſtituto, fæmina invitatur, quia uſus gratiæ non ex facto, & voluntate heredis, ſed teſtatoris judicio dependere debeat.

An pupillariter ſubſtituere ex hac pragm. poſſit? Acriter ævo Biſcardi in Regno diſputatum eſt, ſed affirmatio decreto S. R. C. placuit. Ratio adverſæ opinionis fuit, quia putabat facultatem teſtatori conceſſam unico & primo actu conſumi, nec ad plures extendi, ex Pomponio *in l. 89. D. de V. S. hoc ſermone dum nupta prima nuptiæ ſignificantur*. Nam mens precum N[illegible] gratiæ cenſetur, ut [illegible] in familia remanerent, quod unico actu expediri, etſi conſumato, nequ[illegible] vaſallus feudum agnato maſculo refutavit, aut reliquit, qui ſuccederet, ſi fæmina non extaret; hic ſine filiis decedit, feudum ad refutantem redit, ſi refutans iterum ex hac pragmatica in aliud agnatum intra ſucceſſionis gradum diſponere non poſſet, gratia inutilis evaderet, mens ſupplicantium evaneſceret, & feuda ex familia exirent. Quin imo actus ultimæ voluntati reſervatus numquam conſumatus, & perfectus dicitur, niſi morte agentis, & proinde licet pluries vaſallus diſpoſuiſſet, ultima tamen vota ſpectantur *l. 4. D. de adim. legat.*, & probat Roſa *in prælud. feud. lect. XIII.* Nec ſubſtitutio pupillaris, de qua quæritur, eſt duplex actus, nec pluries repetitus, ſed unum teſtamentum *l. 2. §. 2. D. de hered. & act. vend. l. 2. §. 4. D. de vulgar.* conf. Schulting. ad Cajum II. *Inſt. IV. §. 2.*

Inſpiciendum de quibuſnam feudis Gratia diſponat? Initio ſtatuit, *ſupplica la M. V. che ſi degni habilitare i preſenti feudatarii, e futuri titolati, e non titolati, etiam quelli, che non aveſſero feudi quaternati, che di loro feudi, e ſtati, poſſino tam in actu in-*

Digitized by Google

ter vivos, quam in actu ultimæ voluntatis disponere delli detti feudi e titoli in beneficio di quel mascolo delle loro famiglie, quale nel tempo della dispositione succederà non essendoci femina in proximiori gradu, non ostante, che ci fossero donne similmente in gradu successibili. His verbis Montanus de *Regal.* §. *fin. n.* 8. asseruit tam de feudis quaternatis, quam planis, & de tabula intelligi, quia feuda non quaternata, de quibus Gratia loquitur, feuda plana, & de tabula continentur. Non recte: aut enim subfeudum erit rusticum, sine vasallis videlicet, annuam pensionem Baroni præstans, sine militari servitio, & huic jure Romano succeditur, etiam heredes extraneos, & ad feuda inhabiles admittit, Glos. in Const. *ut de successionibus*, dixi *in proleg. cap.* IX. §. 47. Aut onus militare, & fidelitatem præstat, & tunc erit verum subfeudum, quod jure communi feudorum regitur, Rovit. *decis.* 42. dixi *in proleg. loc. cit.* Vel erit subfeudum, quod regni Prudentes feudum quaternatum secundum quid appellent, cum vasallis præsertim, & militare servitio, & hoc vetustis, & novis Regni legibus subnititur, idcirco Gratia in eo procedit, cum veram feudi naturam retineat, Rodoer. *loc. cit. cap.* 2.

Additur in fine Gratiæ, *Placet suæ Regiæ, & Catholicæ Majestati quoad feuda hereditaria*, videlicet mixta, cum Regni feuda etsi sint hereditaria, tamen ex feudo ex pacto, & providentia qualitatem assumunt; igitur feuda ex pacto, & providentia antiqua Gratiæ non subiiciuntur; novum autem ex pacto & providentia feudum, quod ab hereditario nihil pene differt, Gratiæ parere debet, præsertim hodie, dum in eo collateralis linea succedat, etsi formulam *pro heredibus ex corpore* contineat, *pragm. XXV. & XXIX. de feud.*, Constant. *ad d. pragm.* 33. *n.* 23. Rodoer. *eo. cap. ult.* Non placet ipsius Rodoerii opinio cap. 28. n. 9. qui feudum juris longobardorum a Gratia excludit, nam sicut individua clientela, ita hæc in familia conservari suadetur, & fœmina ab ea eripit, & in aliam transfert.

Non modo hæc disponendi facultas est testatori, sed & Fideicommissa, & majoratus in feudo instituere valet, & primus *an.* 1655. 23. mensis Julii Philippus IV. *in pragm.* 34. *de feud.* concessit, *concedimus prædictis viris nobilibus, quod quilibet eorum possit fundare majoratus in suis feudis infra terminos tamen successionis permissæ ut supra, ita ut restitutionis, seu fideicommissi onus ulterius in detrimentum juris devolutionis nobis, & nostræ regiæ Curiæ competentis non procedat.* Fœminam igitur etsi proximiorem recte excludit, si majoratum, & fideicommissum instituendi jus habet, cujus ratio fuit, ut feuda in familiis servarentur. Etenim fideicommissum pro masculo remotiore, exclusa fœmina, quæ est fami-

familiæ finis, vel majoratum recte creare, atque erigere potest, modo ordinem successionis legibus regni compositum non mutet. Idcirco, neglecto proximiore agnato, remotiorem vocare non potest, quia proprietas primogenituræ, & successionis læderetur, Roceus *de offic. rubr.* XIII. §. *9. n.* 60. Rodoer. *loc. cit. cap.* 27. & tunc feudum naturam fideicommissi induit, ejusque legibus vivere dicitur (*a*).

§. LII.

De Refutatione.

JUre longobardico vasallus sine senioris consensu feudum proximo agnato refutare valet II. *f.* 3. §. 1., II. *f.* 39. quod legibus nostris nunquam abrogatum, imo confirmatum videtur, quia nec damnum senior sentit, nec devolutionem impedit, nec successionis ordinem mutat, sed successionem quodammodo festinat. Refutatio enim est successionis præventio, & acceleratio fruitionis feudi. Nec Fridericus in *Const. D. M.* aliter intelligit: nam legibus Lotharii, & Friderici I. *in* II. *f.* 52. *&* 55. tria dumtaxat addidit, expressum Regis consensum, tacitus non sufficit, subinfeudationis prohibitionem, & contrahentibus revocationem permisit. Nihil tamen de alienatione in proximum agnatum facta, disposuit, igitur jus commune eam permittens retinuit, ~~Ande ad d. §. 1.~~ et in Const. *D. M.* Camer. in II. *f.* 55. *p.* 30. Rodoer. *ad pragm.* 33. *de feud. cap. xv. n.* 9.

(a) Ante Philippum IV. *ex pragm.* 33. *de feud.* Barones instituere, aut substituere, uno nempe gradu dumtaxat, masculum poterant, qui immediate successurus esset in feudo, si fœmina proximior non interveniisset. Nec perpetuo fœminas excludere concessum erat. Sed Philip. IV. *in d. pragm.* 34. sanxit perpetuo excludi posse fœminas a Barone, vel Comite, fideicommissis, vel majoratibus institutis, & donec masculi supererent, fœminæ arcerentur. Quemadmodum Hispanorum jurisprudentia tenet, obtenta majoratus instituendi facultate, fœminæ proximiores a masculis remotioribus excludi possunt. Nam ratio excogitandi fideicommissa, & majoratus fuit, ut bona in familia conservarentur. Idcirco Regni Prudentes, lata *Pragm.* 34. *de feudis*, ad excludendas proximiores fœminas, favore masculorum, benigniorem, latioremque interpretationem dederunt. Quin Regis consensus intercedat, & Baro, vel Comes se uti gratia declaret.

Digitized by Google

Et quia Barones regni assidue refutationes peragebant, non primo inducit Philippus II. *in pragm.* 33., sed tanquam consuetudinem præsupponit, *supplica la M. V., che si degni habilitare i presenti feudatarii, e futuri titolati, e non titolati, etiam quelli, che non avessero feudi quaternati, che di loro feudi, e stati possino tam in actu inter vivos, quam in actu ultimæ voluntatis disporre delli detti feudi.* Vox *inter vivos* refutationem ostendit. Deinde Urtadus de Mendoza Marchio Prorex *in pragm. xx. de feudis*, solemnitates refutationes definit; *Comandiamo, che tutti quelli, che fino adesso avessero fatto refutazione di feudi ai loro figliuoli, o altri successori, debbano fra termine di quattro mesi, decorrendo dal dì della data di questa farlo notare ne' quinternioni della sopradetta regia Camera, e da qua avanti tutte le refutazioni, che si faranno di detti feudi, si debbano fare notare in detti quinternioni fra termine di giorni quindeci, decorrendi dal dì, che sarà stata fatta la refutazione: altrimente dette refutazioni fatte, e da farsi restino di niun momento, siccome per la presente diamo per nulle, e invalide, come se non fossero fatte, e si intendano succedere come eredi a' detti feudi, e non averli per titolo di donazione, an.* 1579. 18. *Julii.*

Primo itaque requiritur, ut refutatio proximo successuro facta in quinternionibus R. Cameræ infra xv. dies describatur; & si facta invenitur, intra quatuor menses adnotari oportet, secus omni robore carebit. Hujus solemnitatis ratio seniori favet, ut ipse novum feudi possessorem cognoscere valeat, relevia exigat, & devolutionem morte, vel felonia calleat. Nec satis erit, instrumentum refutationis conservatori quinternionum tradere, ut in libris his feudum accenseat, si negligentia, aut dolo malo Conservatoris non describatur, quum pragmatica ipsum factum, hoc est descriptionem inspiciat, Montan. *in* 11. *f.* 55. §. *præterea si quis infeudatus* n. 36. Constantius ad hanc *pragm. n.* 6. Rovitus *eo. n.* 5. etsi æquitas aliter decernere posset, cum nulla refutantis, aut refutatarii culpa, vel dolus interveniisset. Onus autem descriptionis refutanti incumbit, & parum refert, si copia refutationis tantum exhibita fuerit, quam postea quinternionum conservator non describserit, Constant. *loc. cit. n.* 10. Et licet pragmatica refutationes sine Regis assensu celebrari posse constituat, nihilominus, si assensum regis impetrari refutator velit, tunc cessat pragmaticæ dispositio, & assensus etiam post xv. dies in quinternionum volumine descriptus, modo intra biennium, refutatio substinetur, Franch. dec. 663., Montan. *loc. cit. n.* 36., Rovit. *loc. cit.* Ponte *de Pot. Pro. tit.* VIII. *n.* 9. & 10.

Modus, quo vasallus in refutatione uti debet, ne in alienationem

Digitized by Google

nem á lege prohibitam incidat, est, simpliciter feudum refutare, nec ordinem successionis immutare, nec aliquid sibi, videlicet usumfructum reservare, quia nihil commoditatis, & lucri penes refutantem remanere oportet, sed seipsum tantum de medio tollat, & refutatarii, hoc est immediate successoris jura exerceri & revirescere curet, Rovit. *ad pragm. iv. de feud. n.* 8. Lipar. ad Andr. *in* 11. *f.* 39. *n.* 6. Ramer. *in* 11. *f.* 39. *n.* 6. Camer. *in* 11. *f.* 55. *p.* 32. Biloeta *Concl. feud. vi. n.* 1. Et satis Constitutione Lotharii, & Friderici I. sancitum est. Nam ususfructus est pars feudi integralis, si refutator eum sibi reservaret, feudum divideret. At acriter quæsitum est, an pacta refutationi adjecta corruant, & refutatio valeat? Si lubet, conferatur Bammac. *in* 11. *f.* 26. *q.* 1. *n.* 24., et Rosa *Consult.* 59. Dicam: pacta corruere, & nihilominus refutationem substineri: Nam, si testator domum, deductis marmoribus, legat, legatum valet, & marmorum exceptio corruit, *l.* 41. §. 4. *D. de leg.* 1. quia legato domus lex assistit, deductioni marmorum senatus refragatur. Si ususfructus legetur, hoc pacto, *ne heres cogatur viam præstare*, inutiliter hoc adjectum videatur, inquit, Paul. *in l.* 1. §. 1. *D. si ususfruct.*. Si vir uxori, & e contra, quid vendiderit vero pretio, & donationis causa paciscantur, *ne quid venditor ob eam rem præstet*, Pomponius in *l.* 31. §. 4. *de Donat. int. vir. & ux.* respondit, negotium valere, & pactum dumtaxat irritum esse. Refutatio enim a lege permittitur, ususfructus, aliusve rei reservatio improbatur, igitur prima valet, secunda ruit, ne vitium unius actus alteri noceat, ne utilitas rei per inutile vitietur,

Sæpius tamen refutationi pactum vel tacitum, vel expressum adiici potest: tacitum, & hoc potius ex nostrarum legum mente, quam refutantis voluntate descendit, nempe si refutator paciscatur, ut refutatarius filiabus refutantis, & refutatarii sororibus paragium super feudo persolveret, quod, etiam devoluto feudo, Fiscus solvere tenetur, quum facile filia, soror, et cui paragium cedit, de hujusmodi portione frauderetur, Rodoer. *loc. cit. cap. xv. n.* 12. Expressum, quod ex clara refutantis mente oritur, & si naturam feudi non lædit, servari, & apponi potest, nempe si alimenta, vel certam singulis annis pecuniæ quantitatem, aut annuam super feudo præstationem vini, olei, frumenti, aliorumque fructuum sibi referat, Roder. *loc. cit.* Reverter. *dec.* 12. *vol.* 5. Galeot. *controv. lib.* 11. *6. n.* 5. Non enim actio realis super feudo, sed personalis constituitur, cum vasallus recte de fructibus feudi disponat, quin Rex consensiat. Si usumfructum sibi reservare velit, olim solius Regis assensu indigebat, & Proregibus ante Carolum

V. in

Digitized by Google

V. in donationibus cauſſa matrimonii celebratis aſſentiri vetitum erat, ſed Carolus V. *an.* 1535. *in pragm. VI. de feud.* conceſſit, Anna *conſil.* 41. *in fin.*

Præterea refutatio ei facienda, qui proxime ſucceſſurus eſt: ſi proximiore præterito, remotiori refutat, non valet, quia donec proximior ſupereſt, remotior extraneus cenſetur, II. *f.* 26. §. *Titius filios*. Quæſitum eſt, quonam tempore proximitas inſpicienda, utrum tempore refutationis, an morte refutatarii? Finge: quis refutauit feudum agnato proximiori, qui refutanti ſucceſſurus erat, proximior ante refutantem decedit, alius deinde agnatus, tempore, quo moritur refutator, proximior reperitur: H. Piſtor *lib.* II. *q.* 6. *n.* 43. hunc qui tempore mortis proximior eſt, præfert. Attamen dicam: aut refutatio in linea collaterali, aut deſcendenti contingit; in deſcendenti, videlicet pater primonato feudum refutavit, primonatus relicto filio, & fratre ſecundonato, & patre, decedit, tunc, etſi ſecundonatus proximior refutanti ſit, quam nepos, nihilominus nepos, ſeu filius primonati ſolus jure repræſentationis ſuccedit, qui, refutatione etiam non contracta, ſucceſſurus erat, & alios excludebat, quum refutatio anticipata ſucceſſio cenſeatur, & ultimæ voluntatis naturam aſſumat; tempus itaque refutationis, an proximior, vel non fuerit, non mortis metimur, vid. Anna *in tit. de vaſal. decrep. ætat. n.* 187. ubi prolixe diſputat (*a*). Aut hic filius ſine filiis deceſſerit, & tunc jure potius reverſionis, quam ſucceſſionis pater ſuccedit, modo ſimpliciter refutaverit, ſecus ſi refutavit ut filius, agnatorum conſenſu, de novo inveſtiretur, tunc in feudo novo pater, qui eſt de linea aſcendenti, non ſuccedit, quia non eſt agnatus, nec conjunctus ab illo latere, unde feudum pervenit, II. *f.* 50., Conſt. *foriudicatorium bona*, & Conſt. *ſi quando lib.* II. 6. *&* 7., Andr. *in d.* II. *f.* 50. *n.* 8., Thom. de Marin. *de Gen. feud. tit.* 2. §. *conſtitutio n.* 126. Cumia *in cap. ſi aliquem v. antiquis n.* 374., Intrigl. *cent.* II. *36. n.* 208.. Et olim in regno ſi pater feudum contemplatione matrimonii filio donabat, cum clauſula, pro *heredibus ex corpore* tunc feudum ex antiquo novum evadebat, & decedente ſine deſcendentibus donatario, feudum fiſco aperiebatur. Sed hodie ex *Pragm. XIV. de feud.* hujuſmodi feuda a pa-

(a) Idem erit, ſi primonatus, qui filios non habet, ſecundonato feudum cedit, vel domino renunciat, filiis poſtea natis, refutatio revocatur, quia ſi primonatus de liberis cogitaſſet, jus ſuum ad filios, pietate ſic ſuadente, tranſmittendum non refutaſſet, quæ pietatis conjectura jus quæſitum, & acquirendum integre liberis conſervat *l.* 8. *C. de revoc. don. ibi* Perez *n.* 20.

Digitized by Google

a patre sic donata, naturam antiqui reservant, & decedente sine liberis donatario, pater donans, exclusis collateralibus, præfertur, Ponte de *Pot. Pror. tit. VIII. n.* 14., Constanti. *ad d. pragm. n.* 1.

In linea collaterali, hoc est agnato collaterali facta hæc, me opinante, agnatis nocet: Finge; sunt tres fratres, primonatus secundonato feudum refutat, primonatus decedit, superstitibus filio fratris secundonati, & tertionato, tertionatus non præfertur, & nepotem filium alterius fratris secundonati jam præmortui, cui refutatio evenit, non excludit; quia hic tertionatus licet proximior respectu primi acquirentis, & primonati fratris reperiatur, tamen feudum semel in alicujus lineam ingressum, nunquam ab ea, nisi extincta, discedit. Proximitas itaque tempore refutationis valet, etsi in testamentis capacitatem tempus mortis, additionis, & conditionis eventus constituit. Nam feudalis regula est, refutationem antiqui feudi agnato remotiori a vasallo factam, proximiore præterito, qui immediate successurus erat, sive senior assensiat, sive non, improbari; & agnatus proximior etiam ante refutantis mortem instar alienationis revocare poterit, ut supra probavimus, Thom. de Marin. *loc. cit. n.* 123. & 130. cum agnatus remotior, quamdiu proximior vivit, uti extraneus consideratur. Hinc vasallus feudum antiquum ex pacto, & providentia nequit seniori refutare, dum agnati supersunt, quia Senior extraneus censetur, Cumia *loc. cit. n.* 377. Rodoer. *ad d. pragm.* 33. *cap. XV. n.* 1. Vasallus itaque in refutatione proximiori agnato nunquam nocebit, quum successionis ordinem immutare non valeat. Præterea omne feudum, sive ex pacto, & providentia antiquum, aut novum hereditarium antiquum, & novum refutari potest. In feudo ex pacto antiquo pater filiis, aut agnatus agnato obesse prohibetur, in feudo ex pacto novo, vel hereditario antiquo, aut novo alienatione, refutatione, & felonia filiis, agnatisve nocebit. Thom. de Marin. *loc. cit. tit. VI. & VII.*, Ponte *loc. cit.* §. 1. & supra probavimus (a).

Refutationis affectus sunt: refutatarius, cum sit verus refutantis heres, ac si successionis titulo succederet, omnibus oneribus, nempe paragio sororum, vitæ, & militiæ, relevio, & creditoribus se obligat. Solvit paragium, quia pater feudum filio refutans, filiæ sua dote præjudicare non potest, & licet non reali, tamen personali actione refutatarium conveniunt. Solvit vitam, & militiam fra-

(a) Feudum novum agnatis refutari non potest, quia agnati in feudo novo non succedunt, sed recte filio refutatur, & in persona filii antiquum existimatur, Thom. de Marin. *loc. cit. tit. 3. n.* 30. & 32.

Digitized by Google

fratri ſecundonato, ne patris refutatio, ſeu pactum favore primogeniti factum, alteri filio in beneficio a lege ſibi conceſſo noceat. Nam refutatio dicitur ſucceſſio, & primonatus refutatarius vere ad feudum ſuccedit, etſi tempus mortis refutantis præveniat, & præmatura ſucceſſione ſe induat. Et quoties primonatus ſuccedit, & ſecundonatum excludit, ipſe ſecundonato vitam, & militiam præſtare tenetur, ſiue feudum fuerit antiquum, ſive novum, Conſt. *Comitibus lib.* III. 21. cum legibus Regni linea collateralis, hoc eſt frater fratri in feudo novo ſuccedat *pragm.* 25. *de feud.* ibi Rovit. *n.* 8. Capan. *de vita, & mil. quæſt.* 30. Anna *alleg.* 23. Excipitur, niſi refutans uſumfructum ſibi aſſenſu Regis reſervaverit; tunc primogenitus fratri hanc annuam præſtationem contribuere non cogitur, cum refutans, non ipſe fructus percipiat. Quæſitum eſt, an ſi pater filio feudum refutauit, filius ſine herede decedit, cui pater, excluſo fratre, ſuccedit, huic fratri vitam, & militiam ſuppeditare debeat? Merito Franc. de Ponte *de Pot. Pror. tit. VIII. n.* 43. negat, quia feudum redit, nec ſuccedere dicitur, ſed ſuum accipit: aut ſi ſucceſſio diceretur, nihilominus ideo pater, excluſo fratre, ſuccedit, quia proximior eſt, nec frater conqueri valet, ſi excluditur, cum deſcendens, vel aſcendens nullam portionem ei debeat, Capan. *loc. cit. q.* 18. *n.* 22.

In contractu quoque refutationis relevium ſolvi oportet: communiter placuit, morte refutantis refutatarium non cogi relevium perſolvere, quia omnis contractus cum proxime ſucceſſuro celebratus, refutatio appellatur, & ubi refutatio eſt, relevium non præſtatur, quod dumtaxat in herede ſucceſſore locum vindicat, niſi dolo malo refutatio fiat, ut ſenior relevio careat, & infra dicam, Roſent. *cap. VI. n.* 8. P. de Greg. *de conceſ. feud. par. VIII. q.* 16. *de jure relev. n.* 3. Ayellus *de jure adohæ n.* 74. Rovit. *ad pragm.* 2. §. *item volumus n.* 10. *de Offic. Proc. Cæſ.* Verum quia refutationes in fiſci fraudem Regni Barones agere ſolebant, ne relevium ſolverent, non paucis abhinc annis jure ſcripto, & communi Regni Prudentum voto obtinuit; ut ſi pater refutaverit filio feudum, filius ſine herede decedit, ſuccedit pater, qui tamen relevium ſolvere tenetur, quia refutatione jam in filium refutatarium dominium tranſiit, igitur, ſecuta traditione, refutator de novo ſuccedere exiſtimatur, & jus adquirit, quod non habebat, cum a ſe abdicaſſet II. *f.* 39. ſive venditione, ſive donatione, aliove contractu, qui vim refutationis ſubſtinet, ſive pater, aut mater, avus, avia frater refutaverit. Et vix fiſcus relevium haberet, cum ſemper pater, vel frater refutaret, Andr. *in* II. *f.* 3. §. 9., Capan. *de jure relev. par. IV. q.* 16. *n.* 16. ubi Frecciæ rationibus reſpondet.

Digitized by Google

det. Aut non refutatarius, sed refutator decedat, qui feuda proxime successuro, cum caussa videlicet contemplatione matrimonii, amore, obsequio, aut meritis motus, refutavit: aut non proxime successuro, sed extraneo, & Rex consensit, & tunc relevium non solvitur. Aut sine caussa refutavit feuda, vel unum, tunc relevium solvitur Capan. *loc. cit. q.* 15. Et dum refutationes *ex pragm. XX. de feud.* in R. Camera describuntur, clausulam continent, ut Fisco liceat relevium exigere, a quo voluerit. Inolevit et consuetudo, ut in donationibus contemplatione matrimonii factis a patre filiis, non modo feuda antiqua remanerent, sed et morte donantis, aut donatarii solveretur relevium, aut feudo ob feloniam donantis devoluto, feudum fisco cedat, ac si Regis assensus non interveniisset *pragm. XV. de feud.* ibi Constant. *n.* 3. Ponte *loc. cit. n.* 1., Capan. *loc. cit. par.* III. *q.* 16., & *par. IV. q.* 15. *n.* 22.

Carolus VI. Imp. Baronum precibus *in cap. XXI. Grat.* sanxit, clausulam *licere fisco relevium exigere a quo vellet*, refutationibus feudorum non apponi, *perciò si supplica nelle sudette rifute per atti tra vivi. Ex nunc a beneficio de' successori o semplice, o pazionate, o col regio Assenso, o senza di questo, non doversi la detta clausula apporre negl' assensi, ne' decreti di registrazione, ed intestazione, e benchè apposta aversi per non apposta, restando solo al regio fisco salve le ragioni, prout de jure, nel caso, costasse della mala fede vera e legalmente presunta, e che questo s' intenda, così per le rifiute, o donazioni talmente facionde, come per tutte quelle se ritrovassero fatte, e con tal clausola, o negl' Assensi, e ne' decreti dell' intestazione, seu registrazione, con doversi precisamente attendere la morte naturale del Donatario, seu Rifutatario per l' acquisto del Relevio, e non altrimente. Placet respectu refutationum simplicium, & absque fraude.* Hodie, fiscus statim relevium exigere potest.

Cessat autem relevii solutio, si dolus malus abest. Præsumitur dolus, si pater, aut alius immediate successuro sine caussa refutat, aut si post refutationem feloniam committit, Andr. *in* II. *f.* 3. *n.* 10. aut si gravi morbo laborat *l.* 59. *D. solut. matrim.* conf. Capan. *loc. cit. q.* 18. *&* 19. vel senectute premitur, aut si usumfructum sibi reservavit, Ponte *loc. cit.* §. 4. *n.* 9. Denique refutatarius creditoribus satisfacere tenetur, quia res cum onere transit, Rodoer. *ad pragm.* 33. *de feud. cap. XXI. n.* 16. Immo si pater feudum filio refutat, deinde illiberis decedit, feudum ad Patrem redit, qui onera a filio contracta solvere cogitur, cum tanquam heres succedat, Franch. *decis.* 3. *n.* 4.

TITULUS XXXV.

De Assensu Regis, & Proregis.

§. LIII.

Origo, natura, & extensio assensus.

DUm hujus Regni provinciæ feudali longobardorum jure vivebant, nemini, insalutato Seniore, feudum alienare vetabatur, donec Rogerius, & Fridericus II. omne in clientelis prope modum commercium prohibuissent, nisi Regis assensus obtineretur, & ab incunabulis monarchiæ constanter servatum est, & monumentis, atque archivis sæpius perlegi (a).

Hic Assensus, antequam Proreges nobis præessent, a solo Rege obtinendus, qui feudorum omnium in Regno, Baroniæ videlicet, Comitatus, Ducatus, Marchionatus, & Principatus directo dominio fruitur. Etenim Regni nostri Civitates, Castra, territoria, & vectigalia, ad Regis domanium pertinent, cujus administratio, domi-

(a) Nempe in Regestis Caroli I. Caroli II. Roberti, Ladislai, & præsertim Aragonensium. *Anno* 1511. *26. mensis Maii* Rex Ferdinandus alienationi feudi quaternati assensum præbet, quod Christophorus Angelus Hispanus vendidit. *Tenore præsentium de certa nostra scientia regiique nobis assistentis consilii. deliberatione prehabita iam dicte venditioni & alienationi de dicta terra Benedicti cum omnibus juribus suis faciende a dicto Christofaro ipsi Jesue pro se & suis heredibus ex suo corpore legitime descendentibus juxta seriem & tenorem dictorum suorum privilegiorum & instrumenti exinde conficiendi ad quod & quæ relatio habeatur, & licet hic non inserantur haberi tamen volumus presentibus pro insertis & specifice declaratis quatenus tamen vite rectaque processerint partesque tangantur veris quidem existentibus prenarratis naturaque pheudi in aliquo non mutata assentimus & consentimus regiumque prestamus assensum & beneplacitum regia auctoritate qua fungimur.* Deinde subdit, *fidelitate tamen regia pheudali quoque servitio, & adoba regiisque & aliis & alterius juribus semper salvis & reservatis: volumus etiam quod presens noster assensus annotari debeat in Regia Camera Summarie pro regie Curie cautela ne fructus Curie in posterum defraudentur: & cum expediet ibi annotatum reperiri contingat.* Ut constat ex *privilegiis diversor. Regum fol.* 145.

Digitized by Google

dominium, conceſſio, & infeudatio ab erecta uſque Monarchia, ei dumtaxat competit, aut alteri, ſi ipſe conſenſiat. Aſſenſus Principis duos in omni ditione effectus gignit, primus eſt, quo ſuo domanio clientelaris conditio honore, ſervitio, & fidelitate elaborata inhæret. Secundus eſt, quo ſuum domanium jure allodii, venditionis, aut locationis, aut alterius contractus titulo concedit. Ex his univerſum jus prædiatorium in domanio Principis oritur, & dependet. Cujus aſſenſus hæc eſt natura, ut nec de caſu ad caſum, tempore ad tempus, perſona ad perſonam, nec de contractu ad contractum extendatur, nec æquitatem, ſed jus ſtrictum admittat, nec inſpiciendum quid petit vaſallus, ſed quid Rex concedit, & reſcribit, Camer. *in* 11. *f.* 55. *p.* 56. Ponte *de Pot. Pror. tit. IV.* §. 7. *n.* 39. Montan. *in* 11. *f.* 55. *n.* 63. *& ſeqq.* Hinc aſſenſus, qui ſubreptione, & obreptione laborat, prorſus corruit, & jure romano reſcripta non aliter valent, quam ſi hanc clauſulam contineant, *ſi preces veritate nitantur*, *l. ult. C. de diver. reſcrip.*, etſi jure canonico exprimi non oporteat *cap.* 2. *de reſcrip.*

Equidem merito apud nos invaluit, in precibus Regi porrectis, omnia in contractu contenta contineri, ut Rex ſupplicantis mentem cognoſcat, & petitis nixus reſcribere poſſet, aliter aſſenſus erit ſubreptitius. Et hodie ex more R. Cancellariæ quodlibet feudale reſcriptum clauſulam, *quod extendatur quoad expreſſa*, continet, Prœcc. *lib.* 11. *de ſubfeud.* 26. *q.* 3. *n.* 2. Quin & ſi mendacium in [illegible] commiſit, totum reſcriptum corruit. Quod ex Innocentio III. in Cap. XX. *de Reſcrip.* ſatis inter Interpretes celeberrimo intelligi oportet. Videlicet, qui dolo malo falſum expreſſit, vel verum ſuppreſſit, reſcriptum inutile eſt, impetratiſque carere debet. Qui autem errore, ignorantia, & ſimplicitate id egerit, diſtinguendum: Si veritatem magni momenti ſuppreſſit, vel falſitatem expreſſit, quam ſi Rex, vel Prorex ſciviſſet, facillime precibus non aſſenſiſſet, vel reſcriptum denegaſſet, reſcriptum corruit, ac ſi dolus interveniſſet. Si tanti momenti non fuiſſet, ut propterea Rex aſſenſum non denegaſſet, aſſenſus valet. Cum illius ſubſtantiam non lædat, nec concedentis mentem perturbat, quominus aſſenſum præbeat, confer. Jan. a Coſta, Florens, & Fagn. ad *d. c.* 20. Camer. *in* 11. *f.* 55. *p.* 56. *&* 57.

Ex his plura aſſenſus vitia detegi poſſunt, nempe ſi pater Regis aulam precibus adiit, ut in ſecundonatum clientelam alienaret, & nepotem ex ſtirpis maximo præteriret, nec in libello de nepote meminit, aſſenſus non valet (a). Si Rex feudum Mævii

(a) Nam nunquam in Regno Rex, aut Prorex aſſenſit feudorum

viventis concedit, quem deceſſiſſe credebat, inveſtitura non valet, ut mortuo Mævio ſine herede feudum debeatur, quia in conſenſu erravit, Andr. *in* 11. *f.* 26. §. *moribus*. Aut ſi Rex in precibus reſcribendo qualitatem expoſcit, aut ſupplex libellus eam exprimit, quæ vera deinde non apparet, aſſenſus ruit. Videlicet ſi Titius a Rege aſſenſum impetravit ſibi, ejuſque heredibus, & ſucceſſoribus ex corpore, non prodeſt filiis, qui jure proprio, non qualitate hereditaria vocantur, *arg.* 11. *f.* 34. §. *præfecto*. Quum in omni reſcripto tria eſſe debeant, veritas narrationis, voluntas Principis, & clauſula *ſalvo jure alieno*, quæ tacite, vel expreſſe intelligitur. Si generaliter petiit, ſed Princeps ſpecialiter reſpondit, Principis reſponſio, non petitio partis jus facit. Nec Princeps creditur juri alterius derogare *l.* 43. *D. de vulgari*, *l.* 4. *C. de emancip. liber.*, *can.* 16. *XXV. q.* 2. Filii jus in inveſtitura quæſitum ab omni feudi poſſeſſore independens habent, cui reſcripto Principis Pater derogare non poteſt. Cur autem Regis aſſenſus juris tam ſtricti exiſtimetur? Merito, quia de damno ſenioris, feudi deterioratione, agna-

---

dorum donationibus, quas Parentes erga ſecundonatos conferunt. Conſtat ex P. de Vineis *lib. VI. cap.* 25. in quo infeudationis cujuſdam Caſtri deſcribit, *per præſens privilegium notum facimus univerſis, tam præſentibus, quam futuris, quod nos attendentes fidem puram, & devotionem ſinceram, & grata ſervitia, quæ N. fidelis noſter noſtro culmini fideliter exhibuit hactenus, & inceſſanter ad præſens exhibet, & exhibere poterit devotius in futurum: Caſtrum C.* (alias Vazanum) *& juſtitiariatus cum omnibus juſtitiis, juſtiziariis, rationibus omnibus, & pertinentiis ſuis quæ de demanio in demanium, & quæ de ſervitio in ſervitium eidem & heredibus provenire potuerunt in perpetuum de ſpeciali gratia, & ex certa ſcientia noſtra duximus concedendum, ita tamen, quod caſtrum ipſum a nobis, & heredibus noſtris in Capitaniam teneat, & immediate a Curia noſtra recognoſcat. Vivens jure francorum, in eo videlicet,* QUOD MAJOR NATU EXCLUSIS MINORIBUS FRATRIBUS, ET COHEREDIBUS IN IPSO CASTRO SUCCEDAT, INTER EOS NULLO TEMPORE DIVIDENDO. Et in Regeſtis Caroli II. & Roberti clauſula, *ſalvo jure primogeniti* occurrunt, Frecc. *loc. cit. q.* 1. *n.* 1., & R. Cancellaria ſemper reſcribit, *ſalvis juribus alienis*, quia vaſſallus ordinem ſucceſſionis immutare non poteſt. Solius Principis eſt feudi naturam immutare, ſi damnum alterius non immineat. Secus nec vult, nec poteſt novam feudo qualitatem ingerere, videlicet, ſecundonatus, præterito ſtirpis maximo, ſuccedat Laratha *in Theat. feud. par. VIII.* 56.

Digitized by Google

agnatorum præjudicio & vasalli agitur, idcirco non tacita, sed expressa continet. Proinde si Titio quis feudum Regis assensu vendere velit, in libello Titii nationem, & fidelitatem exprimere oportet, quia natio, familia, & fidelitas Regem aut provocat, aut deterret *l.* 31. §. 1. *D. de ædil. edict.*, Frecc. *de subfeud. lib.* 11. 23. Exteri mores, instituta, & ingenia seditiones in Republica concitare, ejusque arcana explorare, in eam conjurare, atque invidere solent, Aristotel. *Polit. V. c.* 3. ubi exempla præstat.

Quamvis tamen assensus stricti juris censeatur, tamen propter vim comprehendendi, & connexionis, de uno ad aliud extendi potest, & tunc non proprie extendi, sed includi dicitur. Ut si Mævius alienandi licentiam quæsivit, pro se & suo herede quæsiviſſe intelligitur *l.* 9. *D. de probat.*, quia unusquisque pro se, & heredibus contrahit. Si pater assensum vendendi feudum obtinuit, potest filius vendere, quia non minus patris factum, quam filii Rex considerauit. Et licet morte patris, feudum filii evadat, tamen si factum filii cogitavit, eo tempore cogitavit, quo feudum ad filium pervenit, Camer. *in* 11. *f.* 55. *p.* 46. Andr. *in* 11. *f.* 55. *n.* 4. *&* 5. *ibi Lipar.* Montan. *in* 11. *f.* 55. *n.* 44. *& seqq.* & nihil est, quod extra concedentis mentem geritur. Præstito assensu totum feudum alienandi, partem recte alienat, quia pars in toto continetur, modo feudum fuerit dividuum, secus si individum, quia licet pars sit in toto, non tamen dividenda, ne naturam feudi lædat, sicut docet forma Cancellariæ, quæ clausula *juribus Curiæ semper salvis*, & *non mutata feudi natura*, utitur. Hinc etiam, præstito assensu, vendendi feudum Titio, non potest Titio, & Mævio vendi, quia Rex de uno, non de duobus cogitavit, totum expressit, sed partem in feudo juris francorum non intellexit, quia favor successoris, & Regis damnum vertitur. Neque hic argumentum a majori ad minus valet, quum illatio non teneant, concessit majus, hoc est totum, ergo minus, hoc est partem quoque concessit, Frecc. *lib.* 11. *de subfeud. q.* 6., Montan. *in* 11. *f.* 55. *n.* 68.

Præterea si Rex super venditione cum omnibus juribus, & pertinentiis facta consensit, fructuum, pensionum, actionum, redituum alienationem comprehendit. Hæc enim non extensio, sed inclusio vocatur, nec assensus tacitus, sed expressus est: nam in regno consensus Regis non tacitus, verum specialis, atque expressus requiritur, Const. *constitutionem D. M.* 3. 5. Denique hac in re regulam statuo, quoties accessorium, & connexio ex natura actus, vel rei alienandæ conditione dependet, obtento super principali, assensu, ad accessiones vel naturales, vel artificiales recte extenditur. Quæritur enim, an assensus super sorte principa-

cipa-

cipali, ſeu obligatione feudi, contractis debitis, præſtitus, ſuper intereſſe ex mora nato obtentus intelligatur, ut hypothecarius creditor ſimul cum ſorte contra feudum agere poſſet? Equidem hæc acceſſio non a natura, nec ab arte deſcendit, ſed a voluntate contrahentium oritur, idcirco ſuper intereſſe non cadit quia mora eſt delictum, & alienum delictum alteri non nocet. Nam in hoc conſenſu debitum & ſors vertitur, & ambo vertantur, uno conceſſo, alterum conceſſum non cenſetur, præſertim cum ſupra probatum eſſet, conſenſum de tempore, ad tempus non poſſe extendi. Rex dum ſuper principali conſenſit, de præſenti tempore cogitavit, de intereſſe non cogitavit, quia non expreſſit, nec ad præteritum quod intereſſe continet, non reſpexit; & ſi de intereſſe eſſet admonitus, facile non conſenſiſſet *l.* 39. *D. locat.* ſic Paul. *in l.* 68. §. 1. *D. de fidejuſ.* inquit, fidejuſſores, qui in ſortem fidejuſſerant, in uſuras non teneri, quia ſolum in ſortem ſe obligaverant; quicquid ceteris placeat, Piſtor *lib.* 11. *q.* 49. conf. Roſent. *cap.* IX. 1. 19. Larat. *in Theat. feud. par.* VIII. 58.

Quamvis aſſenſus gratiam contineret, tamen, niſi juſta cauſſa urgeat, & ſuadeat, denegari nequit. Hinc Rex conſentire debet, ſi vaſallus æs alienum contraxit, ut ſeniori ſuo domi, militiæque prodeſſet, vel militare ſervitium præſtaret, vel dotem ſorori, aut amitæ adſignaret, vel ſi feudum in dotem dederit, ſi militiam ſecundonato ſuppeditare deberet, vel ut fidejuſſionem ſolvat, qua pro domino contraxerat, Capyc. *in Inveſt.* §. *neceſſitas*, Montan. *in* 11. *f.* 55. *n.* 104. Camer. *in* 11. *f.* 55. *p.* 86. Afflict. in Conſt. *ſi quis poſt litem*, *n.* 22. ibi, *audivi quod Dominus Franc. de Arezio ad inſtantiam Comitis Altavillæ conſuluit Regi Ferdinando primo, qui, ſtantibus dictis verbis in inveſtitura feudi caſtri Gammatiſſæ: Rex ſi non habet cauſſam denegandi aſſenſum in alienatione dicti feudi, de juſtitia debet conſentire; & ſic dictus Rex aſſenſit.* Regula igitur juris eſt, pro oneribus feudi, & cauſſis neceſſitatis arbitrio judicantium diſcutiendis, Regem alienationi omnino conſentire, aliter requiſitum, conſenſus, ſi denegat, tanquam præſtitus cenſetur, & impune vaſallus alienat. Aut ſi vaſallus, exceptis his caſibus, ſedulo gratitudinem, atque obſequium Regi exhibuerit, & petit, licet jure Rex negare valeat, æquitas vero & honeſtas aliter ſuaderet, Andr. *in* 11. *f.* 9. *n.* 2. ibi Lipar. Camer. *in* 11. *f.* 86. Capyc. *loc. cit.* Montan. *loc. cit. n.* 104. Verum Rex juſte diſſentit, ſi Baro legitimo careat ſucceſſore, vel nimium ſenem, & valetudine laborantem habeat, qui feudalem lineam conſervare non poteſt. Cum feudi devolutio impediatur, & Fiſco noceat, Larat. *in Thea. feud. par. VIII.* 63.

§. LIV.

Digitized by Google

§. LIV.

De assensu Proregis.

POteſtas ſuper feudorum alienationibus aſſenſum concedendi a Rogerio ad Hiſpanorum imperium perduravit, primumque ſub Ferdinando Catholico Regnum, & Neapolitana Civitas ſuis Dominis orba, Proregum auctoritate gubernari cæpit. Quorum primus fuit Conſalvus Ernandez, quem hibericus faſtus *magnum Ducem* dicebat. Regis perſonam in omnibus propemodum repræſentabant, ut prolixe de Ponte *de Pot. Pror.* & Roceus *de officiis* exponunt, & ex formula conceſſionis, quam A. Surgens *Neap. illuſtr. cap. XIV.* ex Regeſtis Cancellariæ ſumptam exhibet, apparet: *Tenore igitur præſentium de certa ſcientia, regiaque auctoritate noſtra deliberate, & conſulto, ac ex gratia ſpeciali, maturaque ſacri noſtri ſupremi Conſilii accedente deliberatione, præfatum Illuſt. Ducem Oſſunæ, Comitem Ureniæ, Marchionemque de Pennafiel, ad unum triennium a die captæ poſſeſſionis computandum, Viceregem, Locumtenentem generalem noſtrum, a latere noſtro dextro ſumptum, perſonamque noſtram, & alterum nos repræſentantem, armorumque Capitaneum noſtrum generalem tam in mari, quam in terra, in dicto noſtro Siciliæ citra Farum Regno, facimus, deputamus, creamus, conſtituimus, & ordinamus. Ita ut deinceps dicto triennio durante, ſit Vicerex, Locumtenens, & Capitaneus generalis, & alter nos in dicto regno, ac vice, loco, & nomine noſtris, & in perſonam noſtram præſit, & præferatur omnibus, & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prælatis, ac religioſis perſonis, nec non fideliſſimæ Civitatis noſtræ Neap. Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, aliiſque Civitatibus, & Terris, & Univerſitatibus, ac Univerſis, & ſingulis Tribunalibus, & Officialibus noſtris, & aliis perſonis tam majoribus, quam minoribus, quovis officio dignitate, auctoritate, & gradu, & conditione diſtinctis, etc.*

Qua de re Proregibus erat auctoritas aſſenſum præſtandi in alienatione feudorum, ſive civitates, caſtra, vel oppida, aliave fuerint, ut ex eadem Cancellariæ formula conſtat, *nec non contractibus ſuper rebus feudalibus aſſentire, exceptis tamen caſibus per regiam pragmaticam, vel alias, reſervatis. Novas inveſtituras quorumcumque Principatuum, Ducatuum, Marchionatuum, Comitatuum, Baronorum, & aliorum quorumcumque bonorum feudalium, tam titulatorum, quam ſine titulo, legitime ſucceſſoribus, & aliis perſonis,*

Digitized by Google

nis, de rebus feudalibus facere, & homagia, & fidelitatis juramenta a feudatariis accipere possit. Cum itaque Prorex sit una persona cum Principe, majore fruitur potestate, quam apud Romanos Præfectus prætorio, & domi, militiæque summum imperium exercet, Budæus *ad l. si in aliqua §. cum plenissimam D. de Offic. Procons.* Surgens *loc. cit. cap.* 22. *n.* 11. Et olim in Regno statim ac Prorex creabatur, ipso jure in omnibus feudorum alienationibus assensum concedere poterat. Verum si dubitatio, aut in his, aut in aliis regni negotiis occurreret, Regem consulebat; quem morem Aegyptiorum Ministri, qui justitiam in xxx. terræ ægyptiacæ præfecturis, servabant, quas *Nomos* seu locum juri dicundo, cautissque agendis opportunum ipsi vocabant, Kircher prolixe *Aedip. Aegypt. to.* 1. *Synt.* 1. *cap.* 11. & Romanorum Præsides, de quibus assidue Plinius, & Symmachus in suis Epistolis loquuntur.

Quamvis Proregum auctoritas magna fuisset, plura tamen inconsulto Rege, agere nequibant, quæ exponere instituti mei non est, vid. Roccus, & Ponte *locc. citt.* Primus Carolus V. *in pragm. IV. de feud. an.* 1331. 17. *Octob. Buxellæ* circa feudorum alienationes eorum potestatem circumscripsit, & novem casus excepit, in quibus feudorum alienationes, ipso illaudato, fieri prohibuit. Primus casus est, si alienatione bona feudalia ad Ecclesiam, vel Monasterium devenirent. Merito: quia Ecclesia, Monasterium, Universitas, aut quodlibet collegium est legio immortalis, nunquam desinit esse heres, Ludov. Servinus apud Hospinian. *lib. IV. de Monach. c.* 20. *corpora omnia, & Universitates manus mortuæ vocantur: quia legionibus similes sunt, & quibus licet multi decedant: tamen cum in eorum locum alii subiiciantur, eædem existimantur, ut idem populus idem magistratus, qui ab hinc centum annis fuerunt, quamvis ex illis nemo supersit.* Et jus devolutionis impediretur. Imo si vasallus his locis vellet feudum vendere ne Rex quidem assensum præstare tenetur, nisi adoham, & relevium singulis quindecim annis R. Curiæ solvere se obligaverint, aut feudum in personam laici conferrent, tunc Priorex, & Rex possunt, atque assentiri debent, Frecc. *lib.* 11. *de subfeud. auct.* 111. *n.* 15. Rocc. *de Offic. rubr. XIII.* §. 1. *n.* 15. quo jure utimur.

Secundus casus: si vasallus de feudo disponere velit, sed legitimo careat successore, hoc est, quem leges Regni ad successionem vocent. Et etiam Rex assensum denegare potest: nam hic dominium feudi directum alienari videtur, dum jus devolutionis R. Curiæ auferre curat, & recte consuetudo Cancellariæ se habet, quum in feudorum alienationum assensu clausulam apponit, *modo feudatarius successores habeat*, Ponte *de Pot. Pror. tit. VII.* §. 3. *n.* 14. Rovit. *hic n.* 33. & 40. Excipitur, si vasallus, etsi actu filium,

Digitized by Google

lium, aut successorem non habeat, tamen procreare potest, sicut nonnullis Regni prudentibus placet. Verum rectius Roccus *loc. cit.* §. 2. *n.* 16. negat, quia Carolus V. requirit, ut tempore, quo Prorex assensum præstet, vasallus successorem habeat, etsi tempore mortis vasalli non supersit, tunc fiscus ab emptore vindicare nequit. Neque hæc solemnitas ab incerto eventu dependere debet, neque a lege in quolibet tempore exposcitur, sed in tempore, quo assensu alienationis contractus confirmatur, *l.* 7. §. 14. *D. de public. in rem actio.* Camerar. *in* 11. *f.* 55. *p.* 30. Et nomine *successoris* venit primus, & immediatus successor ut probat Rovitus *hic n.* 20. qui jure Const. in tertio, jure noviſſimo in quinto gradu existere potest, & debet. Si alienator habet clericum in minoribus ordinibus constitutum, successore non dicitur carere, cum iste in feudo succedere valeat, & concedi solet spatium sex mensium, an clericatui renunciare, an feudum amplecti cupiat, Roccus *loc. cit. n.* 37. Andr. *in* 11. *f.* 21., sive simplex, sive beneficiatus sit, cum suo arbitrio habitum dimittere possit, confer. Ponte *loc. cit.* §. 4. Tenetur & potest Prorex assentire, si de actione hypothecaria agitur, quam creditor super feudo pro sua quantitate habet, Rovit. *hic n.* 2.

Tertius casus: si feudum alienatur in eum, qui Regi parum fidelis est, aut ab infideli originem trahit. Recte: quia nulla major fidelitas in humanis actibus requiritur, quam in feudali conventione, quæ a fide vocatur. Hodie autem hic casus cessat, & *an.* 1533. Carolus V. *in pragm.* 121. *de feud.* sanxit, *Placet Cæs. & R. M. dispensare cum dicta pragmatica* (vide §. 4.) *in eo quod prohibeatur, ne assensus interponerentur per Vicereges, & Locumtenentes generales in dicto Regno in donationibus, aut obligationibus feudorum factis his, qui fuissent parum fideles, aut originem traherent ab infidelibus: volentes, ut dicta pragmatica quoad hoc non obstante, dicti assensus interponi possint, si & quemadmodum ante publicationem dictæ pragmaticæ fuit consuetum.*

Quartus casus: si natura feudi mutatur, & successorem extra successionis limites instituit. Nihil igitur de feudi investitura, pactis, & successionis ordine assensiendo Prorex mutare valet, cum & Regis damnum, & agnatorum vasalli læsio contingat, quod jure longobardico satis sancitum erat 11. *f.* 34. §. *profecto*, 11. *f.* 9. §. *donare*, 1. *f.* 8. idcirco R. Cancellaria in assensus privilegio, seu diplomate clausulam sub conditione, *natura feudi in aliquo non mutata*, includit, Roccus *loc. cit.* §. 4. *n.* 9. Feudi natura pluribus modis capite minuitur, videlicet, si feudum perpetuo ab onere relevii, aut adohæ, aliusve obligationis eximit, si ex pacto, & providentia fuerit, deinde in hereditarium mutatum, modo hæc immutatio perpetuo duret, secus si paulo post expirat. Si alios in-

stituit successores, quam a lege feudali vocatos, si remotiorem, præterito proximiore, invitat, tunc proximior feudi possessionem ingreditur, sive feudum fuerit hereditarium, sive ex pacto, & providentia. Nam in investituris hujus Regni consuetus Cancellariæ stilus existimatur, *pro te, & heredibus ex corpore legitimo descendentibus, sexus, & etatis prærogativa servata*, quæ læditur, si vasallus investituram, primamque concessionem immutat, Bammac. *in* 11. *f.* 26. §. *omnes filii q.* 4. Roccus *loc. cit. n.* 35. & licet pater, invito etiam primonato, in extraneum alienare possit, tamen, prætermisso primonato, secundonato donare prohibetur, quia in hoc casu lex feudi mutatur, modo primonatus dissensit, quia consensu primonati etiam sine Regis, aut Proregis consensu in secundonatum recte alienat, & refutationem appellamus 1. *f.* 5. §. *præterea* Ponte *de Pot. Pror. tit.* VIII. §. 10. *n.* 25.

Quintus casus: si feudum dividatur, aut reservato usufructu aut quarta parte alienare velit. Ratio est juris longobardici, quum jus super feudo instituetur, & conditio feudi deterior evadit. Excipitur, si vasallus annuam perceptionem ex fructibus feudi sibi reservat, quia non jus in re, sed fructus a solo separatus, & allodialis, nec Regis assensu opus est, Rovit. *hic n.* 16. Roccus *loc. cit.* §. 5. *n.* 9. Hodie hæc exceptio silet, dum Carolus V. *an.* 1533. *in pragm.* VII. *de feud.* hanc facultatem Proregibus concessit. *Placet Regiæ majestati revocare, quod per præfatam pragmaticam erat prohibitum, ne assensus interponerentur donationibus factis, reservato dominio, seu usufructu, illudque ad arbitrium Viceregis præsentis, aut pro tempore existentis remittere, ut ipsi possint interponere assensus, quemadmodum ante dictam pragmaticam fieri solebat, quando pater, aut mater in casu matrimonii filiis fecerint donationem suorum statuum, & non in aliis casibus.* Ante hunc Legislatorem Regni Prudentes certabant, an reservato usufructu, refutatio valeret? Et affirmatio Imperatori placuit; sive feudum titulatum, sive non fuerit. Verum hæc exceptio non est generalis, sed specialis, nempe tantum permissa, si pater, aut mater contemplatione matrimonii donationem feudi filiis, & non in ceteris casibus, fecerit, sicut hic Carolus V. declaravit, Rovit. *ad pragm.* IV. *de feud. n.* 5. Ponte *de Pot. Pror. tit.* VIII. *n.* 1. Constant. *ad prag.* IV. *de feud. n.* 11.

Præterea *an.* 1557. *in pragm. XIV. de feud.* Regnum rogavit Imperatorem, ut Proreges donationibus contemplatione matrimonii faciendis *ex nunc pro tunc sequuta morte* assentire possent, modo, aperta successione relevium solvatur, & devolutione facta in personam refutantis, gratis nulla evaderet? Regnum potius sibi no-

nocuit, quam hac Gratia profuit: nam Proregibus dumtaxat assentire vetabatur, quoties refutatio, ususfructu, vel dominio reservato, fieret, quod etiam Carolus V. postea abrogavit. Sed donationibus ex nunc pro tunc sequuta morte Proreges assentire poterant, quia puræ & simplices dominium & possessionem transferunt. Nec relevium erat solvendum, quia refutatarius non ex successione, sed contractu inter vivos habet. Nec delicto, seu felonia refutantis feudum devolvi potest, quod jam pleno jure refutatarius adquisiverat. Verum refutatio cum clausula ex nunc pro tunc sequuta morte, non ruit, si Regis, aut Proregis assensus deest, cum supplicatio superflua esset, Ponte *de Pot. Pror. tit.* VIII. *n.* 1. *& seqq.* Latro *consuls.* 80. Roccus *loc. cit.* §. 5. *n.* 36. *& seqq.*, Rovit. *loc. cit.*

Sextus casus: si in testamento, vel contractu adest substitutio, hoc est legata, fideicommissa, institutiones, aut alia quælibet dispositio: nam in feudis, non nisi legitimus heres & proximior succedit, nec vasallus ordinem successionis intervertere valet, 1. *f.* 8. Rovit. *ad d. pragm.* IV. *n.* 81. nec successor, instituto fideicommisso, aut legato, ex mente primi acquirentis, & investituræ, sed testatoris judicio succedit, & prima concedentis intentio violatur, Freccia *lib.* III. *de subfeud. diff.* 6. Curte *in divers. par.* II. *c.* 5. *n.* 170. idcirco Regis tantum assensu indiget, & tunc tam in feudo hereditario, quam ex pacto fideicommissa, & substitutiones agere potest, etiamsi inter descendentes celebrentur. Hodie vero *ex pragm.* 33. *&* 34. *de feudis* sine Regis, aut Proregis assensu vasallo fideicommissa, substitutiones, & majoratus, ut supra probatum est, componere permissum est.

Septimus casus: si pars feudi nempe vel medietas, vel quarta, vel tertia alienatur; cum feudum juris primogenituræ fuerit, II. *f.* 55. Const. *D. M.* quia divisione inter agnatos facta clientelæ etsi magni nominis, & reditus cito intereunt, familiarum splendor obscuratur, Regnum servitia non sedulo excipit. Hinc castrum, aut territorium Baroniæ conjunctum non alienat, barona plures continet clientelas, & non diverso, sed eodem jure regitur, nec unam ex his sine speciali Regis licentia subinfeudare potest, Const. *D. M.* Præsertim si ea vasallos, & jurisdictionem habeat. Nec aliquod Casale feudo inhærens separat, quia feudum, ex quo Baro, vel Comes titulum assumit, est tanquam metropolis, quæ sua oppida, casalia, & castra possidet, atque unum cum ea, eodem jure, & politia, constituunt. Comitatus est territorium plurium villarum, vel castrorum, Baronia est nomen universale plura sub se feuda complectitur. Hanc unionem vasallus sine

Regis conſenſu labefactare, aut perimere prohibetur, Free. *lib. 1. tit. quis dic. Comes n. 23.*, Roccus *loc. cit.* §. 7.

Octavus caſus: ſi quis feudum tenet ad beneplacitum Regis, & ad alium transferre velit, tunc, mutata perſona, beneplacitum ſublatum eſſe videatur. Olim feuda ad arbitrium Senioris concedi ſolebant, poſtea, etſi varia mutatione, perpetua evalerunt. Novus denique caſus eſt, ſi feuda majora, nempe Ducatus, Principatus, Comitatus, Baronia alienantur, quum hujuſmodi clientelarum alienatio Regi, & Magnatum familiis nocere facilius poſſet. Verum Philippus II. *an.* 1561. *in pragm. XVII. de feud.* hanc exceptionem abrogavit, & ſanxit, *Catholica, & Regia Majeſtas, ut hilaris animi gratitudine Regnicolas beneficii proſequatur, dum de ipſius voluntate proceſſerit, ſuas vices Proregi præſenti, & ſucceſſive futuris deferri, quatenus Reg. & Catholica Majeſtas nomine aſſenſus impartiri, atque concedere poſſint venditionibus, obligationibus, permutationibus, hypothecis, & aliis alienationibus faciendis ſuper quibuſvis Civitatibus, Terris, Locis, Caſtris, Oppidis aliiſque bonis feudalibus, tam titulatis, quam magni momenti: ex tamen venditione excepta, cum contingat Terram, Civitatem, Caſtrum, Oppidum, vel locum vendi, quæ tituli dignitate decorata ſint. Tunc enim mandat ad ſuam Majeſtatem recurri, a qua regius ſuper ea impetratur aſſenſus, firma tamen remanente quoad alia capita pragmatica edita anno* 1531.

Latiſſima propemodum conceditur Proregi aſſenſiendi facultas, ut ſuper alienatione, obligatione, & hypotheca feudorum regalium, Civitatis, Oppidi, & Caſtri aſſenſum præbere poſſent. Excipit tamen venditionem Civitatis, Oppidi, aut Caſtri, quod dignitate tituli decoratum eſt, ſeu fulget, & Baro nomen recipit. Id *an.* 1586. Philippus II. in *pragm. XXVI. de feud.* abrogavit, & Proregibus etiam ſuper feudorum titulatorum alienatione, hoc eſt dumtaxat obligatione jus aſſenſiendi permiſit, hac conditione, ut *non poſſit ullo modo deveniri ad venditionem dictorum feudorum iam obligatorum, & hypothecatorum, niſi obtenta prius licentia, & aſſenſu a præfata Catholica Majeſtate dictam venditionem de dictis titulatis faciendam.* Sive ipſa feuda titulata cum titulo, ſive ſine titulo vendantur, ſicut Henricus Cuſman *an.* 1597. ſub eodem Philippo II. in *pragm. XXI. de feud.* ſanxit, ut & in omnibus aſſenſibus clauſula *exceptis feudis titulatis*, intelligeretur, Rovit. *ad pragm. IV. eo. n. 4.* Roccus *loc. cit.* §. 9. Denique Prorex non poteſt aſſentire feudorum alienationibus, quas Exteri in Regno contrahunt, ſed Regis aſſenſu opus eſt, *Pragm. XVI. de feud.* ibi Conſtan. Hodie omnis commercii propemodum ſpecies ſuper Regni clientelis ab oraculo noſtri Regis dependet.

§. LV.

Digitized by Google

§. LV.

Causſa, conditio, & ſolemnitas aſſenſus.

JUre Longobardico, & Regni, prohibita clientelarum alienatione, cenſetur quoque vetita hypothecæ impoſitio, quia omne commercium a feudis avelli debet, niſi Senior aſſenſiat, qui alienationi cauſſam, hoc eſt præſidium præbet, ſive jus in re, ſive ad rem conſtituat, Gamer. in 11. *f.* 55. *p.* 15. Nam hypothecam ſicut & pignus debitor creditori in ſecuritatem debiti concedit, & tacite convenit, ut ſi, ſtatuto tempore, debitum non ſolvat, creditor facultatem hypotheca utendi exerceat, hoc eſt, non miſſus eam, quam pignus diſtrahere valeat. Diſtractio eſt alienatio, quæ in feudis interdicitur, ergo & hypotheca, 11. *f.* 8. §. *fin.* Weſenbec. *cap.* XI. *n.* 5. Sonsbec. *par.* XII. *n.* 100. Vultej. *lib.* 1. *de feud. cap.* X. *n.* 54. *& ſeqq.*

Si Regis aſſenſus intervenit, tunc recte ſuper feudo conſtituitur hypotheca, quæ creditori poſſeſſionem, ſecuritatem, & fructuum perceptionem vulgo *tenutam* attribuit, eamque creditor tanquam feudatarii debitoris procurator exercet, nec aliquid juris adquirit. Olim in Regno venditor bonorum allodialium, aut annuorum introituum, aut debitor ſolebat in caſum evictionis bona feudalia obligare cum regio aſſenſu, quem Prorex cum clauſula *pro ſe, & heredibus ex corpore* præſtaret. Eveniebat, ut emtor, aut creditor ſine ſucceſſoribus decederet, licet reditus allodialis, aut creditum in heredem extraneum tranſiret, tamen dum hic heres hypothecam ſuper feudo exercere voluiſſet, non poterat, quum heres ex corpore primi acquiſitoris non eſſet. Atque quiſque, extincta hypotheca, de ſuo credito eludebatur, idque inductum, ne, facta feudi devolutione, Rex his oneribus implicaretur, ſed nemo ſuam pecuniam feudatariis mutuabat, ne pecuniam ſuam amitteret.

Qua de re Civitas ſupplici libello Philippum II. *an.* 1586. adiit, ut aſſenſus ſuper obligatione feudi præſtitus cum clauſula *pro ſe, & heredibus ex corpore*, præſtitus *pro heredibus quibuſcumque* cenſeretur, modo R. Curiæ non noceret, quod Monarcha *in pragm.* XXVII. *de feud.* indulſit, *Placet Regiæ, & Catholicæ Majeſtati concedere dicto Regno, quod per ipſum ſupplicatur, dum tamen in hoc minime comprehendantur feuda devoluta, aut devolvenda ad regiam Curiam, vel poſſeſſa a feudatario non habente ſucceſſorem in feudo, nec feuda pro quibus Curia noſtra de evictione teneatur, minimeque ex quorum hypotheca, & alienatione aliquod detri-*

trimestrum hac de cauſſa generali poſſit. His enim caſibus vult ſua Regia Majeſtas interpretari, & declarari, aſſenſum fuiſſe expeditum in antiqua forma reducente, & declarante: pro heredibus ex corpore non obſtante clauſula in aſſenſu appoſita, vel apponenda, pro heredibus, & ſucceſſoribus quibuſcumque. Et his tribus caſibus exceptis R. Curia ſibi conſuluit.

Ex his oritur quæſtio, an actio hypothecario ſine novo aſſenſu inter vivos, vel cauſſa mortis in alios transferri, & allodialis cenſeri poſſit? Regula jure Regni, & longobardico recepta eſt, ſenioris aſſenſum de caſu ad caſum, perſona ad perſonam, tempore ad tempus, re ad rem non extendi, niſi aliud ejus voluntas ſuadeat. Dum Regnum petiit a Philippo II. pro heredibus extraneis, etiam petere pro ceſſionariis debebat; non petiit, igitur Rex pro ceſſionario non reſcripſit. Hypotheca itaque ſicut ſine aſſenſu in feudo imponi non poteſt, ita jam impoſita ſine novo aſſenſu ad alios transferri, & cedi prohibetur, nec ceſſionarius eſt heres cedentis, Montan. *conſult. 76.* Luca *ad conſult. 56. Capyc. Latron. n. 14.*, aliique Regni Prudentes. Verum Conſtanti. *ad d. pragm. 27. n. 6.* Roſa *in prælud. feud. lect. VII. n. 12.* ſine novo aſſenſu cedi poſſe defendunt, præſertim hodie, dum in inſtrumento ceſſionis cedens conſtituit ceſſionarium in rem propriam, in quem directarum actionum exercitium transfert, atque ex perſona cedentis ceſſionarius agere ſuper feudo poteſt. Nam actio hypothecaria eſt omnino allodialis, cedi, atque alienari ſine novo aſſenſu, ad heredes extraneos tranſire valet, Capyc. Latro *Conſult. 84. n. 36. & 37. n. 11.* Luca ad Franch. *dec. 75.* Prior mihi ſuadet theſis, quia licet hypotheca ſit allodialis, tamen ratio, cur aſſenſu Regis indiget, etiam in Ceſſionario valet, qui cedentis jura sepræſentat, & exercet. Igitur ſicut cedens aſſenſum adhibuit, ita & Ceſſionarius adhibere debet, Larata *in Th. feud. par. VIII. 68.*

Antiquitus in regno certari ſolebat, an in adjudicationibus feudorum Regis aſſenſu opus eſſet? Poſtea jus ſcriptum ſucceſſit *in pragm. XXIII. de feud. an. 1585. 12. Julii* Proregis Petri de Giron, qui neceſſario aſſenſu requiri conſtituit, *mandamus, quod in adjudicationibus feudorum creditoribus faciendis per Sac. Reg. Conſilium, quoſcumque alios judices intervenire debeat regius aſſenſus, ut ſic habeatur notitia feudatarii: alias adjudicatio ſit nulla, prout annullamus ipſo jure.* Merito: Regis intereſt cognoſcere, ad quem feudum tranſeat, ne de relevio, aut adoha fraus fieret. Olim quoque omnis aſſenſus tacite, aut expreſſe clauſulam continebat, *bona feudalia non addicuntur, quum allodialia ſupplicantis deficerent*, Carolus V. *in pragm. IV. de feud.* quam idem Auguſtus in

pragm.

pragm. VII. eo. an. 1553. abrogavit, *Placet regiæ majestati, quod deinceps in assensibus expediendis non ponatur clausula, quæ per dictam pragmaticam ponebatur (quod bona feudalia non intelliganter obligata, nisi in defectum bonorum allodialium, seu burgensaticorum & ipsis non sufficientibus ad satisfactionem partis, cujus interierat) quin deinceps dicti assensus expediantur sine prædicta clausula, eo modo ac forma, quo ante ejus promulgationem expediri consuetum fuit.*

Assensus solemnitas est; partes Regem adeant pro contractu super feudi alienatione inito, ut assensum præstet. Olim omnis assensus verbo *fiat* concedebatur, quo contrahentes alienandi facultatem reciperent. Supervenit Ferdinandus Catholicus, & *an.* 1509. in *pragm. I. de fide memor* sanxit, *ordinamus quod dictis memorialibus nulla fides adhibeatur in judiciis, nec impetrantes illis gaudere possint, nisi privilegia, provisiones, aut litteras appositione sigilli nostri obtinuerint, quin potius careant impetratis cum dictis memorialibus concessis, si provisiones, litteras, aut privilegia, in cancellaria nostra expedita, sigilloque nostro sigillata non obtinuerint.* Obtento enim assensu, domi servabant, & facile jura fisci lædebantur. Recte primus Rex Catholicus nullam ei adhiberi fidem, nisi in *forma* R. Cancellariæ & privilegii redigeretur, constituit. Expedito in regia Cancellaria, atque in ejus regestis descripto, deinde in regestis R. Cameræ describi oportet, ut fiscus feudatarios cognoscere posset, a quorum adoham, relevium, & casum devolutionis exigat, Camil. de Curt. *in diver. par.* II. *cap.* 5. *n.* 157. Ponte *de Por. Prov. tit.* VII. §. 9. Ravit. *ad d. pragm.* I. *n.* 10. 11. *&* 12. Hæc assensus expeditio in forma Cancellariæ in sigillum Regis, manum olim Quæstoris, seu Logothetæ, hodie Regentium R. Cancellariæ, & in quinternionibus R. Cameræ descriptionem, quam stylus Cancellariæ assidue requirit.

Tempus ab expeditione assensus ad has solemnitates olim in Regno erat octo mensium, postea annus, denique biennium ut Philip. II. an. 1580. in *pragm.* III. *de fide mem.* sanxit *Regia, & Catholica M. vult, & jubet, quod commoditati Regni consulatur, ut hujusmodi termini ad duos annos prorogetur, & extendatur.* Si hoc biennium elabitur, & sigilla deficiant, assensus corruit, Carolus V. *anno* 1527. *in pragm.* II. *de fide mem.*, ejus Prorex Petrus de Toledo *in prag.* IX. *de feud. an.* 1542. Durante tamen biennio assensus dicitur perfectus, etsi verbum duntaxat *fiat* & non *formam* Cancellariæ contineat, idcirco interim venditori revocandi facultas negatur, Curte *loc. cit. n.* 158. assensus enim præstatio est pura, licet sub conditione resolutionis, si intra biennium

nium in forma R. Cancellariæ redigatur, Ponte *loc. cit. n.* 12. Denique præter has ſolemnitates emptor feudi intra annum non a die ſubſcriptionis Memorialis aſſenſus per verbum *fiat*, ſed poſt biennium expedito aſſenſu *in forma* R. Cancellariæ computandum, & præſtito prius ligio homagio litteras aſſecurationis a ſuis vaſallis recipere tenetur, modo emptor in feudi poſſeſſione reperiatur, ſicut Petrus de Giron Prorex *an.* 1585. ſub Philippo II. *in pragm. XXIII. de feud.* Rovit. ibi *n.* 4. ſanxit. Quod ſi hujus ſolemnitas, vel regiſtrationis, ſigilli, vel aſſecurationis vaſallorum non fuerit adhibita, atque elapſo biennio, aſſenſus evanuerit, ſi iterum Regia aulam adeunt, Princeps diſpenſat, & *diſpenſatio prædicta ſuum ſortiatur effectum, quando re integra hoc fiat, & citra præjudicium alieni juris, & regii fiſci, inſeraturque diſpenſatio in dorſo privilegii manu regiorum ſcribarum regiſtri in regia Cancellaria exiſtentium*, ſtatuit *d. pragm.* 23., ibi conſtant. *n.* 5.

Tempus vero obtinendi aſſenſum eſt ante alienationis contractum ſed ne diu aſſenſus in pendenti eſſet, Petrus de Toledo *an.* 1544. ſub Carolo V. *in pragm. x. de feudis* trium menſium ſpatium conſtituit, a die aſſenſus computandum, quo contrahentes alienationem perficere deberent, *ſtatuimus ut contrahentes, & diſponentes ſuper feudis, ſuper quibus fuerint impetrati aſſenſus, infra tres menſes a die impetratorum aſſenſuum debeant contrahere; & diſponere per ſcripturas publicas regiorum notariorum firmatas, & confectas, alias dicti aſſenſus præſtiti ſuper dictis contractibus, & diſpoſitionibus ſint ipſo jure nulli, & nullius auctoritatis, ac ſi non eſſent præſtiti, & tales contractus & diſpoſitiones ſint nullius roboris, & momenti: & ſi qui aſſenſus ducuſque præſtiti reperirentur ſuper contractibus, & diſpoſitionibus feudalibus, qui contractus, & diſpoſitiones non eſſent firmati, & celebrati per acta publica in poſſe Notariorum regiorum, quod infra tres menſes a die publicationis præſentium debeant firmari, & legitime celebrari, alias pariformiter dicti aſſenſus præſtiti intelligantur nullius roboris & momenti* (a). Ex hac

(a) Ex his conſtat, Regis, vel Proregis aſſenſum præcedere, ineſſe, vel ſubſequi contractum poſſe. Sed an retotrahi? Diſtinguendum: ſi Senioris, ſive Regis conſenſientis præjudicium vertatur, retotrahi poteſt, ſi damnum Tertii contineat; minime. Finge, Titius emit feudum ſine aſſenſu, idem feudum poſtea Mævius ab eodem vaſallo cum aſſenſu emit, deinde ſi Titius aſſenſum obtineat, nihil agit. Nam aſſenſum præſtare nihil aliud eſt, quam impedimentum tollere, quominus jura vaſalli alienantis fructus

hac legum municipalium mutatione, cognita temporis epocha, quisque clientelares de assensu quæstiones, jure, quod tunc obtinebat, persolvere poterit.

TITULUS XXXVI.

De Assensu Regis, & Baronis.

§. LVI.

De Assensu subfeudi.

TAntum de feudi simpliciter quaternati, id est Comitatus, Marchionatus, Ducatus, Principatus, & Baroniæ, eorumque juris alienatione. Sed quia in Regno etiam feudum quaternatum secundum quid, & feudum planum, & de tabula reperitur, videndum an Regis, an Baronis, an utriusque assensu in alienatione opus fuerit. Juris Longobardici Interpretes contendunt, an Senioris immediati, an mediati in alienatione subfeudi consensu subvasallus indigeat? Pistor *lib.* 11. *q.* 45. *n.* 13. tenet in feudis, quæ subinfeudari solent, senioris immediati, in aliis mediati consensum requiri, cui Struvius *Synt. jur. feud. cap. XIII. A.* 2. adhærere videtur. Eorum ratio est, quia si sine consensu superioris Domini vasallus feudum subinfeudare valet, etiamsi ejus damnum agatur, multo magis subvasallo subfeudum alienanti consentire poterit. Et quotidie in Gallia, atque Imperio servatur, cum stultum foret, vasallum, qui ab Electore feudum recognoscit, si illud velit alienare, non ipsum Electorem, sed Imperatorem adire cogatur. Postremo Fridericus I. Principum Italiæ querelis *in* 11. *f.* 55., quorum vasalli, ipsis illaudatis, feuda alienabant, motus, deinceps alienationem prohibuit.

Verum Jacobus de Ardizo *in sum. cap.* 103. Sonsbec. *par. XII. n.* 92., Andr. *in* 11. *f.* 55. *n.* 9. ibi Montan. *n.* 78. Vultej. *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 81. ceteri utriusque senioris consensum defendunt. Hujus opinionis ratio est damnum immediati senioris, qui alium vasal-

---

ctuaria in emptorem transire possint. Vasallus transfert, Senior translata confirmat, vasallus contrahit, senior contractum confirmet. Hæc confirmatio emptori jus quæsitum parit, quod senior auferre non potest. Mævius assensu senioris contrahens prius jus adquisivit, quam Titius, qui sine assensu contrahit, Andr. *in* 11. *f.* 55. *n.* 14. Afflict. *decis.* 286.

Digitized by Google

lum habere cogeretur: & omnis actus, qui duorum continet præjudicium, omnium consensum requirit *l.* 8. *g.* & 10. *D. de Aqua pluv. arc. l.* 11. *D. de S. R. P.* Fateor, immediati dumtaxat senioris consensum expectari, si juris longobardici vestigia sectari velimus. Nam textus *in* 11. *f.* 34. quæstionem dirimere videtur, *similiter nec vasallus feudum sine voluntate Domini alienabit: in feudum tamen recte dabit, si secunda persona sit talis quæ feudo servire possit: ut si dans miles esto, & ille, qui accepit feudum inveniatur miles, ad hoc feudum si contigerit, Domino similiter servire ut & prior possit: & hoc ut dare liceat in infinitum. In quibusdam tamen Curiis ultra tertiam personam feudi concessio non extenditur: ut cum feudum pervenit in quartam personam, ei auferre Dominus possit.* Feudista liberam subinfeudandi facultatem concedit nec semel, sed iterum, atque, ut nonnullis in infinitum, aliis in tertiam personam placuit, de secunda, vel tertia subinfeudatione agens, de consensu mediati senioris non memimit, sed jure prioris facultatis jam permissæ vasallo iterum subinfeudandi libertatem concessisse videtur. Quemadmodum enim prima subinfeudatio, seniore inconsulto, recte celebrari potest, nec lex feudalis Domini præjudicium consideravit, modo sincere, iisdem pactis, & in vasallum æque strenuum fiat, ita & secunda, tertia, & deinceps, quæ non natura, aut substantia a prima, sed numero differt. Permissa igitur prima, posteriores sine senioris mediati consensu permitti necesse est, Borcholten *de feudis c. VIII. n.* 52.

Hæc nihil aliud, nisi perpetuam subinfeudandi facultatem ostendunt. Et si primus vasallus sine Domini assensu subinfeudat, secundus etiam non primi senioris, sed tantum inferioris licentia subinfeudare valet, a quo jura omnia in suo subfeudo recognoscit, & cui fidelitatis jusjurandum, & servitia, excepta mediati senioris persona, præstare tenetur, ab eo investituram, ejusque renovationem petit, ne subvasallus mediati senioris, sed immediati vasallus dicitur, exemplo donationis, cui feudum respondet. Si Titius Mævio fundum donat, & Mævius Cajo, Cajus non a Titio, sed a Mævio donationem recognoscit. Laborant Interpretes, dum inquirunt, curnam omnis alienationis species in feudo prohibeatur, & subinfeudatio liceat? Disputat Vultej. *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 149. sed non enucleat; conatur Pistor *lib.* 11. *q.* 44. *n.* 2. & nihil pene agit. Vera ratio est, quia vasallus alius vasallis id est valvasinis stipatus domi, militiæque mediatum seniorem adjuvare sedulo, & facilius poterat; atque ab hac subinfeudatione, non ab alienatione lucrum sentiebat. Consuetudo hæc in Italia nata, quæ tunc bellis flagrabat, & quisque auxilio indigebat.

Hæc

Hæc de jure Longobardico. Jure autem Regni, de quo proprie loquitur Andr. *loc. cit.* in subfeudi, seu feudi quaternati secundum quid alienatione, Regis, & Baronis assensum requiri constanter affirmo. Et primum origo hujus clientelæ in Regno est, quod Comites, & Barones perpetua consuetudine ad nos usque porrecta, castra, aut alia suæ Baroniæ feuda, consensu Regis aliis concedebant; hinc Baro ille dicitur, si habeat subfeudatarios, qui ab eo, & sub eo feuda quaternata secundum quid teneant. Atque si quis plura feuda possideret, nihilominus non erit Baro, nisi unum consensu Regis alii concedat, ut sub eo, & ab eo teneatur; aut nisi castrum a Rege in titulum Baroniæ teneat, sicut ex Const. *si quis Baro lib.* III. 13., Andr. *in* II. *f.* 51. *n.* 21., Frecc. *lib.* 1. *de subfeud. tit. quis dic. Baro n.* 5. ibi. *Si Rex facit mentionem de Baronibus in suo edicto, vel rescripto, aut nova constitutione, quam ederet, non intelligerentur hi esse Barones ex communi usu loquendi, qui habent castella, villas, & oppida, cum jurisdictione civili, & criminali, ac mero, & mixto imperio, erga suos vasallos, sed tantum illi, qui tenent castrum in titulum Baronis, vel haberent feudatarios ab eo, & sub eo tenentes feuda quaternata, secundum legem, & consuetudinem regni.*

Ex lege enim Friderici II. omnis Baronibus subinfeudatio interdicta est, & si subinfeudare velit, Regis assensu opus est, quod si subvasallus alienat, Baro, & Rex assentiri debet. Ratio viget: Nam hæc clientelæ species ad utrumque pertinet, ad Regem; quia dum ipse alienationi consensit, dare videtur, hoc est me, in quem subfeudum transit, a Regis liberalitate accipere intelligitur: ad Baronem, quia de rei suæ translatione agitur, & an vasallus sit sibi gratus, an inimicus, an potentior, inquirere debet. Damnum Regis, dum inspicit, ne feudum sui Baronis ad exterum, qui infidelis esse solet, ad rebellem, vel hostem perveniat: Damnum Baronis, ne quis potentior eo fuerit, ne Ecclesia, & Universitas, quæ relevium non solvunt, & devolutionem impediunt, suscipiat, Montan. *in* II. *f.* 55. *n.* 73. Ponte *de Pot. Prot. tit. VII.* §. 1. *n.* 3. Camer. *in* II. *f.* 55. *p.* 68. Frecc. *lib.* 1. *de subfeud. auct.* 1. *n.* 1. Hodie autem manus mortuæ relevium solvunt, nec devolutionem impediunt, ut supra probatum est, Capan. *de jure relev. par. IV. q.* 30.

Causa, qua ad serviendum inutilis esset, Regi, & Baro communis esse potest, quicquid nonnulli disputent. Si enim subvasallus sui Baroni domi, militiæque servire nequit, Baro recte in alienatione assensum denegat; & Rex si impotentiam serviendi cognoscat, merito & assensum recusat, cum subvasalli servitium

utriusque utilitati cedat. Proinde Baro tempore servitii non potest subvasallum dimittere, quia licet subvasalli servitium Baroni præstetur, tamen in Regis utilitatem redundat. Nec alium, dimisso primo, loco ejus subvasallum substituere, quia Rex suo assensu, personæ industriam, peritiam, disciplinam, nobilitatem, generositatem, aliasve qualitates selegit. In regno enim omne feudum simpliciter quaternatum est reditus unciarum xx., etsi pluris esse potest, cujus militare servitium videlicet suis expensis, tribus equis, & tribus mensibus anno, Regi præstatur, pro quo sæpe adoha solvitur, & supra probatum est, prolixe Andr. *in* 11. *f.* 51. *n.* 14. Idem servitium in feudo quaternato secundum quid reperitur, idcirco Regis interest, subfeuda, quæ militare servitium in Baronia solvunt, infeudari, nec Baro sibi incorporare, seu vindicare valet, Barthol. de Capua ad Const. *post mortem*, Andr. in Constit. *D. M.* quo jure vetustissimo hodie utimur. Merito itaque in hujus clientelæ alienatione Regis assensum requirimus.

Animadvertendum tamen est, Regis assensum duobus modis intelligi: Sæpe impedimentum prohibitionis aufert, nec consentiens alienare, sed alienantem non impedire dicitur. Baro ex Const. *D. M.* si bona sui feudi velit alienare, indiget Regis assensu, qui actum confirmat, etsi excadentias sine eo alienet. Sæpe non modo prohibitionis aufert impedimentum, sed vim novæ investituræ assumit, & feudum tunc ab utroque, Rege, & Barone tenetur, & quaternatum dicimus. Hæc assensu diversitas, natura, & cognitio patet, si in eo adest clausula, ut *sub eo*, *& ab eo* recognoscatur, quæ si deest, quaternationis effectum non producit, sed prohibitionis obicem aufert, Const. *post mortem lib.* 211. 25. verba *sub eo*, hoc est a Rege, dum feudum ad ejus collationem pertinet, & sine ejus assensu alienari, aut refutari non potest; *ab eo*, hoc est immediate a Barone, sive Rex concedit a Barone tenendum, & explicat Camerar. *in* 11. *f.* 55. *p.* 69., *quando Baro vult subinfeudare aliquid de sua Baronia, & impetratur assensus regius, ponunt clausulam videlicet, dum tamen immediate, & in capite a Regia Curia teneat, nam illud tenere in capite erat prius sine ista dictione immediate, quia in capite tenetur a rege, quando ab eo, vel ab alio Barone, eo consentiente, tenetur, ut in Const. ut de successionibus, & ibi Glo. & Isern. & in d. c.* 1. *de nat. suc. feu. sed addiderunt aliud verbum, videlicet immediate quasi nullo modo teneat ab alio. Et sic aliud est tenere in capite, quia sive teneat a Rege, sive teneat a Barone in capite tenet, aliud est tenere immediate in capite, quia tunc a solo Rege tenet. Per quæ vides feuda quaternata simplicia esse illa, quæ immediate tenentur a Rege, feuda vero quaternata secundum quid esse illa,*

quæ

Digitized by Google

quæ tenentur mediate a Rege, immediate autem a Comite, vel Barone, & in quinternionibus regiis descripta sunt. Tenere igitur in capite, & immediate tunc idem sunt, cum ab uno solo tenentur, sed dum a pluribus recognoscuntur, satis differunt, Andr. *in* 11. *f.* 55. *n.* 10., Cumia *in cap. si aliquem V. subfeudatarium in* 11. Freccia *de subfeud. lib.* 11. *auct.* 39. *n.* 5. Montan. *in* 11. *f.* 55. *n.* 82., Fulv. Lanar. *ad Patr. in* 19. 1. *n.* 122. Hinc si hæc clientela datur, ut in capite, & immediate a Barone teneretur, non esset clientela quaternata, secundum quid, sed de plano, & tabula, cum substantia ejus sit, ut ab utroque, *sicut in proleg. cap. IX. §. 46.* recognoscatur. Quod si Rex assentiri velit, & Baro recusat, si nulla suadet causa, Rex nomine Baronis consentire potest, Afflict. in Const. *D. M. n.* 32. (*a*).

Attamen si de subfeudi plani, & de Tabula alienatione agatur, solius Baronis consensu indigemus, cum ejus collatio ad Baronem dumtaxat perrineat, Const. *D. M. in fin.*, ratio, inquit, Camer. *in* 11. *f.* 55. *p.* 72., *quia ut plurimum hæc feuda sunt parva, & solemnitas quæ requiritur in magnis, ut in can. hoc jus porrectum X. q.* 11., *& in can. sine exceptione XII. q.* 11. *non extenditur ad minima, ut in can. terrulas eodem loco.* Altera ratio, quia hæc feuda solent a rusticis possideri, & reditum, & annuam præstationem, non militare servitium præstant, nec sub Const. *D. M.* continentur, nec æquitas pro re tam minima ad obtinendum Regis assensum, magnas expensas agere suadet, Freccia *de subfeud. lib. differ.* 2. Tertia ratio, quia ex d. Const. *D. M.* bona excadentialia, sive mansum, tenimenta subinfeudandi facultas Baroni conceditur, igitur, sicut supra de subfeudi juris longobardorum alienatione dictum est, solius vasalli consensum desiderari, ita & solus Baro in hujus clientelæ alienatione assentiri debet (*b*).

Hinc

(a) Communis locutio est in media feudali ætate, beneficium, sive feodum teneri *in capite, ab eo, immediate, & mediate*, & vox *immediate* in Petro de Vineis *lib. VI. c.* 25. a nostris Interpretibus deinde retenta occurrit, quam in vetustis Regni nostri legibus non invenit, nisi mea diligentia fallat.

(*b*) Ex his non displicet Etymon feudi plani & de Tabula, quod Andreas Georgius *in Repet. feud. to.* 1. *c.* VIII. *n.* 14. exponit. Nempe *plani*, hoc est simpliciter, sine solemnitate, quæ Regis assensu constare deberet. *De tabula*, quia non in brevi testato describitur, sed quovis modo adnotari sufficiat. Legibus enim Regni Baro, Comes, Princeps, Marchio, Dux minimis Valvasoribus compara-

Hinc in feudi quaternati alienatione speciali Regis consensu opus est, nec præsumtus, aut tacitus satis erit d. Const. *D. M.* cuum assensus formam privilegii sigillo muniti habeat, nec testibus probationem admittit; nisi præscriptio centum annorum concurreret, quæ vim tituli gerit, Frecc. *de subfeudis lib.* 11. *q.* 28. *n.* 4. In feudi plani alienatione tacitus Baronis consensus suppeditat, & juvat, exemplo præscriptionis 30. an. quo jure longobardico feuda adquiruntur 11. *f.* 26. §. *si quis per triginta*. Denique assensus Regis in alienatione feudi scripturam requirit, sed assensus Baronis in alienatione subfeudi testibus probari potest, Andr. Georg. *in Rep. feud. to.* 1. *c.* 21. *n.* 14.

TITULUS XXXVII.

De contractibus feudorum jure Regni Siciliæ.

§. LVII.

De permissa feudorum alienatione.

CONstitutio Rogerii, & Friderici II. quæ omnem clientelarum alienationem prohibebat, in utroque Regno viguit, donec Sicilia armis Coronæ Aragonensis Petri, & Successorum a Regno Neap. se divisisset. Et primum Rex Federicus in ea Insula liberam suis Baronibus de feudis disponendi facultatem concessit ex celebri *Cap. volentes XXVIII.* in quo Friderici constitutionem corrigere se profitetur.

Statuimus quod Comes, Baro, nobilis Feudatarius quilibet feuda tenens a Curia nostra, seu quandam partem feudi, absque permissione, seu licentia celsitudinis nostræ, feudum suum integrum, seu quotam partem prædictam possit pignorare, vendere, donare, permutare, & in ultimis voluntatibus relinquere, seu legare, & quolibet alienationis titulo transferre in unam tantum, eandemque personam digniorem, vel æque dignam, seu nobilem, sicut venditor seu alienator idem extiterit, præterquam in Ecclesias, & Ecclesiasticas personas, dummodo de pecunia venditionis ipsius integræ decima fisco nostro solvatur. Ita tamen quod tempore venditionis feudorum hujusmodi Majestati nostræ liceat pro pretio venditionis ipsius con-

ven-

---

paratur, qui jure Longobardico infeudare nequeunt. Baro allodia, vel partem sui feudi infeudare non potest, nisi Rex consensiat, And. Georg. *loc. cit.*

Digitized by Google

vento inter contrahentes eosdem, dictum feudum emere. Ita quod si infra mensem unum a die, quo ad notitiam nostram pervenerit numerandum feudum prædictum, vel quotam partem pro dicto pretio non elegerimus emere, & pretium solvere ut prædicitur, venditio valeat, & sit firma, nunquam per nostram Curiam in posterum infringenda.

Ex hoc Capit. feuda in Regno Siciliæ instar allodiorum existimari cæperunt, sicut moribus Francorum, & Belgarum, aliorumque, qui, inconsulto seniore, feuda recte alienant, Gudelin. *de jure feud. par. IV. cap. 2. n. 16.* Nec tantum inter vivos, sed & quolibet modo causa mortis, sive extraneum instituet heredem, sive substituet, aut leget, aut fideicommittet. In Flandria, Brabantia, Hollandia, & Geldriæ Ducatu vasallus consensu senioris de feudo testatur, Gudelin. *loc. cit.* §. 18. Christin. *ad Consuetud. feud. Duc. Geldr.* abrogatur textus *in* 1. *f.* 8. ibi *nulla ordinatione defuncti in feudo manente, vel valente*, cessat 11. *f.* 26. §. *in generali alienatione vasalli non continetur feudum, nisi nominatim dictum sit.* Nam allodium & feudum in alienandi facultate nihil differunt, & ratio textus in jure Siculo non procedit, licet Intrigl. *cens.* 11. *art.* 5. *n.* 834. dissensiat. Nec refert an feudum fuerit novum, an antiquum, an hereditarium, an ex pacto, P. de Greg. *de concess. feud. par.* VIII. *q.* 16. Intrigl. *loc. cit. n.* 825. Palqualin. *de differ. feud. in Sic. & Neap. Differ. dispon. super feud. n.* 5.

In hac libera vasalli alienandi facultate Rex duo jura sibi reservat, denunciationis, & decimæ: hoc est, si vasallus vendere velit, R. Curiæ denunciet, quæ jure prælationis fruitur, ceteroſque emtores excludit, modo intra mensem a die scientiæ emat. Ex pretio a clientela redacto R. Curiæ etiam decima competit; nec interest, an venditio, an transactio, permutatio, aliudve contrahatur, modo pecunia interveniat. Hinc si donat, legat, aut de eo testatur, vel quid agit, decimam non solvit, P. de Greg. *loc. cit.* §. *quintum jus*, Intrigl. *loc. cit. n.* 960. Cumia *in cap. si aliquem V. antiquis n.* 237. Neque hoc vectigal novum in Europæ provinciis videtur, sicut tot laudimiorum species in feudis Zutphaniæ, Curiæ Trajectensis, Monasterienſis, Hollandicæ, Geldriæ, Translivanicæ, quas successores, seu novi adquisitores persolvunt, Christin. *loc. cit.*

Prosequitur Federicus, *si vero feudum in permutatione devenerit, & pecunia intervenerit in permutatione prædicta, quod de pecunia ipsa in recognitionem nostri dominii, in feudo vendito, seu forsitan permutato, decimam habeat fiscus noster, & nostra Majestas ab emptore prædicto recipiat fidelitatis, & homagii, tanquam a Barone, seu feudatario solitum juramentum. Sed si alio quam emptionis titu-*

titulo feudum prædictum alienari contigerit, ut prædicitur, persona, in quam fuerit alienatum, infra annum numerandum a tempore alienationis ipsius, nostram adeat Majestatem, & in manibus nostris fidelitatis, & homagii pro feudo prædicto præstet solitum juramentum. In his tamen, & quibuscumque alienationibus terrarum feudalium, & quotæ feudorum, servitiis, & integris juribus nostræ Curiæ semper salvis, in feudo ipso indiviso, & integro perdurante.

Verba, & mens Federici interpretatione non egent, sed ipsa se ostendunt: & quidem in permutatione pretio acta decimam etiam reservat, quam, sicut in ceteris contractibus supra relatis, non venditor, sed emptor solvit, P. de Greg. *loc. cit. par. VIII. q. 16. n.* 25., Muta *ad cap.* 110. *R. Federici n.* 84. quia decima est onus feudi, simul cum eo transit, in recognitionem directi dominii, & pro possessionis adeptione præstatur. Exemplo est militia apud Romanos, hoc est exercitatio quædam publica, civilis aut Palatina administratio auctoritate Populi, aut Principis instar armatæ militiæ constituta, quæ vendi, pignorari, legari, obligari, atque ad heredes transmitti poterat, sed pro introitu certum aliquid dandum erat *l.* 22. §. 2. *D. de leg.* 2. ibi Cujac. *l. pen.* §. 2. *D. de legat.* 3. Charond. *Verosil. lib.* 1. *cap.* 14. prolixe Joseph Averan. *lib.* 11. *Interpr. juris Cap. XVII.* ne actum agam. Excipitur, si Rex feudum sine militare servitio ad francum allodium concessit, in cujus alienatione nec relevium, nec decima solvi opus est, ex Gratia *R. Joannis in cap. 67. Supplicat totius Regni Universitas eidem Majestati, ut in successionibus, & donationibus, aut aliis alienationibus feudorum, gabellarum, territoriorum, & aliarum rerum concessarum ad francum allodium sine aliquo servitio militari, non debeat solvi aliquod jus relevii, nec decimæ non obstantibus quibuscumque ordinationibus regiis in contrarium factis. Placet Domino Regi, quod si mere, & simpliciter allodialia alienari contingat, non solvatur relevium, nec suo casu decima,*

§. LVIII.

De probibita feudorum alienatione.

QUamquam Federici Capit. omnem feudorum alienationem permisisset, plura tamen ejus voluntas, vel tacita, vel expressa excepit. Alienatio non potest fieri, nisi *in personam digniorem, vel æque dignam, seu nobilem, sicut venditor, seu alienator idem extiterit.* Idem jus longobardum jubet 11. *f.* 34. §. *similiter*, 11. *f.* 26. §. *beneficium*, quia vasallus meliorem, non deteriorem feudi

Digitized by Google

conditionem facere tenetur, proinde in fœminam non recte alienat, cum hæc servitio præsertim militari negligenter vacet, nisi fuerit feudum fœmineum, & mares deficiant. Nec miles, nisi militi: nec imperfecto, aut ad serviendum incapaci, ut mutus, surdus, cæcus, claudus, infideli censentur, Muta *hic n. 329.*

Prohibetur *in Ecclesias*, & *Ecclesiasticas personas* alienare, & jure feudali 11. *f. 9.* quia Regis conditio, & domanium læderetur; & quia Princeps jura subditorum uti propria custodit, ad allodia etiam ipsemet Federicus *in cap. XXIV.* extendit, *statuimus, ut si per aliquem burgensem nostri demanii, aut vasallum dictorum feuda tenentium, in Ecclesias prædium aliquod rusticum vel urbanum quoquo alienationis titulo, seu per aliquas voluntates ultimas alienare, & transferre contigerit, Prælati Ecclesiarum ipsarum, seu Præpositi quocumque nomine censeantur, prædia ipsa infra annum unum, hebdomadam, mensem, & diem a tempore alienationis jam dictæ, vendere, seu concedere teneantur, & debeant, si de demanio fuerint, hominibus nostri demanii, si feudatariorum vasalli fuerint, alienationes, cum vasallis. Re namque minime carere videntur, cum succedit pretium loco rei; quod si non fecerint, licebit nobis bona ipsa alienata ad nostrum demanium dictis feudatariis ad eorum dominium absque pretio revocare.* Eadem prius statuerat Frid. II. in Const. apud Goldast. *to. 1. Const. Imp. p. 79.* & in Const. *prædecessorum lib. III. 20.* Justa hæc ob, quia Regium competit vetandi, quominus subditi in unum potius [illegible] alienationes [illegible] eligant. Cives in Republica Domini [illegible] Princeps, qui leges condit, quibus cives actus suos regere, bonis suis secure frui possint, non abutentur, & inter se quandam æqualitatis speciem servent, ne unus ditissimus, alter pauperrimus vivat. Præsertim feudalia, cum Ecclesia servitia, atque onera præstare nequeat, & ne divitiis scatens religionem, & virtutes neglegat. Huc Hieronym. *Epist. ad Damasum, facessat invidia: Romani culminis recedat ambitio: cum successore Piscatoris, & discipulo crucis* (aut ut legit Canisius) *Christi loquor.* Piscatoris, & Fabri filii, non Augusti successorem quærimus. Si tamen in Ecclesiam alienatur, condictione ex lege Lotharii, & Friderici revocari potest.

Negatur & vasallo feuda dividendi alienatione facultas, *in feudo ipso indiviso, & integro perdurante.* Nam vasallus investituræ formam & successionis ordinem dividere, & mutare non debet, sed sicut accepit, legis potestate, si velit, transferat, secus seniori noceret, quia feudum in partes divisum sua multitudine vilescit, & ad interitum properat. Et expressit idem Federicus *in cap. 44.*

Statuimus, quod alienationes certæ partis feudorum, vel certæ poſſeſſionis ipſorum feudorum factæ tam contra tenorem Conſtitutionum Imperatoris Federici, proavi noſtri divæ memoriæ, quam etiam contra tenorem Conſtitutionum noſtrarum debeant in irritum revocari, quas etiam de cetero fieri prohibemus, & faciendas decernimus irritas, & inanes, Cumia *in prælud. ad cap. ſi aliquem n.* 226., dicam ad hanc *in Codice LL. Feud. Sicil.*

Neque laudatum *Cap. XXVIII.* in feudis ex pacto, & providentia antiquis locum habet, quia, etſi alienatio, vivente alienatore, hujus feudi valeat, tamen agnati poſt mortem revocant, quibus alienatio, nocere non poteſt, nec ejus factum exequi tenentur, quum jure proprio, pacto primi acquirentis, providentia concedentis, & jure ſanguinis ſuccedant, II. *f.* 26. §. *Titius*, II. *f.* 39., *l.* 3. *D. de Interd. & releg.* niſi agnati conſenſiant, qui conſenſus ipſis, non aliis obeſt, P. de Greg. *de Conceſ. feud. par.* III. *q.* 6. & *par.* II. *q.* 10. *n.* 37. *& ſeqq.* etiamſi Rex conſenſiret. Verum ſi adeſt alienandi cauſſa, tunc valet, nempe debitum propter feudum contractum, militare ſervitium, dos de paragio, dotarium, dotis reſtitutio, vitæ, militia, decima, ſi eſſet feudum ad francum allodium, quod etiam in Eccleſiam alienari poteſt, Andr. *in* II. *f.* 45. *n.* 3. P. de Greg. *loc. cit. n.* 10. Muta *hic n.* 216. Aut ſi eſſet feudum hereditarium vel antiquum, vel novum; aut feudum ex pacto, & providentia novum: aut ſi in inveſtitura Princeps conceſſit, ut etiam in agnatorum præjudicium alienare poſſet, cum quiſque rei ſuæ legem dicat: aut ſi reperitur caſus, quos ſupra recenſui. Denique ſi alienatio contra *d. cap.* 28. contingat, ſtatim ex Conſt. *D.M.* revocatio conceditur.

LI.

Digitized by Google

LIBER IV.

Jurisprudentiæ Feudalis.

TITULUS I.

De judiciis feudalibus.

§. I.

De in jus vocando, & litis contestatione.

PEractis juribus personarum, & rerum, in judiciis proponere, & persequi necesse est, quum propria auctoritate nemini jura sibi dicere concedatur. Vilesceret Magistratuum auctoritas, & legum Majestas periret, si vindicatio in manu uniuscujusque civis esset (a). Et quemadmodum in allodii controversiis reus in judi-

(a) In media ætate duplex judiciorum genus, feudale, & allodiale obtinuit. Feudale ex jure dominii, & contractus; allodiale ex jure imperii oritur. Allodiale, aut civile, aut criminale. Comites, Duces, Marchiones, cum scabinis, [illegible], assessoribus, advocatis, aliisque in pagis, civitatibus, & provinciis exercebant, ut prolixe Heinec. *Elem. jur. Germ. lib.* III. I. *& sequ.* & nos *in tó.* I. illustrat. Attamen in justitiæ administratione procul erant calumniæ, technæ, subtiles arguendi rationes, largiversationes, ingeniosæ legum interpretationes, atque Doctorum auctoritates, quibus hodie tribunalia Europæ scatent, & magnopere justitiam, æquitatemque lædunt, atque opprimere conantur. Non substitutiones, non fideicommissa, nec obscuras actionum theses, & laboratos libellos cognoscebant. Nam, inquit, Olaus Magnus *lib.* XIV. *de populis Septemtrion. c.* 17. 18. *&* 19. judiciorum Gentis septemtrionalis præsidium, & humanæ politiæ firmamentum, naturalem æquitatem fuisse, & *cap.* 18. subdit: *Eliguntur enim ad hoc opus pium, & justum Ruricolæ bonas possessiones in domibus, agris, & pascuis habentes, solius naturæ instinctu bonitate, & ingenio, ac dotibus præditi, qui citra ullam scientiam & litteras sagaciter judicant, ut appareat ex homine nativis bonis excellente, formari potius judicia, & præcepta sapientiæ quam ex præceptis sapientiæ formari hominem excellentem.*

judicium vocandus, ita & in feudi causis, quæ easdem requirunt solemnitates, Gudelin. *de feud. par. IV. c. 2. n. 1.*, Christin. *to. VI. dec. belgiæ* 83. *n.* 2. Atque sive vasallus cum Domino, sive cum alio agere velit, a citatione ordiendum, quæ, tribus edictis, peremptoria appellatur, intervallo septem, vel decem dierum intercedente, admittit libellum, qui rem, causam petendi, & nomen actoris continere debet 11. *f.* 22. *l.* 68. *D. de judic.* Hodie quoque omnis veniæ impetratio moribus exolescit, & vasallus, obtorto collo, suum seniorem, modeste, tamen, & reverenter in jus vocare potest, Struv. *s. j. f. cap. XI. A.* 3. *n.* 2. Rothius *in Pand. feudal. cap. XXV. n.* 13. 14. & 15. Jac. a S. Georg. §. & *dicti vasalli pro n.* 26. Wissenbac. *in Compend. feud. c. VII.*

Vasallus legitime citatus, vel simplici citatione, vel peremptoria comparere tenetur, secus Curia seniorem in feudi possessionem immittit, at si post annum compareat, & judicio sistat, eam recuperat. Quod si post annum in contumacia persistat, possessionem, & feudum amittit 11. *f.* 22. Hannet. *lib. IV. c.* 3. Gudelin. *loc. cit.*, *l.* 8. §. 3. *C. de præscrip.* 30., *c.* 2. *de eo, qui mittitur*, Pistor *lib.* 11. *q. ult.*, & dicam infra. Nec reconventio admittenda, sive Dominus cum vasallo, aut vicissim, litem foveat, videlicet si reus conventus actorem in re non feudali reconvenire velit, quia extra causas feudales, nulla Paribus Curiæ jurisdictio competit, Christin. *loc. cit. n.* 27. Sonsbec. *par. XIV. n.* 38. Vultej. *de feud. lib.* 11. *cap.* 3. *n.* 11. etsi jure civili, & canonico permittatur, auth. & *consequenter C. de sent.* & *interloc. can.* 1. 111. *q.* 8. Wissenbac. *loc. cit.* idcirco in causa feudali reconventio cessat (*a*). Dominus etiam solemniter vocatus, terque admonitus, vasallo jus suum, vel in omittendo, vel in amittendo restituere, aut tueri recusat, tunc vasallo *deprædari* eum liceat, hoc est *de possessione directi dominii* deiicere, ut Struv. *loc. cit. n.* 3. intelligit, & ibi aperiam, Gudelin. *de*

(a) Conventio, & reconventio in eodem judicio contingit. Finge, Titius in causa, aut civili, aut criminali Mævium in foro Neapolis convenit. Mævius Titium in eodem foro & eodem judice reconvenire potest. Titius licet foro Rei non subsit, tamen reconventione Rei judex in eum jurisdictionem adquirit *d. auth. & consequenter*. Sed hæc reconventio in judicio feudali interpretatione Prudentum non obtinuit. Nisi, excipit Busius *ad l.* 22. *D. de judic.*, litigatores consenserint, ut causa non feudalis in judicio feudali dirimeretur. Hodie moribus reconventio nec in causa feudali, allodiali, civili, vel criminali servatur, Wissenbac. *ad tit. D. de judic. n.* 26.

Digitized by Google

de feud. par. VI. c. 2. n. 3. aliter inhumanum manifeste redoleret.

Post citationem, atque actionis editionem lis contestatur, nempe *cum judex per narrationem negotii caussa audire coperit*. Natratio est actoris intentio & rei contradictio, *l. 1. C. de litis contest. cap. un. eo.* Jure civili cuique litigantium impositum est, ab adversario calumniæ juramentum exigere *l. 34. §. 4. D. de jurejur.* (a) In caussa tamen feudali nec vasallus a Domino, & vicissim, exposcere potest 11. *f. 33. §. 1.* Sonsbec. *par. XIV. n. 35.* Sixtin. *de Regal. lib. 1. c. 8. n. 80.* Hodie moribus tam in causis allodii, quam feudi nullum de calumnia præstatur Sacramentum, Wesenbec. *de feud. cap. XVII. n. 11.* Prioris ratio est amor, fides, & veneratio: posterioris metus perjurii. Denique feudale judicium propemodum in omnibus allodiali caussæ respondet, & proinde citationem, libelli editionem, litis contestationem, exceptionem, replicationem, probationes, conclusio-

(a) Reus & actor jurant, se non calumniandi animo, actionem proponere, atque exceptionem opponere, & si jurare recusant caussa cadit, *l. 1. & 2. C. de jurej. prop. calum.* quas eleganter explicat Joan. Saresber. *de Nugis Curial. lib. V. c. 13. Ut vero rerum veritas citius illucescat, litigatores ipsos personas videlicet principales non ante ad litem judex admittit, quam ei præstito sacramento faciant fidem, quod justitiæ suæ insistant, & calumniam omnem procul facient. Actor quidem juret non calumniandi animo litem movisse, sed existimando bonam caussam habere, & quod nihil in tota lite faciant, calumniose, ut nec probatio, nec dilatio frustratoria exigitur, sed in solum quod justitia videtur exigere. Reus autem jurabit, quod putant se bona instantia uti, pervenit ad reluctandum, & quod in nullo litis articulo calumniose versabitur, id solum a judice, vel adversario exigens quod pro veritate putat, ex necessitate justitiæ exhibendum. Utriusque vero juramenti extrema clausula hoc complectetur, ut jurent se nihil dedisse, aut promisisse, aut daturos esse, vel per se, vel per mediam personam, sive judicibus, sive aliis quibuscumque personis pro ea caussa, exceptis his, quæ advocatis, & quibusdam aliis certis personis de juris indulgentia præstari licet. Quod si actor sic jurare recusaverit exclusus a lite, cadit ab actione, tanquam improbus litigator. Reus vero detractens subire juramentum, habetur pro confesso, & sententiam damnationis expectat.* Postea de juramento advocati agit. Aevo Saresberiensis, qui sub D. Thoma Cantuariensi, atque Alexandro III. P. floruit, in Anglia jus Romanum servabatur, ut ex hoc opere *de Nugis Curial.* Romulea passim jurisprudentia referto constat.

Digitized by Google

sionem, sententiæ executionem, nisi appellatio, vel restitutio fuerit petita. Quem judicandi ordinem hodie undique in Europa servatum a jure decretalium recognoscimus, si nonnulla a Romanis legibus petita excipias. Quamvis in feudali judicio specialia quædam inveniantur, ut infra, Christin. *loc. cit. n.* 44. Boecholten *de feud. c.* X. *n.* 1. *& seqq.*

TITULUS II.

De Foro competenti.

§. II.

De jurisdictione Dominica.

FUndamentum contentiosi judicii est jurisdictio, seu Fori competentia; nam nihil juvat actionem habere, nisi cognoscatur apud quem proponere debeas, ne inanis evadat, aut judicum confundetur jurisdictio, quæ ex quinque causis proprie in litigantium personas, videlicet ratione domicilii, contractus, delicti, rei sitæ, & causarum continentiæ descendit.

Principales personæ in feudali judicio litigantes, sunt Dominus & vasallus, & non raro extraneus. Hinc universa clientelarum controversiarum ratio est, vel inter duos vasallos, vel inter vasallum, & Dominum, vel inter vasallum, & extraneum, vel inter Dominum, & extraneum, vel inter duos Dominos. In omnibus his causarum speciebus non uno modo proceditur, nihilominus judex feudalis est, vel Dominus feudi, vel pares Curiæ, vel Ordinarius, vel demum arbiter II. *f.* 55. §. *pen.*, II. *f.* 15., II. *f.* 46. I. *f.* 18., Sonsbec. *par. XIV. n.* 1. Wesenbec. *Cap. XVII. tot.* ut Dominus & Pares Curiæ judices esse possint, oportet causam esse feudalem, hoc est de ipso feudo constituto, vel aliis ab eo dependentibus, videlicet servitiis præstandis, culpa vasalli, felonia, pactis, conditionibusve in investitura appositis, Amadæus a Ponte *tract. quis sit judex in causa feudali.*

Primo agam de jurisdictione Senioris. Si controversia contingat inter duos vasallos de feudo, Dominus est judex competens II. *f.* 55. §. *præterea si inter*, quod & jure canonico dispositum, sive in petitorio, aut possessorio, sive qualibet causa ex investitura dependente agatur, *cap. VI. & VII. de foro compet. cap. V. de judic.* ibi a Costa, Carolus Molin. *tit.* 1. *de Fiefs.* §. 60. *n.* 19. Sic Ericus Dux Lauvemburgensis, Fredericum Saxoniæ Ducem, Imperii Archimareschal-

seschallum, Lantgravium Turingiæ, ac Marchionem Misnensem, coram Basileensi Concilio de Ducatu Saxoniæ, & Archimareschallatu, & jure eligendi Romanorum Regem convenire conebatur. Sed Imp. Sigismundus lata Ulmæ lege an. 1434. Sanxit non in Concilio, sed a se illius causæ decisionem agendam, *juxta formam juris, ac stylum, & observantiam sacri nostri imperii feudales quæstiones coram Dominis feudorum, etiamsi minores valvasores essent, ac paribus Curiarum suarum, respectu feudi, de quo agitur, decernendæ sint. Quod etiam in nostra Cæsarea Majestate, & sacro imperio nostro, e paribus Curiæ nostræ, respectu feudi talis modi, merito debeat illæsum conservari, consequens esse causam prælibatam ad Forum nostrum pertinere*, ut refert Goldast. *Const. imperial. to.* III. *p.* 140. Cujac. I. *f.* 15. Nat. Alex. *H. E. seculo XV. & XVI. cap. X. n.* 3. Boehm. *obser. jur. feud. XL. §.* 7.

Nec distinguere oportet, an Senior fuerit Supremus Princeps, an inferior, vel privatus, & vasallus dignitate, atque imperio fulgeat, quia legis feudalis venia infeudatione quilibet jurisdictionem adquirit, quæ merito non delegata, sed ordinaria vocatur, cum a lege descendat, Curtius *par. VII. n.* 28. Hannet. *lib. IV. c.* 1. Sive vasalli sint Clerici, & Dominus laicus, & vicissim, *c.* 6. & 7. *de for. compet.* Scrad. *par. X. sect.* 1. *n.* 2. Sonsbec. *par. XIV. n.* 20. Duaren. *c.* 20. *n.* 6. exemplum est in *Epist. CXXVII.* Innoc. III. *lib.* II. *Reg. XIV.* Matth. Paris. in Recognitione facta in Clarendona *an.* 1164. scribit. *Si calumnia* (hoc est lis) *emerserit inter clericum, & laicum, vel e converso de alio tenimento quod alicujus velit ad eleemosinam* (hoc est feudum Ecclesiasticum) *trahere, vel laicus ad laicum feudum. Per recognitionem duodecim legalium hominum juxta Capitalis Justitiarii Regis considerationem terminabitur, totum tenimentum sit pertinens ad eleemosinam, sive ad laicum feudum coram Justitiario Regis. Et si recognitum fuerit ad eleemosinam pertinere, placitum erit in Curia Ecclesiastica. Si vero ad laicum feudum, nisi ambo tenimentum de eodem Episcopo, vel Baronem advocaverint de feudo illo eundem Episcopum vel Baronem, erit placitum in Curia ipsius.* Et Alb. Krant. *Metropol. lib.* III. *c.* 7. *an.* 936. *Osnaburgensi vero Ecclesiæ per hæc tempora præfuit Egelmarus, vir Deo dignus, & pontificali honore dignissimus, qui per suam diligentiam juxta omnia suæ Ecclesiæ recuperavit. Quodque decessor ejus inchoabat, hic cum summa vigilantia præfecit, apud Imperatorem Arnulphum, cui se Egelmarus Osnaburgensis Præsul, & obsequiis, & virtutibus præfecit familiarem. Deducta est causa Ecclesiæ in judicium Imperatoris: Et poterat, quia superpraediis, & feudis & rebus erat, quæ erant imperatoriæ concessionis.*

nis. Et lata lege sanxit Joannes Angliæ Rex, *Comites, & Barones non amercientur* (hoc pecuniaria pœna puniantur) *nisi per Pares suos ; & non nisi secundum modum delicti. Nulla Ecclesiastica persona amercietur secundum quantitatem beneficii, sed secundum laicum tenimentum suum, & secundum quantitatem delicti*, inquit, Paris in ejus vita (*a*). Et licet Miles coram Magistro Militum conveniendus *l. 6. C. de jurisdict. om. jud., l. 9. D. de custod. reor.* conf. Paganinus *judicat. expos. lib.* 11. *c.* 19. Bynkershoek *qq. jur. priv. lib.* 1. *c.* 13. Juven. *sat. ult. v.* 15.

Legibus antiquis castrorum, & more Camilli
Servato, miles ne vallum litiget extra
Et procul a signis. Justissima Centurionum
Cognitio est igitur de milite : nec mihi deerit
Ultio, si juste defertur caussa querelæ.

Attamen in caussa feudali Miles non nisi apud feudi Seniorem litigare teneatur. Sicut & qui jus revocandi domum habet; ratione feudi coram Domino conveniendi, quia hæc Senioris potestas ex contractu quoque nascitur, vel quasi contractu, statim ac vasallus feudum a Rege, vel privato recipit, & recognoscere incipit, ejus jurisdictioni a lege concreditæ subiicitur, & ratione contractus forum sortiuntur. Nec pupillus, orphanus, vidua, aut miserabilis persona, abrogata hac de re jure civili, & canonico, fori privilegio gaudet, judicemque eligere poterit, Strykius *to.* IX. *disput. VIII. cap.* 2. *n.* 5. Si Reipublicæ legatos excipias *l.* 2. §. 3. *D. de judic.*

Præterea nihil refert an Dominus fuerit mulier, an masculus, & vasallus domicilium vel non habeat in loco, in quo Senior justitiam feudalem administrat, quia statim ratione beneficii ejus subditus evadit, etiamsi superior dignitate, nobilitate, atque imperio orna-

(*a*) Exemplum affert Hoveden *par. poster. Annal. Angliæ in Richardo I.* Lite inter Regis Cancellarium, & Joannem Monotonii Comitem de Castello Lincolniæ, scribit, *concessum est, quod Episcopi, Abbates, Comites, & Barones, Vavassores, & libere tenentes non ad voluntatem Justiciarum, vel Ministrorum Domini Regis de terris, & caballis dissaisientur, sed judicio Curiæ Domini Regis, secundum legitimas consuetudines, & assisas Regni tractabuntur, vel per mandatum Domini Regis .... Eadem die dies ei conveniens præfigatur standi in Curia Domini Regis ad judicium, quod si contra eum monstrari poterit quod judicio Curiæ Domini Regis Vicecomitatum Castelli Lincolniæ perdere debuerit, perdat, sin minus retineat : nisi alio modo pax interim fieri possit.* Et ob contumaciam Cancellarius feudum amisit.

Digitized by Google

ornaretur, quia ipsa Principis dignitas, & existimatio eum monet, ut pacta, & jus alteri vel lege, vel contractu quæsitum impleat. Quod si vasalli sint Duces, Comites, Marchiones, a Romano imperio immediate feuda recognoscentes, solus Imperator inter eos erit judex competens, nulla personarum qualitate perpensa, quæ ob honorem dignitatis jura consequuntur, I. *f.* 18., II. *f.* 34. *pr.* Duaren. *c.* 20. *n.* 5. Sonsbec. *par. XIV. n.* 19. Ex lege Conradi in *d.* II. *f.* 34. Imperatoris jurisdictio personarum innititur qualitati; sed ex Consuetudine Mediolanensium, non tam personarum qualitati, quam feudi conditioni insistit, qua aliud regale, aliud non regale est. Ex lege iterum Conradi feudorum regalium, & non regalium cognitio ad Imperatorem pertinet. Consuetudine autem Mediolani de solis regalibus Imperatori jurisdictionem attribuit; & hodie servatur, & Germania hoc jure vivit; Vultej. *de feud. lib.* II. *cap.* 2. *n.* 9. Ardizo *in sum. cap.* 133. Busius *ad l.* 1. *D. de jud. n.* 20.

Hæc Senioris jurisdictio nec ex diversa feudi conditione mutatur, aut perit, sed sive proprium, aut improprium sit, nihil amittit; quia feudi indoles si in uno mutatur, in altero incolumis manet. Non assentior Scradero *in par. X. sect.* 1. *n.* 154. & Rosent. *cap. XII. n.* 42. qui sensiunt, feudum, cum pacto ut etiam in heredes extraneos transeat, concessum, & cum potestate alienandi in quem voluerit, invito Domino, in suis controversiis ab ordinario judice cognosci posse. Nam si Senior in uno feudi naturam mutavit, unumque jus cessit, non censetur alterum quoque cessisse, cum sint jura inter se separata, nec unum ab altero dependet. Dedit potestatem alienandi; non infertur, ergo etiam jurisdictionem feudalem, cujus ipse est Dominus, a se abdicavit, & vasallus, ipso invito, prorogare potest. Cum omnis generaliter in causis feudalibus, inconsulto Domino, jurisdictionis prorogatio interdicatur, quia jus suum alienaretur, hinc recte Amadæus *loc. cit. in præjudicium Domini prorogabilis non est jurisdictio, ut propterea acta facta inter vasallos sibi non noceant, etiam si sciverit, & tacuerit eos coram alio litigare, & quandocumque contradixerit, causa erit sibi remittenda, licet diutius litigaverint, ipso sciente, & patiente, qui sciebat jus suum durare, nisi etiam judicio ipsi præsens fuisset, quia tunc magis ejus consensus aperiretur, nam, ipso consentiente, teneret judicium, nec posset pœnitere, si semel consensisset, consensus enim ratione jurisdictionis non est revocabilis. Hinc considero, quod ratio prohibitionis cognoscendi per alium judicem est, ne Dominus ex ea re detrimentum capiat, quod si ex consensu suo patiatur, est, quod sibi imputet, nec lex aliam probabilem rationem, aliudve præ-*

judicium consideret, & cessante ratione legis, cessat ipsa dispositio, quamvis aliqui pro ratione probibitionem alienationis adferant, considero etiam quod alias judex non est omnino incapax talis jurisdictionis, nec prorsus incompetens, cum in pluribus casibus, ut supra vidimus possit cognoscere, sive ut ordinarius, sive tanquam ad ipsum causa potius spectet, quam ad alium, & tunc sententia per eum lata inter litigantes valet.

Quamquam hæc feudalis jurisdictio omnibus Europæ, & legibus, & moribus confirmata esset, & rerum judicatarum auctoritatem adquisivisset, potestas tamen Ecclesiastica perturbare, sibique vindicare contendit, quum perjurium vasallum commisisse assereret, & proinde apud Ecclesiasticum forum litigare cogeretur. Hujus aggressæ jurisdictionis capitulum extat apud Lucam Acherii *anno 1220. in spicilegio to. III. pag. m. 593. Primum capitulum est, quod clerici trahunt causam feodorum in Curiam Christianitatis, propter hoc dicunt, quod fiduciæ, vel juramentum fiunt inter eos, in quos causa vertitur. Et propter hanc occasionem perdunt justitiam feodorum suorum. Responsio: in hoc concordati sunt Rex, & Barones, quod bene volunt, quod ipsi cognoscant de feodo, & si convictus fuerit de perjurio, vel de transgressione fidei, injungent eis penitentiam. Sed propter hoc non amittat Dominus feodi justitiam fidei, nec propter hoc capiant ad feodum. Præterea volunt Rex, & Barones, quod vidua possit conqueri Regi, vel Ecclesiæ de dotalicio suo, si voluerit, si non moveat de feodo: & si conquesta fuerit Ecclesiæ, & ille, a quo petit, dotalicium dicat, quod respondebit coram Domino, de quo feodum movet, Ecclesia potest ipsum cogere ad respondendum, & decidere causam inter eos de jure.* Etenim si senior erat Ecclesiasticus, & vasallus laicus, semper suus senior causam cognoscebat, exemplum præstat Anton. Matth. *tract. de jure Gladii cap. 30.*

Ex his eruitur Dominicæ jurisdictionis natura: (1) est ordinaria, igitur alteri delegari potest, quia jure suo, hoc est ratione contractus possidet *l. 4. D. de jurisdict.*, *l. 12. D. de judic.*, sive Dominus territorium, vel non, habeat, supremus fuerit Princeps laicus, aut Ecclesiasticus, de feudo regali, vel non agatur. Et hodie in Germania causas feudorum regalium Imperator delegat, Scrad. *par. X. sect. 4. n. 1.*, etiamsi is, cui delegatur, non fuerit vasallus. (2) Si Dominus est furiosus, pupillus, mentecaptus, infans, inter vasallos non judicat, quum hujusmodi personæ ob omni judicandi munere arceantur *l. 39. l. 46. D. de judic.* Sed eorum tutor, vel curator cognoscit, quia jus de suis vasallis cognoscendi inter bona Senioris recenſetur, & bona pupilli, aut furiosi curator, & tutor ad-

administrant, igitur ipsi judicare possunt, Rosent. *cap. XII. 5. n. 4.* Si est minor, sed sanæ mentis, sine curatoris auctoritate judicat: nam jure Romano, ætatis anno XVII. impleto, quis judex dari potest, etsi invitus ante an. XX. cogi non valeat *l. 12. §. 2. D. de judic. l. 57. D. de re judic.*, Bynkersh. *lib. VI. obs. c. 17.*, Scrad. *loc. cit. n. 57.*

TITULUS III.

De paribus Curiæ.

§. III.

De Jurisdictione Parium.

HActenus de prima juris feudalis regula, secundam aggredior, videlicet, dum controversia non inter vasallos, sed inter Dominum, & vasallum vertitur, & tunc Pares Curiæ judicabunt II. *f. 55. §. præterea si inter*, II. *f. 16.* II. *f. 34.*, II. *f. 20.*, II. *f. 39. §. si inter*, Duaren. *de feud. cap. XX. n. 1.* Hannet. *lib. IV. c. 1.*, Sonsbec. *par. XIV. n. 30.*, Curt. *par. VII. 34.* Enucleandum, quid sit Curtis, quid Pares, & unde originem trahant, cur ita vocentur, quæque eorum jurisdictio fuerit. Curtis sæpe territorium, domum, villam, agrum, & Principis palatium significat, imo non solum aulam regiam, sed unde reditus ad aulam pertineat, Luitprand. *lib. 1. LL. Longobar. tit. 34. l. 1. Si quis gastaldius, aut auctor Regis, Curtem regiam habens ad gubernandum, ex ipsa Curte alicui sine jussione Regis casam tributariam, terram, silvam, vites, vel pratum ausus fuerit donare, aut si amplius, quam jussio Regis fuerit dare præsumpserit, vel querere neglexerit in duplum Octogild componat.* Vadianus apud Meibom. in notis ad diploma Ducis Thassilonis *tom. III. Script. Germ. p. 193. Curtem Franci, & Alemanni Regiam, seu palatium Principis, velut Corten vocabant, Comitatum, hoc est Curtem palatinam significantes barbaro vocabulo. Sed & vicum & pagum, & domum etiam quamlibet, seu mansionem Curtis appellabant.* Et in Epist. de obscuris Alemannorum verbor. significat., *arbitror nullam curtim sine jurisdictione fuisse, & hoc minime id est significatum .... Verum Regiæ Curtes longe maxime fuerunt, & imperia etiam habuerunt cum mancipiis, agris, pascuis, censibus, venatione, piscatione, & omnimoda illa integri status possessione etc. aliæ Curtes tenujores, pleræque solius jurisdictionis, cum agris mancipiisque.*

Territorium, in quo quis jurisdictionem, aut mallum exercebat,

etiam *Curtis* dicebatur, ut in lege Baiwar. *tit. VIII: 2.* curtis Ducis occurrit, *& si in Ecclesia, vel infra curtem Ducis, vel infra Basilicam, vel in mulino aliquid furaverit, triniungeldo componat.* Sicut & Curtis Dominicalis, quam unusquisque propemodum in suis prædiis habebat, & in homines proprios, ministeriales, serviles, & censuales jus dicebat, atque illa jurisdictio erat patrimonialis, cujus egregium affert exemplum Heinecc. *Elem. jur. Germ. lib. III. tit. I. §. 36. in not.*, & prolixe dixi *lib. II. tit. XII. §. 24.*, quorum hominum servilis conditionis multitudo in Germania longe liberos exuperabat, R. Rhenenus *lib. II. Rer. German. (a)* Proinde constat, quinam pares Curtis dici possent, nempe qui in eodem Territorio ab eodem Domino feuda tenent, Sonsbec. *par. XIV. n. 2.*, Zasi. *par. XI. n. 2.* Scrad. *par. X. sect. 7. n. 19.* quos feudista *in l. f. 26. §. si quis*, *Pares de Domo* videlicet Senioris appellat. Nam Curtis hic accipitur pro territorio, pago, districtu, seu provincia, & omnes vasalli, qui in eodem Ducatu, Marchia, Comitatu, & Baronia sunt, Pares Curiæ dicuntur, etiamsi Senior Ducatum in plures præfecturas, & scabinatus diviserit. Nec vasalli unius Provinciæ, aut Baroniæ, respectu eorum qui in alio territorio feuda possident, Curtis Pares dici possunt, ut communiter feudistis arridet. Mihi vero magis sedet opinio Struvii *s. j. f. Cap. IV. A. 18. n. 7.* nihil referre an in eodem territorio, an in diverso clientelas teneant, modo eandem Curiam, hoc est aulam senio-

(a) Hæc Curtis, quæ in homines proprios, censitos, colonos, sive ministerialis jurisdictionem continebat, & exercebat, vendi, locari, pignorari poterat. Sic Joannes Episcopus Lubecensis *an.* 1260. hanc patrimonialem jurisdictionem emit, inquit, Chron. Lubecense, *iste emit ab Ottone de Plone judicia villarum Malente, & certarum aliarum pro CC. & XXV. Marchis.* Undenam hæc patrimonialis jurisdictio orta est? Eruditi *ex Novel. 80.* ubi Justinianus causas colonorum, & agricolarum a suis Dominis cognosci posse sanxit. Ego tamen a Barbaris omnino repetendam existimo. Nam Barbarorum politia, & indoles erat, ut non modo in possessiones, & prædia devictarum Gentium, sed & in personas jurisdictionem vindicaret. Prædia vel novis colonis, vel antiquis cultoribus conducere, vel in emphyteusim, vel feudum dare solebat. Horum si causa, si controversia præsertim super re prædiali inter colonos occurret, a Dominis dirimebatur, ob illud jus, quod in personas obtinere contendebant. Quod magis in perturbato Reipubl. statu contigit, in quo infracta, & Regum & Magistratuum auctoritas jacebat.

Digitized by Google

nioris recognoscant. Nam territorii diversitas respectu Domini nulla perpendi potest, quia unum ejus patrimonium etsi in plures partes divisum constituunt; unde judex Curtis vocatur 1. *f.* 8. hoc est in omnibus feudis ubicumque sitis feudalem ipse jurisdictionem exercet. Feuda enim respectu Curiæ sunt veluti prædia servientia, quæ a Curia, cujus senior est caput, regi oportet.

De Parium origine nec satis inter Eruditos convenit. At Pares apud Francos, Gallos, Germanos, aliasque feudales Europæ Gentes nihil aliud erant, quam Duces, Marchiones, Comites, qui immediate a Rege feuda tenerent, quos jus Longobardicum *Capitaneos* Regni appellat, unde *Pares Franciæ* passim leguntur, sive Proceres Palatii, de quibus, inquit Thuan. *lib. XXVII. Histor. ad an.* 1161. *n.* 23. *in fin. Pares Franciæ, sive eorum originem ad Carolovingos, sive ad Capevingos referat, XII. antiquitus fuere: sacri ordinis Archiepiscopus Remensis, Episcopi Lingonenses, & Laudunenses Duces, Episcopi Bellovacensis, Catalaunensis, & Noviodunensis Comites: Sacris soluti Burgundiæ, Aquitaniæ, Normaniæ Duces Flandiæ, Campaniæ, ac Tolosæ Comites. De Ecclesiasticis nunc non loquor, qui tempore minime mutavere. Cæterorum ditiones tempore partim Regiæ Coronæ accreverunt, partim perierunt, & instituti paulatim alii, qui juxta creationis tempus in publicis Regni solemnitatibus, ac consessibus ordinis prærogativam servant: eorum numerus minime definitus est, titulis illis honorificis pro Regum arbitrio præcipuis dignatione, aut gratia viris semper attributis etc.:* Pares itaque Franciæ, sive ministri Coronæ, Consiliarii Comitiorum XII. sunt, sex Ecclesiastici, nempe Archiepiscopus Remensis, Episcopus Lingonensis, Laudunensis, *Duces*, Bellovacensis, Neviodunensis, Cabillonensis, *Comites*. Sex laici, Burgundiæ, Normanniæ & Aquitaniæ, *Duces*, Flandriæ, Tholosæ, & Campaniæ *Comites*, quos, ut nonnullis placet, Robertus sapiens instituit.

Undenam Pares dicti sint? Alii a peritate qualitatis, conditionis, & status: alii a paritate feudorum, hoc est quia consimile feudum tenent: Alii a paritate fidelitatis, quia pari fidelitatis vinculo seniori obstringuntur, deducunt. Nobis asserendum, in Germaniæ populis, aliisque Gentibus, neminem in feudalibus judiciis admitti potuisse, nisi qui ejusdem cum reo conditionis ac statutus esset, Henricus I. Angliæ Rex *leg. cap.* 31. sanxit, *unusquisque per pares suos judicandus est, & ejusdem provinciæ: peregrina vero judicia modis omnibus submovemus.* Sive quia in eadem Curia pari fungerentur potestate, parique lege viverent. Sicut ad duellum nemo provocare poterit, nisi ejus dignitatis, & conditionis esset, Heinec. *Elem. jur. Germ. lib.* III. *tit.* 2. §. 90. Feudista de Pari-

Paribus loquens, de hac æquali dignitatis, & conditionis statu non meminit, & potius ab hujusmodi scrupulositate forsitan sibi cognita recessisse videtur. Pares itaque sunt, qui immediate ab eodem Domino in eadem Curia feudum possident, convasalli, conclientes, & consocii dici possunt, Ruddingh *dissert. de orig. & nat. contr. feud.* §. 60. Cornel. de Gaasbeecq *dissert. de jurisdict. feudali* §. 7. & 8. Thom. de Marin. *de Gen. feud. tit.* III. *n.* 12. Paganin. *judicat. expos. lib.* II. *c.* 23.

Nunc ad eorum jurisdictionem, quam merito mores feudales ipsis dederunt, quum magis leges, consuetudines, pacta, & conditiones in investituris appositas callere possint, quæ diverso prorsus modo ab allodii jure reguntur simul & deciduntur. Si de amissione feudi, felonia, evictione, devolutione inter agnatos defuncti, & senioris controversia oriatur, Parium cognitio est II. *f.* 55., II. *f.* 16. Sonsbec. *par. XIV. n.* 32. Vultej. *lib.* II. *c.* 2. *n.* 24., Ardizo *in Sum. c.* 138., de investitura, succedendi modo, feudalis tributi solutione, violentia seniori facta in re feudali, de judicio possessorio, petitorio, reali, personali, rei persequtoria actione, vel spoliatione agatur II. *f.* 46., I. *f.* 21., I. *f.* 22. §. *sancimus*, Scrad. *par. X. sect.* 5. *n.* 70. & 200. Rosent. *cap. XII.* 12. *n.* 54. Aut si unus litigantium asserat feudum esse novum, alter antiquum contendat II. *f.* 46. Dominus contra vasallum agat, ut investituræ instrumentum edat, res feudales describat, & vicissim vasallus a Domino eadem requirat. Si vasallus nolit investituræ recognitionem petere, & Dominus ad eam compelli asserat, Rosent. *cap. XII.* 12. *n.* 122., Scrad. *par. X. sect.* 5. *n.* 85. & 87. Contenditur, an feudum francum, an servitiis obnoxium fuerit, an vasallus ad juramentum teneatur. Si vasallus contra investituræ obligationem & pacta, aut tacita, aut expressa subditos opprimat, si servitio stato tempore non præstitit, damna deinde senior exposcat, Rosent. *loc. cit.* In his enim cum senioris lucrum, vel damnum vertatur, ne in propria causa judicet, Parium jurisdictio cognoscit.

Occurrit judicium inter Blancam Comitissam Campaniæ, & Erardum de Brena apud Meledum a Philippo Augusto Rege an. 1216. apud Luc. de Achery in Spicileg. *to.* 3. *p.* 585. *Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod cum dilecta, & fidelis nostra Blanca Comitissa Campaniæ citata esset per Ducem Burgundiæ, M. de Montemaurencii, & W. de Barris, ut in Curiam nostram veniret juri paritura de querelis, quas Erardus de Brena, & Philippa, quæ dicitur uxor ejus, contra eandem Comitissam, & ejus filium proponebant; & super eo quod ipse Erardus & eadem Philippa petebant a nobis, quod nos reciperemus ejusdem Erardi homa-*

homagium de Comitatu Campaniæ, sicut Comes Henricus nepos noster, quem ipsa Philippa patrem suum esse dicebat, inde saisitus fuerat. Tandem apud Meledunum in nostra præsentia constituti prædicta Blanca Comitissa Campaniæ, & Theobaldus filius ejus ex una parte, & prædicti Erardi de Brena, & Philippa ex altera, requirentes super hoc sibi fieri judicium: judicatum est a Baronib. nostris, videlicet a Remensi Archiepiscopo, W. Lingonensi, W. Catalaunensi, Ph. Belvacensi, St. Noviomensi Episcopis, & Od. Duce Burgundiæ Paribus Regni nostri, & aliis multis, scilicet Vu. Comite Pontivi, R. Comite Drocensi, P. Comite Britanniæ, G. Comite S. Pauli, W. de Rupe Senescallo Andegavensi, W. Comite Juintacensi, I. Comite Belli-montis R. Comite de Alentonio, & etiam quibusdam Episcopis, videlicet Antissiodorensi, Carnotensi, Sylvan. & Lexov. nobis audientibus, & judicium adprobantibus, quod homagium Erardi de Brena, vel dictæ Philippæ de Comitu Campaniæ nullatenus recipere debebamus, quamdiu Blanca Comitissa, & Theobaldus filius ejus vellent jus facere in Curia nostra & prosequi: & quod usus & consuetudo Franciæ talis est, quod ex quo aliquis saisitus est de aliquo feodo per Dominum feodi, Dominus feudi non debet alium recipere in hominem de eodem feodo, quamdiu ille, qui saisitus est de feodo per Dominum feodi, velit & paratus est jus facere in Curia Domini feodi, & prosequi etc.

Omnes Curiæ Pares simul judicis partes sustinent, nisi consensu senioris, & vasalli quoidam ex his eligi placuerit II. *f.* 16. a quibus dumtaxat causa decidatur. Et vasallus jure obligationis a seniore requisitus Pares eligere tenetur, *d.* II. *f.* 16. ibi *Dominum debere eligere prius, quem aut quos voluerit: & vasallus similiter hoc faciat secundum numerum a domino comprobatum.* Vox *debere*, & *faciat* titulum obligationis ostendit. Attamen Dominus ante Vasallum eligendi facultatem habet tot Pares, quot velit, postea ex reliquis vasallus eliget eorum fideles, & sibi suspectos remanet II. *f.* 16., Glos. *in* II. *f.* 35. §. *præterea si inter v. per pares*, Sonsbec. *par.* XIV. *n.* 32., Clarus §. *feudum q.* 90., modo vasallus non eligat eum, invito seniore, qui seniori fidelitatem non juravit II. *f.* 16. quum nulla falsitatis suspicio oriatur: imo communi consensu etiam inhabilis eligi potest, sicut testi non juramento credi solet *cap.* 39. *de Testibus*, & quisque juri suo, uti lubet, renunciat. Exstat Constitutio Imperat. Frider. *an.* 1473. apud A. Matth. *de jure Gladii cap.* 30. quæ abusum in feudalibus causis Ecclesiæ Trajectensis abrogat, & statuit, *volumus, ut si quando in terris Ecclesiæ Trajectensis inter Episcopum Trajectensem pro tempore*

pore veluti Dominum feodi ex una, & vasallum ex altera, sive inter duos, plureſque vasallos de potioritate juris feudalis contendentes quæstio feodi agitanda veniat quod decem saltem ex paribus Curiæ peritia, vita, moribusque probati ad audiendam hujusmodi controversiam, eamque pro justitia decidendam sufficiant, observatione supra narrata, videlicet, ut nisi omnibus intervenientibus vasallus eam examinari, aut in ea pronunciari non possit .... Dum tamen quæstio inter vasallos vertitur jure præsidenti ipsi Episcopo ejusve successoribus eo casu veluti Domino feudi semper salvo. Quæsitum est, an Pares a domino, aut vasallo electi, de recte judicando jurare teneantur? dissensio est: Plures negant, huic nixi rationi, quia jam fidelitatis sacramentum præstiterunt. Placet teneri, quum jure civili omnes, sive majores, sive minores, ordinarii, aut delegati judices ad hoc jusjurandum obligentur, *l.* 14. *& autb. hodie C. de judic.*, nec textus feudalis aliter monet, igitur jus civile sequamur, præsertim, quia in capitibus fidelitatis conditio de recte judicando non contineatur; secus si in investitura adfuerit clausula de jure, & justitia administranda, tunc Pares iterum jurare non coguntur, Scrader. *par. x. sect.* 11. *n.* 105. 112. *&* 127. Vultej. *lib.* 11. *c.* 2. *n.* 32. Jac. a S. Georg. *§. & dicti vasalli n.* 13. Rothius *in Pand. feud. cap. xxv. q.* 8.

Postquam Dominus elegit, & Vasallus si eligere recusat, vel in electione targiversetur, tunc illi tantum a Domino electi judicabunt & vicissim, ut mutua inter Dominum, & Vasallum exerceatur fidelitatis, bonæ fidei, æqui, bonique vicissitudo, quæ potissimum in judiciis requirenda; quod non recte Sonsbec. *par. xiv. n.* 32. & Vultej. *lib.* 11. *c.* 2. *n.* 30. negarunt. Nulla enim hac in re differentia inter Dominum & vassum relucet, quos 11. *f.* 22. non juvat; ibi enim si vasallos injuriam a Domino acceperit, aut ei justitiam facere neglexerit, Curiam adire debet, quæ dominum roget, vasso suo satisfacere, & si renuat, deprædari eum liceat. Sed in judicio, de quo loquimur, non Dominus, nec vasallus, verum ipsa Curia, seu Pares judicant. Demum Pares jam electi, etiam captis pignoribus, ad judicandum cogi possunt, quia judicandi munus est publicum, ad quod unusquisque compellitur, hoc est lex feudalis, quæ est publica & tacita populi voluntas, jurisdictionem Paribus concessit, quam legitime requisiti exercere tenuntur. Et cogi a superiore, Principe, vel comite possunt *arg.* 11. *f.* 22., Scrad. *par. x. sect.* 10. *n.* 49., Clarus *loc. cit.* Vultej. *lib.* 21. *c.* 2. *n.* 31., Sixtin. *de Regal. lib.* 1. *c.* 8. *n.* 48. Nec eorum suadet opinio, quæ docet, tunc cogi posse, quum judicare inceperint, & perficere nolint, non vero antequam judicium

susce-

Digitized by Google

ſuſceperint. Lege enim feudali hoc onus Curiæ Paribus impoſitum eſt, ut orta inter ſeniorem, & Vaſallum controverſia neceſſario judicent, & ab eadem lege jam electi videntur.

Et quoniam juriſdictio Parium eſt ordinaria, ſi unus ex electis decedat, aliorum non expirat juriſdictio, ſecus in judicibus delegatis, arbitris, atque arbitratoribus ſancitur in *cap.* 42. *de Off. deleg.* Non tamen ad heredes Parium tranſit, etiamſi in feudo ſuccedant, quia nomine proprio, non dignitatis electi ſunt, & induſtria unius actum alterius non confirmat, Scrad. *par. x. ſect.* 11. *n.* 30. *& ſeqq.* Juriſdictio autem ſeniori competens ad heredes ſenioris univerſales, aut particulares tranſit, quia hæc feudo cohæret, id eſt illi juri, quod Dominus in feudo habebat, innititur, Scrader. *par. x. ſect.* 3. *n.* 150. Electione ſemel peracta, pœnitere non licet, quamvis indignum elegerint, *cap.* 58. *de elect. l.* 5. *D. de leg.* 1. niſi electionis ſolemnitas defecerit, vel juſta cauſſa ſupervenit. Denique utramque juriſdictionem & Domini, & Parium, ſic Gunth. deſcribit lib. VIII. v. 630.

Inter vaſallos unius forte patroni
Quæſtio de feudo quoties agitatur eodem:
Quo feudi Domino gaudent, hoc judice certent.
Si tibi pro feudo, quod te tribuente fatetur
Acceptum, tu vero negas, vaſallus agendam
Forte movet litem, non tu, ſed Curia judex
Audiat, & certo determinat ordine cauſſam.

Idem lib. 2. *v.* 45.

Hujuſmodi tamen Parium juriſdictio in Imperatore, qui de regalibus feudis cum Ducibus, Baronibus, aliiſque Vaſallis contendit, non viget, ſed ipſemet judex erit, ſicut & quilibet in ſuo Dominio Princeps ſupremus, Sixtin. *de Regal. lib.* 1. 8. *n.* 51. nec aliorum Principum conſilio, aut voto indiget, Rothius *loc. cit. q.* 5., quod intelligitur, ut Carolus IV. in aurea Bulla ſuffragiis Electorum compoſita diſpoſuit, videlicet orta inter Imperatorem & alios de feudo, aut alode controverſia, coram ipſo Elector Palatinus ad Rhenum, & Elector Saxoniæ judicabit, hoc eſt Palatinus partes judicis in Curia parium ſubſtinebit, Boehm. *Obſerv. jur. feud. XI.* §. 9. Sixtin. *loc. cit. n.* 52. Wiſenbac. *ad tit. C. Nequis in ſua cauſ.* Nec Vaſallos feudo privare, aut Civitates in bannum imperii declarare poteſt, niſi Electoralis Collegii conſilium adhibeat, Roth. *loc. cit.* Et vacante imperio duo Vicarii Palatinus, & Saxo, etſi aliis feuda concedere nequeant, tamen decauſſis feudalibus recte cognoſcunt A. Bulla *c.* 5. Gaubeccq. *diſſert. de juriſdict. feud.* §. 22.

TITULUS IV.

De judice ordinario, atque arbitro.

§. IV.

De jurisdictione ordinarii, & arbitri.

ACtum de prima, & secunda jurisdictionis feudalis regula, si nempe controversia est inter duos vasallos, senior judex sedet: si inter Dominum, & vasallos, Pares decernant. At si inter vasallum, & extraneum, vel seniorem, & extraneum, vel de causa non feudali contenditur, judex ordinarius decidit. Immo etsi de re feudali agat, non tamen ex lege feudi convenitur, puta si actione depositi, pignoratitia, aut simili disceptatur, etiam ordinarius erit judex, Vult. *de feud. cap.* 2. *lib.* 2. *n.* 34. Panormit. *ad cap.* 5. *n.* 13. *de foro comp.* Sonsbec. *par. XIV. n.* 40. Curt. *par. VII. n.* 37. Lex enim feudalis non generalem, sed arctam seniori, & Paribus jurisdictionem dedit, in reliquis judex ordinarius jure suo utatur (*a*).

Exemplis enucleabo: si controversia est inter vasallum, & extraneum, nempe sive extraneus agat, aut possideat, quia Dominus feudi in re sua nequit judicare, si extraneus recusat, *tit. C. ne quis in sua caus.* potest tamen cognoscere, an sua sit jurisdictio inter suos vasallos de feudo litigantes, sicut Praetoris est aestimare, an sua sit jurisdictio *l.* 5. *D. de judic.*, Wisenbac. *ad tit. C. ne quis in sua caus.* Martin. de Silimanis *de feud. n.* 244. Zasi. *par. XI. n.* 9. Aut si alteruter negat Domini illius vasallum esse, 11. *f.* 51. §. *pen.* Sixtin. *de Regal. lib.* 1. *c.* 8. *n.* 54. Wesenbec. *cap. XVII. n.* 6. Si lis est de servitutibus, aut finibus feudi, videlicet si vicinus servitutem vindicare, aut fines feudi invertere velit. Aut Dominus promisit aliquem de feudo investire, deinde promissa servare renuat, quem non de feudo constituto, sed constituendo agatur: si non est feudum, ergo nec Dominus, nec vasallus concipi potest. Secus si de investitura veteri, vel abusiva quaestio contingat, tunc Pares Curiae cognoscunt, quia feudum jam constitutum reperitur, 11. *f.* 22. Curt. *loc. cit. n.* 37. Wesenbac. *loc. cit.* Vel duo vasalli inter se contendant, & quis-

(*a*) Panium, & Domini jurisdictio tunc agit, cum causa est feudalis, exemplum dat Ludovic. Bachm. *observ. jur. feud. XL.* §. 6.

& quisque beneficium novum esse, & suum proprium, non a majoribus sibi traditum, sive eundem investitorem, sive diversos laudent cum causse decisio seniorem quoque respiciat, propter possessionis traditionem, & existimationis solvendæ necessitatem 11. *f.* 34. Montan. *lib. V. c.* 1. *n.* 11. *f.* 27. §. *si duo* §. *si vero*.

Si inter seniorem, & assertum vasallum, hoc est qui vasallum esse ait, Dominus negat. Nec Dominus, quia nolit, nec Pares Curiæ, quia adhuc investitura non apparet, cognoscere possunt, 11. *f.* 20. ibi Cujac. Struv. *s. j. f. cap. XVI. A.* 7. *n.* 2. Si Dominus Pares Curiæ non habeat, & controversia inter vasallum, & Dominum, aut vasallum, & extraneum, aut Dominum, & extraneum occurrat, 11. *f.* 16., Glos. *ad* §. *pen.* 11. *f.* 55., Scrad. *par. X. sect.* 6. *n.* 189. Vel Pares habet, sed uti suspecti repelluntur, nec alii adsunt; Cuvt. *par. VII. n.* 35. Scrad. *par. X. sect.* 6. *n.* 200. rectius tamen Struv. *loc. cit.* opinatur vel arbitrum, vel ad Superiorem adeundum *l.* 16. *C. de judic.* Si vasallus beneficium a nemine se recognoscere, sed allodium suum asserat, vel feudum esse, sed ab alio tenere, *arg.* 11. *f.* 27. §. *si duo*, §. *si vero*, Sonsbec. *pars XIV. n.* 31. Si de violentia, atque injuria in feudo illata vasallo, videlicet lege Aquilia, injuriarum actione, restitutionis, sive civiliter, sive criminaliter agat. Si vasalla fuerit vidua, quæ tanquam miserabilis persona coram judice Ecclesiastico conveniri potest, *cap. XV. de foro compet.* Sed occasio fuit, quia Pontifices causas seculares ad suum forum traherent, cum lex feudalis, ut nuper diximus, personas non distinguat. Et quia jurisdictio feudalis ex contractu dependet, cui vasallus sive mas, sive fæmina cujuslibet conditionis investitura consensit. Nonnullorum opinio displicet, quibus placuit, causam de possessione feudi inter Dominum, & vasallum orta, ab ordinario, non a Paribus Curiæ cognosci. Etenim hoc judicium est feudale, sive possessorio adipiscendæ, retinendæ, aut recuperandæ conveniatur 1. *f.* 22. 11. *f.* 22. *cap. VI. de foro compet.*, Clarus *loc. cit. q.* 90. Sixtin. *loc. cit. n.* 29. Zasi. *par. XI. n.* 22. quum sententia aut de possessione feudi, aut proprietate lata, Domino nocere possit Arbiter quoque sæpe a Partibus electus judicat 11. *f.* 15. 11. *f.* 34. Struv. *s. j. f. Cap. XVI. n.* 8., Wesenbec. *loc. cit.*

Demum si consuetudine obtinuerit, ut judices feudales privilegio, aut communi consensu constituti omnes clientelarum causas cognoscerent, sicut in Ducatibus Clivensi, Juliacensi, Montensi, in provinciis Belgarum, a quorum sententiis ad supremam Brabantiæ curiam, in provincia Mechlinensi ad curiam Mechlinensem appellatur, in Mediolanensi dominio regia comitia decidunt;

Christin. *to. VI. dec. belg.* 81. *n.* 12. Si in aliis legum partibus, maxime in feudis consuetudines variant, unde Geldria, Artesia, Hannonia, Burgundia, Clivia, Flandria, Hollandia, Lutphania, Zelandia, Camaracum, Tornacensis suas consuetudines a longobardicis moribus differentes usurpant, Christin. *in fin. tom. VI. Dec. Belg.* Buddingh. *loc. cit.* §. 70. Sensbec. *loc. cit. n.* 39.

TITULUS V.

De legitimis personis in judicio sistendi.

§. V.

Filiusfam., minor, pupillus, procurator.

IN omni judiciorum genere initio inspicienda personarum qualitas, quæ in foro *legitimatio* appellatur; & in feudalibus concertationibus nemo stare potest, nisi qui feudalem qualitatem habeat, sive Dominus, sive cliens fuerit. Quamvis sæpe clientelares causæ coram aliis judicibus agantur, ut de judicio ordinario supra asserui.

Primo itaque regula est: quilibet, qui a jure non prohibetur in omni judicio, sive allodiali, sive beneficiario stare potest, sive mas, sive fœmina sit *l.* 1. §. 1. *D. de Testibus l.* 12. *D. de judic.*, Rosent. *Cap. XII.* 10. *n.* 2. 3. Scrad. *part. X. sect.* 17. *n.* 11. Christin. *to. VI. dec. belg.* 82. Filiusfam. in feudo sibi a supremo Principe, aut Comite, Barone, Marchione & Duce concesso, sine patris consensu, tam actorie, quam rei vicem obtinens, comparere, atque agere potest, nec refert, an vasallus, an senior existat. Nam ipse in feudo, cujus pater usufructum non acquisivit, publica existimatur persona, instar castrensis peculii possidet, etiam, eo invito, agit, actionem, persecutionemque exercet *l.* 4. §. 1. *D. de Castren. pecul. l.* 34. *C. de Episc. & Cler.* Afflict. *dec.* 180. Vultej. *lib.* 1. *de feud. c.* 4. *n.* 6. Wissenbac. *disput. XVI. inst. n.* 7. Si vero Patri consuetudine, aut pacto usufructus in feudo filii cedat, tunc filius, inconsulto patre, litigare prohibetur.

Minor, aut pupillus in judicio agere nequit, cum de feudo contenditur, postulante eorum utilitate, aut agant, aut se defendant; nisi tutorum, curatorumque auctoritas intervenit; & si contra fiat, & litem amittant, sententia non valet. Quamvis, si minor adversarium vicerit, sententia sustineatur, quia minoribus ætas in damnis subvenire, non in lucris obesse solet *l.* 1. & 2. *C. qui legitimam* per-

Digitized by Google

perſon. l. 14. *C. de procurat.* Jure Romano vivimus, quoties jus feudale nihil ſanxit. Nec refert an tutorem Magiſtratus concedat, an pater in teſtamento dederit, qui bona allodialia, & feudalia adminiſtrare debet, quum jus longobardicum clientelare de tutelis nihil diſponat. Nec tutoris datio in ſucceſſione, alienatione, & ſenioris damno quid immutat, ſed perſonæ potius, quam rebus conſtitutus videtur. Nec diſtinguere feuda Ducatus, Comitatus, & regalium a minoribus oportet; nec quiſnam tutor erit, modo non fœmina fuerit, etſi mater, avia, proavia declaretur, quamquam jus Romanum aliud ſtatuat, quod Carolus V. *an.* 1548. in Conſtit. apud Goldaſt. *Conſtit. imper. to.* 1. *p.* 558. *c.* 31. ſecutus eſt (*a*).

Procurator ſicut in cauſſis allodii, ita & in feudalibus conſtitui poteſt, ſive ſenior, ſive vaſallus, actor, aut reus agat, atque excipiat, quod jus longobardicum non prohibet. Jure igitur Romano utimur, ut qui rebus ſuis ſupereſſe ipſi vel nolunt, vel non poſſunt, per alios vel agere, vel conveniri valeant *l.* 1. §. 2. *D. de procurat.* quum ſæpe Dominos ætas, imperitia, ſexus, morbus, verecundia, dignitas, peregrinatio, aliæque occupationes impediant. Aut Dominus, Clientem de feudi privatione, pactorum inveſtituræ executione, aut felonia conveniat. Felonia enim eſt crimen privatum, pœnam civilem, non criminalem inducens, & in actione ex privato delicto deſcendente, quæ nullam corporis coercitionem continet, recte procurator creatur, aut ante litis conteſtationem, aut poſt, cum Paribus Curiæ, cum Domino, judice ordinario, aut arbitro contendatur *l.* 20. *C. de procur.* etſi jure Saxonico, non niſi ante conteſtatam litem procurator ſtatui poſſit, Scrad. *par. X. ſect.* 18. *n.* 88. quo jure quiſque cogi valeat, ut procurationem ſuſcipiat, quum procuratoris munus ſæpe moribus publicum evaſerit, Scrad. *loc. cit. n.* 115. Olim in medio ævo jure germanico nemo per procuratorem agere poterat, niſi ut per procuratorem abſentiam excuſaret, ſicut jure veteri Romanorum obtinuit. Sed poſtea Europa jus Romanum medium & noviſſimum, & ca-

(*a*) Equidem in media ætate in Regnis, Ducatibus, & Ditionibus lubenter matri, aut aviæ tutela filiorum, aut nepotum deferebatur, ſive teſtamento, ſive ab inteſtato, ſive a Magiſtratu daretur. Hinc in Regno Hiſpaniæ, Galliæ, Siciliæ, Daniæ, Sveciæ, Doloniæ, Haſſiæ, Saxoniæ, Lotharingiæ, Sabaudiæ, & Friſiæ orientalis ſervatur, Stryki. *to. VII. diſp.* 12. *c.* 1. §. 6. *&* 7. Conferenda doctiſſima Archiepiſcopi Fani Andreæ in Regno Scotiæ, oratio, quam Buchanan. *Rer. Scot. lib. XII.* retulit. Hodie in Regnis, & feudis mater tutrix conſtitui ſolet.

Digitized by Google

& canones adprobavit, Heinec. *Elem. jur. Germ. lib.* III. *tit.* 2. §. 94. Noodt *ad tit. D. de Procurat.*

In Regno Franciæ nemo in judiciis ſine Principis reſcripto litigare poterat, ſicut nos inſtruit formula Marculfi *lib.* I. *c.* 21. *Fidelis Deo propitio noſter ille ad noſtram veniens præſentiam ſuggeſſit nobis eo quod propter ſimplicitatem ſuam cauſſas ſuas minime poſſit proſequare, vel admallare* (hoc eſt ante judicem vocare cauſſa litigandi) *Clementiæ Regni noſtri petiit, ut inluſter vir ille omnes cauſſas ſuas in vice ipſius tam in pago, quam in palatio noſtro admallandum proſequendumque recipere deberet, quod in præſenti per feſtucam eas eidem viſus eſt commendaſſe. Propterea jubemus, ut dum taliter utriſque decrevit voluntas, memoratus ille vir omnes cauſſas lui* (ſeu illius) *ubicumque proſequere, vel admallare deberet; ut unicuique pro ipſo, vel hominibus ſuis, reputatis conditionibus, & directum faciat, & ab aliis ſimili modo veritatem recipiat. Sic tamen quamdiu amborum decrevit voluntas*, ibi Bignon. Franc. Roye *de Miſſis Domin. ad juſtitiam c. VII.* Joannes a Coſta *tit. decr. de Procurat. in Summario*, qui Barbarorum politiæ peritiſſimus primus *cap. VII. de Procur.* intellexit, ubi Univerſitas Pariſienſis ab Innoc. III. veniam per Procuratorem litigandi non a Rege petiit, quia magis a R. Pontifice, quam Rege olim dependebat. Hic mos uſque ad Franciſcum I. in Gallia ſtetit. Jure etiam veteri Longobardico obtinuit, Rex Rachis *lib.* II. *LL. Long. tit.* 53. *l.* 1. ibi Murator.

Procurator vel eſt in rem ſuam, vel in alienum commodum: in rem ſuam eſt, cui utilis actio, vel exercitium actionum directarum ceditur. In alienum commodum, qui mandato Domini aliena negotia adminiſtrat, qui verus in jure procurator dicitur, *l.* 25. *in fin. l.* 33. §. *ult. l.* 34. *l.* 55. *D. de procurat.* Procurator in rem ſuam jure civili, reo etiam invito, conſtituitur *l.* 3. *C. de hered. & act. vend. l.* 1. *C. de Novat.* Sed jure feudali vaſallus, ſine ſenioris venia, hanc procuratoris ſpeciem ſtatuere nequit, quia ſuum utile dominium, quod in feudo habet, alienare vetatur II. *f.* 52. II. *f.* 55. Sicut etiam Dominus directum dominium ſine vaſalli conſenſu in alium transferre non poteſt II. *f.* 34. §. *eadem*, II. *f.* 55. §. *præterea ducatus*. Mutua igitur in alterum feudorum ceſſio, vaſalli in dominio utili, ſenioris in directo, niſi mutuus accedat conſenſus, omnino improbatur, modo mores vaſallo de ſua clientela diſponendi facultatem non dederint. Nam ſi moribus, vel pacto convenit, ut vaſallus, inſalutato ſeniore, feudum alienaret, ſi cum Domino litigat, recte procuratorem in rem ſuam conſtituit, etiamſi Dominus non conſenſiat, ſi directum non lædat dominium;

Scrad.

Digitized by Google

Scrad. *par. X. sect.* 18. *n.* 12. Rosent. *Cap. XII.* 10. *in fin.* Procurator vero in commodum alienum, quamquam vasallus non sit, in causis clientelaribus recte admittitur, & eos procuratores quos jus Romanum improbat, etiam jus feudale repellit.

In causis allodii generale mandatum prodest, *l.* 65. §. 7. *D. pro socio*, *l.* 12. *D. de solut.*, in feudalibus speciale jussu indigemus, quia sub generali bonorum administratione, & mandato non continentur feuda 11. *f.* 26. §. *in generali*, cum bonorum feudalium natura ab alode omnino differat, quidquid aliis immerito suadet, Afflict. *in d.* §. *in generali*. Et noster Feder. in Const. *si quando forte lib.* 1. 87. Magistris Procuratoribus excadentias locari mandat, sed a locatione feudorum, sive quaternata, sive non, sint, se abstineant, *nisi super hoc de rei petitæ conscientiæ nostræ scriniis mandatum recipiat iteratum*, ibi Afflict. *n.* 4. Imo mandatum in re feudali non speciale tantum, sed in individuo, feudi, & expresso litigantium nomine, opus est, quum omnis clientelaris causa gravis, atque ardua censeatur, Scrad. *loc. cit. n.* 131.

TITULUS VI.

De Actionibus feudalibus.

§. VI.

De Actionibus vasalli.

OMne jus, quo quisque in societate uti potest, vel in adquirendo, vel in conservando, aut amittendo, aut minuendo consistit, quod jus feudale etiam adprobat, *l.* 41. *D. de LL.* In adquirendo, videlicet si de feudo duntaxat promisso agitur, & competit vasallo actio personalis, vel ex stipulatu, actio empti, vindicatio, & condictio ex moribus. In conservando, nascitur utilis rei vindicatio interdicta possessoria, retinendæ, adipiscendæ, & recuperandæ possessionis, actio publiciana, confessoria, negatoria, petitio hereditatis, revocatoria, evictio. In minuendo, competit actio legis Aquiliæ, actio furtiva cæsarum, communi dividundo, finium regundorum, præscriptis verbis. Hujusmodi sunt actionum genera jure feudali, & interpretibus cognita. Primum de actionibus, quæ in adquirendo consistunt.

Actio personalis est, cum agimus contra eum, qui ex contractu, vel quasi, ex delicto, vel quasi nobis obligatus est, ad aliquid dandum, vel faciendum *l.* 25. *D. de O. & A.* Si Dominus simpliciter

Mavio

Mævio feudum promisit, vasallus nullum jus in re adquirit, sed personalem actionem habet, quam promissor ex contractu, seu pacto (quod moribus actionem producit) obligetur, vel feudum constituere, vel id quod interest præstare; aut si stipulatio intervenit, ex stipulatu agi potest. Si ad dandum feudum ex venditionis contractu se obligavit, actio emti competit. Actio ex nuda promissione descendens, vocatur *condictio ex moribus*, aut condictio ex lege *tit. D. de condict. ex lege*. Nam omnis obligatio lege nova introducta, nec cautum eadem lege, quo actionum genere experiamur, condictione ex lege agendum est, inquit Paul. in *l. nu. D. eo.*, Duaren. *de feud. cap. XVIII. n. 2.* Clarus §. *feudum q. 89.* Rothi. *in Pandect. feud. cap. XXIV.* §. 1. Rosent. *cap. XII.* II. *n.* 12. (a).

Verum si præter nudam promissionem, etiam abusiva accesserit investitura, vasallus eadem actione videlicet condictione ex lege adversus seniorem agit, ut vacuam possessionem sibi tradat, nec si velit præstare id, quod interest, liberabitur: quia investitura vassus dominium adquisivit, etsi possessionem non habeat II. *f. 76 in fin.*, II. *f. 26.* §. *si facta*, ibi Alvero., & Duaren. *loc. cit. n. 3. & 4.* Aut si vasallus condictione ex lege uti nolit, utilem rei vindicationem intendare potest. Etenim *lib. II. tit. XI.* §. 37. probatum est, abusiva investitura, jam utile feudi transferri dominium, quamvis possessio, nisi apprehendatur, non transeat, quod perperam Vultej. *lib. II. de feud. c. x. n.* 14. negavit. Investitura est modus adquirendi dominium, & modus adquirendæ obligationis, adquisito dominio, senior ex obligatione jam contracta possessionem tradere compellendus. Hinc fulget differentia, cur ex nuda constituendi feudi promissione, senior præstando id, quod interest, liberatur; non vero si promissioni abusivam conjunxit investituram, quia vasallus non in primo, sed in secundo casu dominium adquisivit, quod nisi voluntate sua amittere non potest.

Condictio ex lege non in feudo antiquo, sed novo suscipitur; quia in feudo antiquo nec possessionis, aut dominii translatione indigemus, sed renovatio, atque recognitio petenda, quæque heredibus, & contra heredes datur, si laicus fuerit, qui investivit I. *f. 9.* Si vero clericus, & decedat, antequam investituram impleat, & possessionem tradat; successor adimplere & perficere non obligatur, I. *f. 9.* Duaren. *loc. cit. n. 3. & 5. lib. III. dixi tit. VIII.* §. 17. Sive igitur feudum tradiderit, sive abusivam peregerit investi-

(a) Condictio ex moribus adeo generalis est, ut ad omnia ratione feudi debita, & præstita, quæ vasallo vel Domino competunt, extendatur, Wesenbec. *c. 17. n. 8.* Christin. *to. VI. dec. belg. 84. n. 9.*

Digitized by Google

vestituram, si Dominus contractum servare renuat, utili rei vindicatione experi vasallo permittitur.

In conservando, est *utilis rei vindicatio*, qua vasallus contra Dominum agit, qui contra fidem datam feudum jam constitutum tradere recusat, quum ipse injuste detineat utile dominium, quod in vasallum transtulit, *arg. l. 7. D. de evict.* aut si heredes Domini possessionem restituere nollent, aut si feudum ab extraneo possideatur, Feudista *in* 11. *f.* 8. *rei autem per beneficium recte investitæ vasallus hanc habet potestatem, ut tanquam Dominus possit a quolibet possidente sibi quasi vindicare: & si ab alio ejus rei nomine conveniatur, defensionem opponere.* Inutilis omnino vasallitici juris translatio fuisset, si vasallus illud, datis actionibus, tueri non posset. Vindicare enim non modo usurpatur pro suum asserere, & defendere, in quo dominium possidetur, sed etiam si quis quasi dominium habeat, ut superficiarius, emphyteuta, agri vectigalis conductor, & vasallus, qui majori jure, quam illi, fruitur Cuja. *ad tit. D. de R. V. & ad tit. D. de publician. in rem. act.* Alver. *ad d. tit.* 8. *l. fin. D. de Ager Vectig.* Atque si senior & vasallus ad vindicandum, a possessore feudum concurrant, vasallus præferendus, qui utile dominium habet, cum Dominus civili tantum possessione fruatur, & magis vasalli, quam Domini interest. Verum si vasallus vindicare nolit, aut moratur, Dominus vindicabit, Vultei. *lib. 32. de feud. cap.* 1. *n.* 19. Rothi. *loc. cit. q.* 7. Alver. *loc. cit. n.* 7. Rosent. *Cap. XII.* 12. *n.* 3. (a)

Interdicta quoque, seu remedia possessoria adhibet, quia securius est in judiciis interdicto possessorio, quam petitorio contendere, in primo possessio, in secundo titulus tantum requiritur. Interdictum est sermo Prætoris interloquentis inter duos, qui de possessione, vel quasi possessione contendunt, quo judicem instruit, quomodo in ea causa judicanda se gerere debeat. Possessio, sive causa possessionis est fundi, vel ædium: quasi possessio est cujuslibet juris incorporalis, quod in feudum dari potest *l.* 23. §. 2. *D. ex quibus caus. Maj.* jam Prætor edixit eum possidere, qui tempore controversiæ nec clam, nec vi, nec precario possidet, cujus vestigia sequitur judex. Et quidem vasallo pro adipiscenda

(a) Si senior hac dejectione in jure suo diretto turbetur, simul cum vasallo interdicta proponere potest; & vix excogitetur casus, quo in remediis possessionis senior cum vasallo simul non concurrat, quia omnis spoliator feudum ad se spectare intendit, & ita jus vasallagii senioris læditur, Rosent. *cap. XII.* 12. *n.* 46.

Digitized by Google

beneficii possessione competit interdictum *quorum bonorum* II. *f.* 26. §. 1., sive ex testamento, sive ab intestato succedere velit: quo bonorum possessor etsi jus & dominium feudi, & hereditatis tanquam heres adipiscatur, tamen corporalem possessionem, quæ est facti, eamque forte alius tenet; hoc interdicto a possessore petit *vit. D. & C. quorum bono.* Nam hoc interdictum competit ei, cui Prætor feudalis, hoc est vel senior, vel Dominus, vel judex ordinarius, vel arbitror, feudalem possessionem ex testamento, vel ab intestato dedit. Et qui hoc interdicto agit, se esse defuncti agnatum, vel filium, vel a primo Adquirente descendere probare tenetur. Aut si proximus agnatus in testamento heres scribatur, qui alias sine testamento successurus erat, potest possessionem petere ex *l. fin. C. de edict. D. Adria. toll.* si videlicet, prolato testamento non cancellato, non abolito, & quod visibili vitio non laboret, statim in possessionem hereditatis, & feudi immittitur, & qui contendere velit, ad petitorium relegandus, & ordinariam juris rationem in probationibus adhibere debet, quum possidentis melior sit conditio, Rosent. *cap. XII.* 12. *n.* 31. Rothius in *Panitell. feud. cap. XIV. q.* 8. & *cap. XXIV. q.* 12. Vultej. *lib.* II. *c.* 1. *n.* 20. Proinde si filia heres in testamento a patre instituitur, ex eodem D. Adriani edicto statim bonorum feudalium possessionem adipiscitur, etiamsi filii, aut agnati, salvis eorum actionibus, aut Dominus contradicant II. *f.* 26. §. *inter filiam*, Garzon. *tract. de feminis ad feud. recip. ver.* 26., Curt. *par.* III. *n.* 23., Pistor. *lib.* II. *p.* 39. *n.* 32., & dicam *ad d.* §. Scrad. *par. VII. c.* 4. *in fin.* Nec in hujusmodi adipiscendæ possessionis interdicto distinguere suadeo feudum hereditarium, a feudo ex pacto; & ratione adducor. Nam edictum Adriani non jus, sed institutionem & testamenti tabulas respicit, nec succedendi ordinem immutare intendit, & petitorium postea discutiendum relinquit. Præterea vasallus abusive investitus actione ex stipulatu, condictione ex lege, & etiam interdicto adipiscendæ possessionis uti potest, quo contra seniorem, ejusque heredem, & tertium non legitime possidentem agere potest; & tunc nulla dominii, aut alia exceptio probatione indiga obiicitur, Scrad. *par. V. c.* 2. *n.* 27.

Pro retinenda feudi possessione interdicto *uti possidetis* merito agit, si ab aliquo, vel ipse, vel suus heres, a Domino, vel agnato in quieta feudi possessione turbetur. Hoc interdictum pro possessione rerum immobilium, nempe fundi, ædis, vel quæ pro immobilibus existimantur, ut annui reditus, jurisdictio, molendina, pensio ex officiis, & dignitatibus, jus pedagii, decimarum, venatio, piscatio, fodinarum reditus, pensio ex horreo Principis percipien-

Digitized by Google

cipienda, in quibus feudum consistere potest, dixi *lib.* 11. *tit.* X. §. 20. Rosent. *cap. XII.* 12. *n.* 38. Rothi. *loc. cit.* Scrad. 11. *par. IX. sect.* 3. *n.* 80. Hinc interdictum retinendæ possessionis, quod *utrubi* appellatur, non competit, quia illud pro rebus mobilibus conceditur, in quibus feudum vix consistit *l. un. D. utrubi*, §. 4. *inst. de interd.*, 11. *f.* 1. §. *sciendum*. Pro recuperanda possessione, ut si vasallus vi spoliatus & dejectus a feudo est, interdictum *unde vi*, & actionem ex canone *redintegrandæ* 111. *q.* 1. instituere potest, quum hoc interdictum etiam naturaliter possidenti, veluti fructuario, & emphyteutæ concedatur, si vetantur uti frui fundis, quorum lucrum, & fructus ad eos pertineat, *l.* 2. §. 22. *D. vi bon. raptor.* Perez *ad tit. C. de interdict. n.* 5. Rosent. *loc. cit. n.* 41. & 42. (*a*). Atque sive a Domino, sive ab extraneo deiiciatur, ante omnia restituendus, nec de titulo constare, aut docere oportet, ideirco caussa possessionis dicitur *momentum*, quia statim cognoscenda, & expedienda est, sive de possessione adipiscenda, retinenda, aut recuperanda agatur, *tit. C. si de moment. possess.*, *l.* 8. *C. unde vi.* Ex his errat Struv. *s. j. f. cap. XVI. A.* 3. *n.* 3. Scrad. *par. VI. c.* 6. *n.* 101. & Zasi. *par. VII. n.* 49. qui asserunt, potius actionem in factum vasallum instituere, quam interdictum unde vi adhibere, ut famæ senioris parcatur. At nullam interdictum est famosum *l.* 13. *D. de vi, & vi arm. l.* 32. *D. de pœnis*.

Actio *publiciana* est utilis rei vindicatio, quæ, amissa possessione, datur ei, qui a non Domino rem traditam ex justa caussa adquirendi dominii bona fide accepit, necdum usucepit. Si vasallus a non Domino investituram obtinuit, quem bona fide Dominum esse credebat, deinde rem possessam nondum usucaptam amisit, & alter injuste, aut imbecilliori titulo detineret, quia Prætor feudalis fingit usucepisse rem in feudum datam, quam non usucepit,

(a) Invaluit ex can. *redintegrandæ* C. 3. *q.* 1. licet spurio, a decretalibus tamen adprobato, spoliatum agere posse non modo contra eum, qui dolo malo, vi, injuste expoliavit, sed & contra tertium qui rem suam possidet. Quid si hic Tertius bona fide, justoque titulo possideat? Sed Innoc. III. *in cap. XVIII. de rest. spoliat.* malam fidem requirit, qui igitur bona fide possidet, securus erit. Interdictum *unde vi* est personale, & datur in eum, qui vim adhibuit. Beneficium *redintegrandæ* possessionis locum habet, etsi vis non fuerit illata, sed dolus vel metus intervenit. Ceterum quod jus Romanum de interdictis sanxit, merito ad jus feudale extendi potest, si de possessione, vel quasi possessione, aut proprietate agi contingat.

Digitized by Google

Dominum esse, qui nondum Dominus evasit. Imo publiciana seu dataria, sicut & superficiaria, & actio vectigalis, etiam contra Dominum dantur *l.* 1. *D. si ager vectig.* Cuja. *ad tit. D. de public. in rem act.* Rothius *loc. cit. q.* 18. Nam si Dominus vasallo actionem publicianam instituenti opponit dominii exceptionem, vasallus exceptione doli se tuetur, quia dolose dominium iam ei traditum retinere velit, ex regula, quem de evictione tenet actio, eundem agentem multo magis repellit exceptio. Si tertius vasallo feudum evinceret, Dominus de evictione teneretur, ergo si Dominus possessionem nolit vasallo restituere, adversus eum merito publiciana intendatur, qua investientem verum fuisse Dominum probare non oportet, sed quod alius sine justo titulo detineat: aut si investitura casu amissa est, & de tradita possessione constat, Scrad. *part. V. c. 6. n.* 2.

Actio *confessoria*, & *negatoria* pro rebus incorporalibus, ut sunt servitutes, instituuntur. Confessoria est ei, qui sibi servitutem competere contendit: negatoria Domino, qui negat *l.* 2. *D. si serv. vind.*, & Feudista *in* 11. *f.* 8. inquit, omnem actionem, quae directo Domino est, etiam vasallo competere: qua de re, si fundo feudali constituta esset servitus, cujus usum Dominus impedire vellet, vasallus hac actione seniorem convenit, ut declaretur, jus sibi esse illa servitute utendi fruendi. Aut si alius afferat servitutem in fundo feudali sibi competere; vasallus actione negatoria suum feudale praedium a servitute liberum asserit, Roscat. *cap. XII.* 12. *n.* 12. Andr. *ad d.* 11. *f.* 8. §. *rei autem* (a).

Pos-

(a) Actione confessoria servitutem praedio feudali debitam, negatoria libertatem, nullique oneri obnoxium vindicamus. Directa servitutis vindicatio datur Domino praedi, seu patrono feudi, utilis vindicatio quasi Domino, nempe creditori pignoratitio, emphyteuticario, & superficiario conceditur *l.* 16. *D. de servit. l.* 9. *D. de novi oper. nunc.* An fructuario? Inter veteres Jctos non convenit: Juliano placuit, Marcello, Labeoni, & Nervae contra displicuit *l. un. D. de Remissio. l.* 1. *D. si ususfruct. pet.* Varias Nicolaus de Passeribus *in Concil. legum pag. m.* 167. Interpretum solutiones recenset, & Corasii opinionem adoptat. Videlicet fructuarius servitutem praedio fructuario vindicat, aut ab ea liberat, non suo nomine, sed Domini, tanquam procurator agit. Fructuarius suo nomine asserere non potest, & ita Marcellus, Labeo, & Nerva intelligit, quia non est Dominus, sed quia jus suum a Domino repetit, servitutem ut procurator Domini vel vindicat, vel negat. Eadem ratio in vasallo viget, licet hac in re tam fructuarius, quam vasallus procuratores in rem suam dici possint.

Digitized by Google

Petitio hereditatis: si nempe feudum fuerit hereditarium, quod in petitione hereditatis continetur, & heres ex testamento, aut ob intestato hanc actionem instituere potest adversus eum, qui pro herede, hoc est si ex testamento, aut ab intestato putat se heredem esse, cum non est, aut jure non habetur, possidet. Aut contra eum, qui pro possessore possidet, qui rogatus, cur possideat, respondit, quia possideo, & ideo fur, & prædo est *l.* 11. *D. de petit. hered.* In feudo ex pacto non hereditatis petitio, sed utilis rei vindicatio admittenda, quum in hereditatis petitione non comprehendatur, sed tanquam res particularis proprio jure regenda vindicatur.

Actio *revocatoria* est vindicatio feudi agnatis competens, dum feudum alienatur, qui probare debent, se ex linea primi adquirentis descendere, & feudi successionem ad se pertinere, *arg.* 11. *f.* 50. Sed de jure revocandi *in lib.* 111. prolixe disputatum est, Struv. *s. j. f. cap. XIII. A.* 17. Rothius *loc. cit. cap. XX. q.* 1. *& seqq.* Duaren. *de feud. cap. XIX. n.* 5. *Evictio* est rei emptæ ablatio per judicem jure facta; si vasallus investitura jus in feudo consequitur, & res aliena ei in feudum conceditur a Domino, sive sciente, sive ignorante, eaque res a vero Domino evincatur, adversus investientem de evictione agere potest, ut vel aliam rem ejusdem qualitatis in feudum concedat, vel ejusdem feudi æstimationem solvat. Hac tamen actione utitur vasallus, si bona fide de re aliena investitus fuerit, secus si sciens, quia tunc senior nec de evictione, nec de pretio conveniendus, nisi speciali pacto sibi prospexerit 11. *f.* 8. Scrad. *part. V. c. 6. n.* 5. *& 6.*, quod intelligendum si clientelam vasallus contractu emptionis, permutationis, aut in solutum dationis adquisivit, quia tunc feudi concessio similitudinem cum his contractibus, in quibus evictio præstatur, dicit. Et si convenerit, ne patronus de evictione teneatur, pretium tamen, vel rem permutatam restituere debet.

Quod si feudum ex mera liberalitate senior concesserit, evictione non oneratur. Exemplo donatoris, qui ex sua liberalitate conveniendus non est, nisi vel senior, vel donator evictionem promiserint, *l.* 18. *in fin. D. de donat. l.* 2. *C. de evict.* ut Rittershus. Giphanius, & Schulting. ad Paul. *v. sent.* 11. § 5. legunt, nempe *nisi promiserit*, non *si promiserit*. Nicol. Burgund. *de evictionibus c.* 20. *n.* 1. *&* 2. Quæro, an si senior ob merita, & servitia, domi, militiæque a vasallo præstita rem alienam in feudum dederit, de evictione teneatur? Nostris Interpretibus nihil cogitatum est, nec lex feudalis quid constituit, proinde exemplo remuneratoriæ donationis respondeam. Sicut in simplici, & mera donatione, ita &

in remuneratoria evictio non servatur, cum in utraque æqualem fere liberalitatem donator exerceat, & donatarius æque locupletior evadat, æque lucrativæ rei possessor est, Burgund. *loc. cit. cap.* 18. Aulisi. noster *ad tit. D. de donat. c.* 2. *in fin.* (a).

Cessat & evictio in re feudali, si emptor sciens prudens rem esse feudalem, emit, caret evictione, nec contra venditorem ad id quod interest, agit. Si venditor sciebat, & emptorem celavit, emptor contra venditorem actione ex empto agere poterit, quia dolum commisit, licet feudum ad seniorem devolvatur *l.* 1. §. 1. *D. de act. empt.* Aut si emptor sciebat rem esse feudalem, venditor autem ignorabat, feudum venditori restituendum est, emptor pretium amittit, & fisco cedit, quia jus publicum, quod feuda alienari prohibet, offendit. Si venditoris, & emptoris ignorantia concurrat, cessat & evictio, traditio corruit, feudum venditor, & emptor id quod interest, hoc est pretium recuperat, Burgund. *de evict. c.* 44.

In *minuendo*, competit *actio legis Aquiliæ*, si damnum quis feudo intulerit. *Actio furtim cæsarum*, si arbores feudi quis ceciderit, dilcinxerit, deglabaverit, sive colonus, sive exterus sit: si colonus, locati, & actione arborum furtim cæsarum cum eo agi potest, nec si actione locati egerit, altera cogere impediendus, modo non prius actione arborum furtim cæsarum, quæ duplum continet, duriorque censetur, egerit *l.* 34. *l.* 41. *D. de O. & A.*, Wissenbac. *ad tit. D. arbor. furt. Communi dividundo*, nempe contra convasallum ad divisionem rei communiter in feudum possessæ. *Finium regundorum*, si feudum confines incertos, & confusos habeat, *Præscriptis verbis*, quoties vasallum inter, & Dominum contendatur ex investituræ pacto, an videlicet guardia, an conditionale, an fœmininum & similia declarandum, actio ex testamento, si feudum legatum sit; ex empto, si emptum; condictio ex *l.* 35. *C. de donat.* si donatum, Clarus §. *feudum q.* 89. Christin. *to.* VI.

(a) Quamvis Luitprandus Longobardorum in Italia Rex in donatione remuneratoria evictionem servari sanxisset, *lib.* 12. *LL. Long. tit.* 36. *l.* 2. *Si quis alii homini qualemcumque rem donaverit, & launechid* (seu reciprocum donum, ἀντίδωρον) *susceperit, & postea eam defendere minime potuerit, tunc aliam talem rem, qualem donavit, qualis in illa die invenitur esse, reddat, cui donavit, & amplius non calumnietur, & si de colludio pulsatus fuerit, satisfaciat ad evangelia, quod nullum colludium cum alio homine de ea re factum habeat, & sit absolutus a culpa: sic tamen ut superscriptam rem consimilem reddat, cui donavit.*

Digitized by Google

VI. decis. belg. 84. *n.* 5. Denique aliæ actiones vasallo in seniorem, aliamque competere possunt, quas jus Romanum tibi subministrabit.

§. VII.

De Actionibus Patroni.

NUllum jus in rebus nostris concipi potest, nisi simul ejus defensio, seu actio concipiatur. Etsi senior vasallum sibi in re sua constituat, jus sive dominium directum reservat, ex quo actiones, nempe rei vindicatio, condictio ex moribus, præjudicialis, interdicta, actio personalis nascuntur.

Rei vindicatione experitur contra vasallum, qui, caussa cognita, feudum amisit, vel lineæ illiteritu feudum devolutum est, ab heredibus allodii feudum vindicabit, aut a tertio possessore, qui injuste possidet. Aut in vasallum, qui rem suam jure feudi tenere intendit, Dominus negat 11. *f.* 2. §. *si vero*, Duaren. *c.* 19. *n.* 1. Vultej. *lib.* 11. *c.* 1. *n.* 33. *Condictione ex moribus* agit, ut a vasallo, quæ in investitura convenerunt, præstentur, aut ut feudum incolume sibi maneat, vel ob feloniam, & culpam a cliente commissam sibi aperiatur, quum hoc actionis genere omnia in investitura promissa, vel ex beneficii indole orta peti possint.

Ad servitii quoque præstationem senior pluribus instruitur actionibus in vasallum, nempe actione personali, actione ex stipulatu, præscriptis verbis, condictione ob caussam datî, caussa non secuta. *Actio personalis* ex illa obligatione descendit, quam feudalis contractus producit, & suadet. *Actio ex stipulatu* oritur ex pactis, & conditionibus initio infeudationis conventis. *Actio præscriptis verbis* in beneficio sequi videtur naturam innominati contractus, do ut facias, nempe investio te, ut mihi servitia præstes, sicut & vasallus, inquit, tibi servitia præstabo, si mihi fidelitatem servabis; quum nulla major in humanis conventionibus mutua jurium præstatio, quam in beneficiis, reperiatur. *Condictio ob caussam*, seu caussa data, caussa non sequuta, vel ob caussam dati, caussa non sequuta: qua feudum repetit, & condicit id, quod datum est caussa, propter quam datum, non secuta, id est ministerio, fide, & obsequiis non præstitis 1. *f.* 21., aut læsis, idcirco nonnulli hanc actionem etiam condictionem ob ingratitudinem appellant, Struv. *f. j. f. cap.* XVI. *A.* 2. 5. Rothi. *loc. cit. Cap.* 24. *q.* 9., Duaren. *cap.* XIX. *n.* 1., Vultej. *lib.* 11. *c.* 1. *n.* 28. Cave & Cujacio *in* 11. *f.* 8. qui ex hac condictione ob caussam, quam feudistæ *in* 1. *f.* 21. exhibet, motus, asseruit feudum esse contractum inno-

innominatum. Nam si vasallus servitia non præstat, si fidem non servat, feudo cadit, idcirco seniori actionem dari oportuit, qua suum beneficium repeteret. Compilator hanc actionem, ex feudali contractu rescissionem dicere existimavit, Struv. *s. j. f. cap. VIII. A.* 4. *n.* 2.

Interdictis, nempe *adipiscendæ*, *retinendæ*, & *recuperandæ possessionis* senior experiri potest, quia beatius est his remediis agere, quam petitorio, quod, nisi dominii ratione, & titulo non quiescit. Non modo si civili sua possessione turbetur, aut spoliatur aut a vasallo, aut ab extraneo; & contingit; si vasallus illud allodium, non feudum esse contendit, sed etiam si vasallus a naturali possessione deiiciatur, & agere vel non posset, vel nollet, Duaren. *cap. XIX. n. 6.* Rothius *loc. cit. q.* 11. 12. 13. Rosent. *cap. XII. n.* 44. In his enim judiciorum speciebus Senior simul cum vasallo sæpius coram vel Paribus, vel judice ordinario, aut arbitro comparere compellitur: ut si extraneus vi deiiciat vasallum, feudumque adimat, suumque allodium esse proponit, quia tam civilis Domini possessio, quam vasalli naturalis intervertitur, utrique experiri permittitur. Aut si vicinus Baro, vel Burgensis jus pascendi, venandi, piscandi, ligna succidendi, jus vectigalis, aut jurisdictionis in feudo sibi competere propugnat, Rosent. *loc. cit. n.* 45.

Præterea si extraneus vi servitia, & pensiones a vasallo exigere audet, senior interdicto recuperandæ possessionis se tuetur, quia injuria, & vis illata vasallo, ipsi inferri videtur, idcirco interdictum unde vi, & remedium redintegrandæ intendare valet. Sicut si negligentia, aut dolo vasalli possessio clientelaris ab extraneo detineatur, utitur beneficio *l. fin. C. de adquir. & retin. possess.*, quæ inter 50. Justiniani decisiones recensetur. Veteribus Ictis dissentio erat, utrum servus, colonus, vel procurator, vel inquilinus, vel tutor, curator, vel fructuarius, vel depositarius, aut commodatarius, per quos Dominus possidet, dereliquerit fundum, eoque, animo intervertendæ possessionis, discesserit, Dominus fundi possessionem amittat? Massurius Sabinus Capitonis successor sub Tiberio affirmabat *in l.* 31, eumque secutus Africanus *in l.* 40. §. 1. *D. de adquir. poss.* negabat Proculus *in l.* 31. *D. de dolo malo*, & Paul. *in l.* 3. §. 8. *D. de adq. pos.* Justinianus Proculo consensit, & sanxit, nullum Domino possessionis dampnum ex negligentia, vel dolo coloni, inquilini, procuratoris, servi, ceterorumve asseri, *ne ex aliena malignitate alienum damnum emergat*. Ex hac itaque lege Dominus ad revocandam possessionem a vasallo negligentia, vel dolo interversam agere poterit,

Quoniam vasallus sine Domini, & agnatorum consensu feudum alie-

alienare nequit, ſi illaudato eorum aſſenſu, alienat, Dominus rei vindicatione revocabit, & vaſallus ipſo jure feudo cadit, qui ſeniorem ſuum contemſit, indignumque ſe beneficio reddidit 11. *f.* 24. *in fin.*, Vultej. *lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 86. *&* 92., & *lib.* 111. probavi. Verum diſputatum eſt, an ſeniori actio præjudicialis competat, dum quis ipſius vaſallum ſe eſſe negat? negat Struv. *ſ. j. f. cap. XVI. A.* 2. *n.* 6., affirmat Rothius *loc. cit. q.* 15, & recte: præjudicium eſt omnis cauſſa ſtatus, dum videlicet quæritur, an quis in poteſtate, mancipiove alicujus ſit, an ſervus ejus, an libertas, an filius ſit in poteſtate; qua de re præjudicii ſpecies ſunt libertas, ſervitus, libertinitas, ſui juris, & alieni poteſtas, Cujac. *ad l.* 1. §. *per hanc D. de R. V.* Dum enim cliens negat ſe eſſe vaſallum, qualitatem ſuæ perſonæ vaſalliticam inhærentem negat, vi cujus ſenior fidelitatem, & ſervitia exigendi jus exercet, poſſidetque, ſicut patronus contra libertum, qui operas negat, agere valet, quæ actio prejudicialis appellatur. Sicut enim libertus operas ex voluntate Patroni, & manumiſſionis natura Patrono exhibere tenetur, ita vaſallus ex voluntate ſua, & ſenioris, & natura feudi ad ſervitia obligatur, & ſi in liberto actio præjudicialis admittitur, in vaſallo negari ratio non ſuadet. Attamen hæc actio tunc proponenda, quoties cliens feudalis qualitatis probabilem poſſet ignorantiam probare: Si enim ſciverit ſe eſſe vaſallum, & ſervire recuſaverit, ſenior ſtatim ad feudi privationem agere poteſt, ut infra dicam.

TITULUS VII.

De Probationibus.

§. VIII.

De Præſumptionibus.

PRopoſitis ex utraque parte actionibus, quiſque intentionem ſuam probare tenetur. Equidem in jure longobardico quinque probationum genera, nempe teſtimonium, ſcriptura, juſjurandum, exploratio, & duellum recenſentur, Hotom. *diſput. feud. cap.* 111. His præſumptionem adjungo, a qua exordiri utilius exiſtimavi; cum dubia, atque incerta temere pro certis judicanda non ſint. Præſumtio eſt probabilis conjectura ex ſigno aliquo deſcendens, quæ, alio non adducto, pro veritate habetur. Atque alia eſt juris, alia juris & de jure, alia hominis, de qua diſputare, meum non inte-

interest, vid. Joan. Corasi. *lib. III. de jure civil. in artem redig. c. 8.*, Menoch. *lib. I. de præsumpt. to. 2. q. 13.*, Vallen. *tit. decr. ex. §. 2. & seqq.*

Primum itaque omnis res præsumitur libera, hoc est in naturali sua libertate constituta, ab omni onere, aut conditione immunis, quam media ætas *allodium*, *patrimonium*, *proprium*, *ex comparato*, *ex conquisito* dicebat, *lex Baiovar. tit. XVII. l. 2.* ubi patrimonium, & alode promiscue usurpatur, & a bonis fiscalibus, quæ plerumque erant feudalia, distinguebatur, *Capit. lib. III. 20. audivimus, quod aliqui reddant beneficium nostrum ad alios homines in proprietatem, & in ipso placito dato pretio comparent ipsas res iterum sibi in alodem: quod omnino caventum est: quia qui hoc faciunt, non bene custodiunt, fidem, quam nobis promissam habent.* Bona feudalia ad fidem clientelarem, & militaria servitia possessores obstringebant, sed alode nullius juri obnoxium erat, maximo optimo jure possidebatur, Bignon. ad Marculf. *lib. I. cap. 2.*

Eleganter V. Cl. Franc. Roye *dissert. de Missis Domin. cap. III. quo ad vestigal.* hanc bonorum speciem describit: *Ea sunt bona hereditaria, & libera, seu quæ ad heredes transeunt, & ab omni censu, canone, vel præstatione libera sunt. Olim quidem ea dicebantur allodialia quæ erant hereditaria; & quidem ad differentiam feudorum, quæ cum persona ipsa expirabant: sed cum feuda cœperunt etiam esse hereditaria, ea prædia cœperunt appellari allodia, quæ libera erant, nec ulli censui, aut qualicumque præstationi obnoxia. Sicut vero Imperatores Romani suos patrimoniales fundos vendebant, aut donabant, certo canone imposito, ut observare licet ex titulo Cod. de fund. patrim., & ex tit. de onn. agr. defer., ita & postmodum Christianissimi Reges, quosdam ex suis patrimonialibus fundis dabant, aut in beneficium, seu feudum, aut in censum, aut etiam in allodium, ut passim videre est apud scriptores mediæ ætatis. Sic etiam & Ecclesiæ, & Ecclesiastica bona militibus in allodium dari cœperunt, sed secunda stirpe Regum nostrorum; imo & ipsa monasteria potentioribus laicis dabantur in allodium, ita ut sensim religio in iis periret.* Nam qualitas feudalis rebus populorum consuetudine supervenit, & inserta fuit, quæ, nisi probetur, non præsumenda, quia tam in personis, quam in rebus semper pro libertate respondendum, *l. 8. & 9. C. de servit. l. 9. D. de servit. urb. prad.* Eodem est quædam servitutis species, quæ in dubio non præsumitur *II. f. 26. §. 2.* Alciat. *reg. II. præsum. 1. n. 2.* Menoch. *de præsum. III. 91. n. 1.* Pistor. *lib. II. q. 39. n. 2.*

Hæc juris regula pristinæ libertati subnixa, eam in gradibus re-

sticis,

Digitized by Google

ſticis, & privatorum, quam in Oppidis, Civitatibus, Provinciis, Ducatu, Marchionatu, Baronia, & Comitatu ſe vindicat, & procedit, quia ſummus Princeps non titulo dumtaxat feudali, ſed & donationis, permutationis, aliove, hæc in alterum, illæſo ejus ſupremo jure, transferre ſolet, & poteſt, Roſent. *cap. XII.* 14. *n.* 16. Jac. a S. Georg. §. *de caſtro n.* 16. Sixtin. *de Regal. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 63. Sive poſſeſſor propter hujuſmodi bona, aliquod præſtiterit ſervitium, quod potius, niſi alia ſuadeat ratio, tanquam ſubditus, quam feudalis homo præſtitiſſe cenſetur. Sive quotannis Principi quid avem, videlicet, aut munuſculum, aut canonem ſolverit; & cenſualis non clientelaris exinde præſumitur. Sive hæc bona in feudali territorio, vel juriſdictione illius ſit, qui a ſupremo Principe illud recognoſcit, quia Princeps inveſtituris, & infeudatione, juribus privatorum derogaſſe non videtur, nec ſolet, nec debet. Etenim Princeps illa jura infeudaſſe præſumitur, quæ in eo territorio habebat, non autem naturalem privatorum prædiis libertatem ademiſſe intelligitur. Sive prope aliud feudum bona ſita ſint, aut magna bonorum pars feudalis fuerit, reliqua & minora ejuſdem naturæ non æſtimamus, Menoch. *de præſum.* III. 91. *n.* 10., Intrigl. *cent.* 1. *q.* 43. *n.* 27. *& ſeqq.* Vultej. *lib.* II. *c.* 3. *n.* 12.

Sæpius tamen naturali libertati expreſſa concedentis aut tacita voluntas refragatur, nempe ſi in conceſſione verba *inveſtio*, *inveſtivit* adhibeat, modo aliæ ſuadeant conjecturæ. Nam hæc in media ætate, in qua clientela invaluit, omnibus contractibus accommodari ſolebant, & inveſtitura tanquam vera rerum immobilium allodialium adquiſitio exiſtimabatur, Heinec. *Elem. jur. Germ. lib.* II. *tit.* 1. §. 24. Hodie feudis conjungitur, quod judicis arbitrium putabit, an feudum, an alode fuerit. Si in archivo, ſeu regeſto Principis feudalis res deſcripta ſit, in quo, nihil, niſi inveſtituræ feudorum ſcribi ſoleant, tunc feudalis præſumitur, etiamſi teſtibus aliud conſtiterit, cum cenſus, & monumenta publica potiora teſtibus ſint, *l.* 10. *D. de probat.*, ſicut in finalibus quæſtionibus vetera monumenta, & cenſus auctoritatem ſequi docet Papin. *in l.* II. *fin. regund.* Forner. *ſelect.* III. *c.* 2. Andr. *in* II. *f.* 23. *n.* 15. Intrigl. *cent.* 1. *q.* 43. *n.* 103. Si fidelitatis reſervatio, ſervitii præſtatio, inveſtituræ renovatio, obſequium, & honor exhibitus erit, feudum cenſetur, quia hæc nulli, niſi clientelari prædio conveniunt, Ulric. Piſtor ad Patrem *lib.* II. *q.* 39. *in fin.*, Intrigl. *loc. cit. n.* 41. Alciat. *reg.* II. *præſum.* 3. *n.* 2. quoties vaſallus ſciens præſtiterit, quia ejus error jus feudi in concedente non fundat, ſeu progenerat. Si in diplomate dictum ſit, *concedimus in feudum*, quia *in feudum* oſtendit prædium, aut jus beneficii oneribus ſubjectum,

ctum, P. de Greg. *de conceſ. feud. par.* II. *c.* 2. *n.* 4., II. *f.* 17. Aut, concedimus Mævio *caſtrum*, quum in Regno Neapolitano omnia caſtra præſumantur feudalia, in Regis, & quaternionibus Curiæ deſcripta, & ad Regis collationem pertinent, Andr. in Conſt. *juſtitiandi nomen lib.* I. 44. in Conſt. *poſt mortem lib.* III. 25.

Denique regula ſtatuitur: quoties in inveſtitura verba conceſſionis contractui feudali, non allodii conveniunt, clientela præſumitur, modo dominium dirigens, ſeu directum concedens ſibi reſervavit; quare nimium turpis eſt error Duaren. *c.* 2. *de feud. n.* 8. Weſenbec. *c.* 2. *in fine*, aliorum, qui feudum etiam conſtitui credunt, ſi utrumque dominium in vaſallum tranſeat: quia hac commentione non feudum, ſed innominatus contractus naſcitur, quia feudum eſt uſusfructus, & uſusfructus non reperitur, niſi in re aliena, Vultej. *lib.* I. *c.* 8. *n.* 80. Buddingh *diſſert. de Orig. & nat. contr. feud.* §. 66. Hinc recte Jac. a S. Georg. §. *inveſtivit n.* 10. illam inveſtituram allodialem, non clientelarem interpretatur, *Rex Francorum Principi Tarentino fecit conceſſionem de principatu Achajæ per hæc verba, donamus, damus, & tradimus tibi titulo donationis, & inveſtimus quicquid ad nos ſpectat in principatu Achajæ ratione feudi aperti vel alias transferendo in te directam, & utilem actionem, ita quod non recognoſcas ullum in ſuperiorem, vel Dominum, niſi nos pro dicto principatu* (a).

Præſumitur quoque feudum ex temporis lapſu, quo quis rem alicujus uti feudalem poſſedit II. *f.* 26. §. *ſi quis per triginta*. Conceſſo feudo omnia intelliguntur conceſſa, quæ ſunt illius feudi inſtrumenta, perpetuo feudi utilitati deſtinata, aut mobilia, aut immobilia fuerint, ut machinæ, munitiones, tormenta, & quæ ſunt, Vultej. *lib.* II. *c. ult. n.* 41. Si defunctus rem in feudum tenuit, eodem jure ſucceſſorem habuiſſe cenſemus, quia ſucceſſor jure & titulo, quo anteceſſor poſſidet, utitur, Alciat. *de præſum.* II. *præſum.* 3. *n.* 3. Chriſtin. *to.* VI. *dec. belg.* 85 *n.* 8. Si publica fama in antiquis ſuadet rem illam feudalem eſſe, modo major pars hominum illius loci, in quo feudum ſitum eſt, perhibeat, tempus immemoriale effluxerit, & teſtes omni exceptione majores exiſtimentur, quum vaſalli præjudicialis actio vertatur, Rolent. *cap.* XII.

(a) Non verbum *donare*, ſed vox *feudum*, aliudve rei conceſſæ feudalitatem adnectit, Carolus I. *an.* 1269. *B. fol.* XI. *ind.* XII. *Fogiæ* in privilegio conceſſionis Senebaldo de Valle Cupula factæ, de Caſtris Corropoli, & Staffile in Juſtitiariatu Aprutii, inquit, *donamus, tradimus, & concedimus ex cauſſa donationis in feudum nobile, juxta uſus & conſuetudines Regni noſtri.*

Digitized by Google

*x*11. 14. *n.* 64. Vultej. *loc. cit. n.* 42. Christin. *loc. cit. n.* 28. Aut si in investitura quædam clausulæ, sive verba feudum, quædam donationem, aut emphyteusim indicantes occurrunt, pro rei, & possessoris libertate respondendum, modo investiens tam titulo allodii, quam clientelæ concedere poterat, P. de Greg. *de concess. feud. par.* 11. *q.* 1. *n.* 9. & 10. Intrigl. *cent.* 1. *q.* 43. *n.* 36., quia etsi nemo bona sua jactare præsumatur, tamen sibi imputandum, si claram legem in contractu non dixit, & in obscuris reus vincit, *l.* 39. *D. de Pactis*. Non sapit mihi eorum thesis, quæ, inquit, vasallum, quæ investituram alicujus Castri, & quarumdam rerum habuisse fatetur, requisitum a Domino, eam ostendere nolit, omnia ejus bona feudalia præsumi. Nam ante investituram vasallus, vel patrimonium possidebat, vel possedisse ambigitur; si possidebat, eo invito, vasallitiis oneribus subiici non potest; si possedisse dubitatur, in dubio res allodium potius quam feudum esse præsumitur.

In dubio feudum potius antiquum, quam novum asseritur 11. *f.* 11. §. *si vero Dominus*, 11. *f.* 26. *pr.* quia in dubio magis vasallo favendum, atque æquitati convenit, ut bona in agnatorum familia conserventur, Thom. de Marin. *de Gen. feud. tit.* 11. *n.* 31., Vultej. *lib.* 1. *c.* 8. *n.* 15. Wessenbec. *cap.* 11. *n.* 8. Zasi. *par.* 111. *n.* 7. & 8. At distinguere oportet; si Dominus in beneficii possessione reperiatur, tunc ex ipsa possessione præsumtio nascitur, feudum esse novum, & onus probandi vasallo incumbit: si vero vasallus, vel ejus anteccessor possedit, antiquum præsumitur, & senior probare novum esse debet, quia melior erit causa possidentis *l.* 5. §. 1. *D. de calum.* Vultej. *loc. cit.* Rothius in Pand. feud. *cap.* 111. *q.* 19. Si neuter possidet, etiam antiquum præsumendum 11. *f.* 11. §. *fin.* 11. *f.* 26. *pr.*, quia feudum nova concessione constituitur, nova investitura facilius probatur, quum si senior non probat, præsumtio pro veteri feudo convincit, Scrad. *par.* 11. *c.* 3. *n.* 41. Atque interim pendente principali causa, agnatus in feudi possessionem immittitur *d.* 11. *f.* 26. *pr.*, sed an jusjurandum intervenire debeat? infra dicam.

Omne feudum in dubio præsumitur masculinum, non autem fœmininum 11. *f.* 2. §. *fin.*, quia naturalis qualitas cuilibet rei semper inesse præsumitur *l.* 3. §. 1. *D. de adm. tut.* masculum in feudo succedere est qualitas ex natura feudi resultans, ergo illa semper feudis inhærere intelligitur 1. *f.* 8., 1. *f.* 1. §. 3. 1. *f.* 6. §. 1. quæ primæva, & naturalis qualitas fœminarum admissione contaminatur, quibus successio non competit, nisi speciale pactum invitet 1. *f.* 1. §. 3., 11. *f.* 2. §. 2. 11. *f.* 17. 11. *f.* 50. 11. *f.* 51. §. 3. & pactum, quod ex natura contractus non descendit, inesse ei probandum, Ro-

Rolent. *cap.* 11. 8. Hinc etiam omne feudum ex pacto, & providentia, non hereditarium præſumitur, quia jus longobardicum hereditariam clientelam ignorat, & quiſque in dubio juri communi, quam ab eo recedere, in quolibet contractu accommodare cenſetur, Vultej. *lib.* 1. *c.* 8. *n.* 67. *&* 68. Rothius *loc. cit. cap. IV. q.* 52. Contrariæ opinionis ratio eſt, quia quilibet ſibi, & ſuis heredibus proſpexiſſe intelligitur, 11. *f.* 18. Repono, non ſemper; idcirco Celſus *in l.* 9. *D. de probat.* utitur, voce *plerumque*, *quia PLERUMQUE tam heredibus noſtris*, *quam nobiſmetipſis cavemus*, hoc eſt cum res, de qua conventum eſt, id patiatur. Et in inveſtitura duplex adeſt voluntas concedentis, & adquirentis, utraque in feudum conſenſit, ſed non utraque de eadem qualitate intelligit. Concedens, & adquirens ſuis heredibus æqualiter conſulere vellet; concedens de damno vitando certat, acquirens de commodo conſequendo agit; in concurſu damni, & commodi, potius ei, qui de damno evitando curat, quam qui lucrum conſequi cupit, præſumendum; nam ei, qui apertius legem contractui dicere poterat, imputandum, ſi id non fecerit *l.* 39. *D. de pactis*, Vultej. *lib.* 1. *c.* 8. *n.* 67. Rothius *loc. cit.* Piſtor *lib.* 11. *q.* 1. *n.* 75. Eadem ratio inſtruit, omne feudum proprium, non improprium cenſeri, donec aliud probetur, *arg.* 11. *f.* 2. §. *ult.* Struv. *ſ. j. f. cap. XVI. A.* 13.

§. IX.

De Teſtibus, & brevi teſtato.

USus teſtium frequens, & neceſſarius eſt, non modo in criminalibus cauſis, ſed & pecuniariis litibus, & hi, quibus non interdicitur teſtimonium, a teſtando nec excuſantur, nec arcentur *l.* 1. *D. de Teſtibus.* Et regula eſt; in re feudali, aut de inveſtituræ probatione, aut felonia agatur, teſtes Pares Curiæ, & non rara extranei eſſe debeant, 11. *f.* 2. §. *ſi vero*, 1. *f.* 2. §. *ult.* 1. *f.* 4. 11. *f.* 58. §. 2. *&* 3., 1. *f.* 23., 1. *f.* 26., Gudelin. *de feud. par. VI. c.* 3. *n.* 5., Horom. *diſput. feud. cap.* 43.

Omnis nova inveſtitura ejuſdem Curiæ paribus tanquam teſtibus probatur, qui duo ſatis requiruntur. In ceteris negotiis quiſque teſtis adhiberi poteſt, modo a lege non prohibeatur, ſed in inveſtitura de novo feudo, vel propria, vel impropria tantum pares, non autem extranei, adeſſe debent 11. *f.* 2., 1. *f.* 25., 11. *f.* 33. §. *nec dicatur*, 11. *f.* 51, 58.. Nec feudum ſine paribus conſtituitur, etiamſi mille teſtes extraneos ſenior adjungat, nec convaleſcit, ſi extranei poſtea pares evaderent, Sonbec. *par. IX. n.* 10. Serad. *par. V. cap.*

V. cap. 2. n. 11. quia vasallorum interest consocium non turpis vitæ, non infamem adjungi, quem judicem habere in feudalibus controversiis contigerit. Hodie moribus Europæ cum archiva in quolibet reperiantur dominio, non paribus indigemus, sed investituræ in publicis Archivii describuntur, Rothius *in pand. feud. cap. XII. q. 8.*

Quoniam jure longobardico investitura coram Paribus celebratur, si de ea aut vasallus, aut senior disputat, Pares erunt testes; aut si duo asserti clientes de feudo contendant; atque citandi, & spatio temporis arbitrio judicis comparere tenentur, imo et compelli possunt, ut testimonium perhibeant; nam hæc parium necessitas eorum innititur integritati, quos non odium, amor, suspicio, aut falsitas aliquid in senioris perniciem struere opinamur *11. f. 58.* Sæpius tamen extranei admittunt, ut si feudum est antiquum, de quo vasallum inter, & seniorem causa oritur, *11. f. 32.* si fæminas excipias: nam investituram dumtaxat feudum novum requirit; in antiquo renovatio, & confirmatio exercetur, in qua nulla falsitatis, vel odii suspicio concipi potest, idcirco etiam extranei testantur, Thom. de Marin. *de Gen. feud. tit. 2. n. 24.*, Wesenbec. *cap. VIII. n. 14. & cap. XVII. n. 12.* Cuja. *lib. 11. f. tit. 3. & lib. IV. tit. 35.* Aut si Dominus nullos Curiæ pares haberet *11. f. 33. 11. f. 58.*, aut inhabiles essent, ut pupilli, furiosi, qui auctoritate tutoris, & curatoris testari vetantur, nec eorum nomine tutor, aut curator testimonium dicunt, qui non ut pares, sed ut extranei considerantur. Aut si Dominus unum parem habeat, quia unius testimonium nemo judicum, in quacumque causa admittit *l. 9. §. 1. C. de Testib.*, tunc extraneum avocabit, Sonsbec. *par. IX. n. 18.* Vultej. *lib. 1. cap. VII. n. 28.* Aut si persona Ecclesiastica de bonis Ecclesiæ novam investituram perageret, paribus non indiget, nec ejus controversia Parium responso, sed extraneorum testimonio dicidetur oportet *1. f. 26. in fin. 11. f. 32.* ubi dicam, Rothius *loc. cit. q. 17.* Sonsbec. *loc. cit. n. 19.* secus si de bonis propriis investiat, tunc jure laicorum uti compellitur, Glos. *in 11. f. 2.*, Rosent. *cap. XII. 17. n. 4.*

Admittuntur quoque extranei, si tempore litis Pares decesserint, tunc vasallus aliis testibus investituram Domino probare potest. Aut tempore investituræ erant pares, postea felonia, aut diminutione capitis tales esse desierint, quia capacitas requiritur dum actus geritur, quod deinde acciderit, non consideratur; qua de re investitura valet, de cujus controversiis postea recte testantur, *11. f. 19.* Alver. *ad 11. f. 57. n. 8.* Si inter Dominum, & Pares arctior intercedat amicitia, quæ veritatem supprimit, Curt. *par. 11. mem. 2. n. 29.* Si consuetudine obtinuit, ut in novæ investituræ proba-

tio-

Digitized by Google

tione extranei teſtes etiam ſufficerent, *arg.* 11. *f.* 57. Piſtor *lib.* 11. *q.* 30. *in fin.* Scrad. *par. V. c.* 2. *n.* 11. Curt. *loc. cit. n.* 19. Denique omnis teſtis legitime citatus teſtimonium dicere cogitur, quia intereſt Reipublicæ, ne veritas lateat *l.* 16. & 19. *C. de Teſtibus*, ſive extraneus, ſive par Curiæ fuerit, 1. *f.* 26. ubi dicam. An ſenioris confeſſio inveſtituram ſolemniter actam, ſine paribus probet? negat feudiſta *in* 11. *f.* 32. Vultej. *lib.* 1. *c. VII. n.* 25. Rothius *loc. cit. q.* 10. Hotom. *diſput. feud. c. XXV.* ne quid falſitatis in Domini perniciem excogitetur 11. *f.* 58. Verum ego *d.* 11. *f.* 32. de ſimplici confeſſione, non juramento firmata intelligendum arbitror, prælertim, ſuadente æquitate, omne jusjurandum, niſi animæ noceat, ſervari oporteat, cui jus longobardicum non derogavit, *cap.* 28. *de jurejur.* Montan. *de feud. lib. V. c.* 4.

Non modo Paribus Curiæ, aut extraneis teſtibus inveſtitura nova, aut vetus probatur, ſed & inſtrumento clientelari, quod jus longobardicum *breve teſtatum* appellat 11. *f.* 2. 11. *f.* 32., 1. *f.* 2. 1. *f.* 3., 1. *f.* 4. *pr.* 4. §. *item ſi vaſallus*, & §. *ſi quis*. Publicum hoc inſtrumentum non eſt de feudi ſubſtantia, ſed celebratur, ut quod actum eſt, probari poſſit, cum omnis actus ſive inter vivos, ſive cauſſa mortis contractus ad probationem dumtaxat ſcripturam requirat *l.* 4. *D. de pignor. l.* 4. *D. de fide inſtrum.* In eo enim quantitas feudi, fines, ſervitia, tempus ſerviendi, ordo ſucceſſionis, pacta, & conditiones deſcribuntur, & in feudalibus controverſiis plenam meretur fidem, eique inhærendum, etiamſi omni feudorum generi, & naturæ deroget. Et Dominus illud vaſallo tradere obligatur, & vaſallus Domino ad antapocham, vulgo litteras reverſales, etiam tenetur, Alver. *ad* 11. *f.* 55. §. *illud n.* 6. Weſenbec. *cap. VIII. n.* 31. Vultej. *lib.* 1. *cap. VII. n.* 55. & 56.

Attamen breve teſtatum a ſeniore, & duobus Curiæ paribus in teſtes adhibitis ſubſcribi neceſſe eſt 11. *f.* 2. 11. *f.* 32. ſecus nihil probat. In Italia Prudentes hac de re diſſenſiebant: Obertus, & Gerardus, breve teſtatum non valere, niſi a paribus Curiæ ſubſcriptum; Mediolanenſes etiam ab extraneis confirmatum valere, nec pares deſiderari opinabantur, 11. *f.* 32. Cujacio Mediolanenſium opinio placuit *in* 11. *f.* 3. cum magis contrahentium voluntati conveniat, & Gerardi ſententiam ſubtilitatem redolere, quam raro judices admittunt, putat. Geradi ſententia obtinuit, a qua, etſi Cujacio reclamante, recedere non liceat: nam jus longobardicum pro ſolemnitate requirit, ut Pares ſe ſubſcribant, nec judex, quod lex exigit, immutare poteſt. Hodie, erectis in Europa feudalibus archivis, inſtrumentum inveſtituræ ſimpliciter manu Domini ſubſcriptum, ſatis probat: idcirco Principes peculiaribus plerum

figil-

Digitized by Google

sigillis, ad id destinatis, uti solent, quibus subscriptio locum tenentis Principis & Cancellarii accedit, Vultej. *lib.* 1: *cap. VII. 59. & 60.* Rothius *loc. cit. q.* 16. Scrad. *par. V. c.* 2. *n.* 12. Struv. *s. j. f. cap. VIII. A.* 8. *n.* 3. Si autem senior esset privatus, necessario parium subscriptionem, ut publicam haberet fidem, desiderari censerem, aliter privata scriptura æstimabitur.

In litibus feudorum investitura prius inspicienda, quæ omnem decidendi rationem regit, 1. *f.* 1. 1. *f.* 4. §. 5., 11. *f.* 2. §. 1. 11. *f.* 12. 11. *f.* 1. Sic Frider. I. regalias nonnullis remisit, modo earum investituras probarent, Ligurin. *lib. VIII. v.* 580.

Ut quicumque bona priscorum munera Regum
Hactenus ista fide possederat, idque probare
Legitimis poterat, vel demonstrare tabellis (h. e. investituris)
Principis assensu titulo gavisus eodem,
Nunc quoque possideat.

Si plures de eodem feudo extent investituræ, inter se non convenientes, antiquior sectanda, & prævalebit, & omnis error, mutatio, aut correctio in posterioribus subreptitia præsumitur. Nam renovatio investituræ, non est nova concessio, sed prioris confirmatio, & repetitio; igitur in renovatione non plus continendum, quam in prima investitura expressum fuerit, Christin. *dec. belg. to. VI. 86. n.* 1., Scrad. *par. V. c.* 2. *n.* 33. Struv. *s. j. f. cap.* 1. *A.* 11. *n.* 2. Rothius *loc. cit. cap.* 1. *q.* 23. Sed si causa investituræ verbis & mente definiri nequeat, tum ius feudale illius regionis, in qua lis pendet, recurrendum, quia contrahentes patriæ legibus, & loci moribus adstipulari censentur, nisi aliud suadeat. Si in jure municipali nihil constituatur, a jure longobardo repetendum, Rosent. *cap.* 1. 13., Struv. *loc. cit. A.* 12. 13. *&* 14.

Sed ambigitur, si alia est loci consuetudo, ubi feudum exstat, alia ubi Curia dominans, seu senior commoratur, quænam amplectenda? Gudelin. *de feud. par. VI. c.* 5. *n.* 3. distinguit: aut de iis, quæ ipsum feudum tangunt, nempe alienatione, successione, retractu gentilitio, ceterisque agatur, & loci consuetudo, in quo feudum situm est, servanda: Aut de investitura renovatione, fidelitatis sacramento, laudimiis, similibusve, quæ Curiam dominantem respiciunt, & consuetudo patriæ senioris, seu Curiæ dominantis retinenda. Ratio distinctionis: in iis, quæ rem ipsam tangunt, situs rei prævalet; in iis, quæ ejusdem rei actum, solemnitatem, & accessiones concernunt, situs loci, in quo celebratur, spectetur oportet, *l. 6. D. de evict.* alienatio, successio, retractus gentilitius rem ipsam respiciunt; sed investitura, ejusve renovatio, fidelitatis præstatio, sunt actus, qui in loco feudi sunt celebrandi, nec alibi, nisi consensu Domini

fieri possunt. Si autem Curia dominans in quibusdam casibus, jura, vel consuetudines non habet, loci mores spectantur. In controversiis itaque suæ cujusque Curiæ jura, non ubi vasallus degit, vel oriundus erit, inspicienda, conf. Christin. *loc. cit.* Rosent. *cap.* I. 14. qui prolixe disputat (a).

§. X.

De jurejurando.

DUplex in medio ævo occurrit defensio, jurata, atque armata, utramque jus longobardicum clientelare cognovit. De prima nunc, de secunda deinde agam. *Jusjurandum est actus religiosus, quo ad confirmandam rem dubiam Deus testis, & vindex invocatur;* Nec est jusjurandum, quod aliquam religionem non habeat, etiamsi Dei mentio facta non sit, & quamvis jurans in propria caussa testis esse videatur, tamen viris honestis Dei nomen & felicitatis futuræ amor inesse censetur, perinde haberi, quod juratum est, ac si probatum esset *l.* 11. §. 3. *D. de jurej.*, Otto & Carmichael ad Pufendor. *de Offic. Hom. lib.* I. *c.* XI. §. 1. Duaren. *ad tit. D. de jurej. c.* 1. Duo enim sunt humanæ societatis firmamenta, jusjurandum, & fides.

De jurejurando feudali feudistæ sparsim in his duobus consuetudinus libris agit, nempe *in* 1. *f.* 10. 12. 26. 11. *f.* 25. 26. §. 1. 2. & 3., 11. *f.* 41. & alibi. Verum nulla certior regula in toto jure feudali traditur, quam in 11. *f.* 23. ibi, *Sacramentum non semper dandum esse possidenti: sed quandoque petenti, quandoque neutri datur: Et cum alicui horum datur, ita demum datur, si aliquid pro eo sit, quod judicem moveat ubi nihil est, quod faciat pro aliquo eorum præter possessionem solam, tunc secundum quod judici melius visum fuerit, aut possidenti dabitur Sacramentum: aut actore nihil probante, qui convenitur, etiamsi nihil præstiteris reus, tamen absolvitur, vel obtinet. Et cum datur: aut datur a judice, aut*

(a) Si senior obscure se explicavit, sibi nocet, ut Chronicon Osnaburgen. *Idem etiam Gerardus* (hoc est Episcopus Osnaburgensis) *duos fratres de Oldenburg investivit, & neque in litteris desuper confectis, neque in litteris investituræ Comitum de Waldecke expressit, vel specificavit beneficium, quod in feudum contulit, prout etiam sæpe in aliis vidi, & legi, unde multa bona feudalia per ignorantiam sunt amissa. Istam investituram fecit anno Domini M.CC.III. indictione VII.*

Digitized by Google

aut a parte: ſi a parte, aut ſubeat cum duodecim ſacramentalibus ſecundum inferiorem diſtinctionem, aut referat pars, cui delatum eſt. Si a judice: juret ille, cui delatum eſt, cum duodecim vaſallis, cum ſex parentibus: ceteros ſi vult, habeat extraneos, Dominus vero ſi vult, cum parentibus, aut cum vaſallis ſolis, aut cum parentibus vaſalli, vel cum extraneis mixtis parentibus, vel vaſallis & jurabit vaſallus ſine mentione conſcientiæ. Dominus quoque de ſuo facto ſimiliter: de facto vero patris, vel avi, aut alterius aſcendentis juramento conſcientia præponetur. Quidam tamen dicunt, non quidem conſcientiam eſſe præponendam.

De his nos inſtruit Feudiſta, in re feudali certam de juramenti præſtatione regulam tradi non poſſe, ſed arbitrio judicis relinqui, cuinam deferat; modo ei non deferat, niſi qui pro ſe præſumtionem foveat. Si nulla ſupereſt præſumtio, tunc aut poſſidenti deferat, aut ipſum abſolvat, quum, actore non probante, reus abſolvatur. Et recte: nam ſi clare probatum ab actore, vel reo eſt, & juramento non indigemus: vel nulla intervenit probatio, & regula ſibi vindicat, actore non probante, reus abſolvitur, quin juraret: aut veroſimiliter probatum, & juramentum adhibemus, de quo hic feudiſta loquitur, & jus Romanum ſanxit in *l.* 25. *D. de probat. l.* 2. *C. eo. l.* 31. *D. de jurejur. cap.* 2. *de probat.* Hinc in cauſſis feudalibus, ſi aliquid ſit, quod judicis animum movere poſſit, jusjurandum modo poſſidenti, modo petenti, hoc eſt actori deferre non prohibetur, imo cogitur. Quamvis enim jure civili, ſi actor non probat, reus abſolvatur *l.* 4. *C. de eden.* quia reus negat, & negantis non eſt probatio *l.* 2. *D. de probat.* tamen in judicio feudali non protinus ubi actor nihil probavit, reus abſolvitur, ſed alterutri litigantium jusjurandum deferri ſolet *l. f.* 10. ubi ſtatuitur, ut ſi lis vaſallum inter & ſeniorem de feudi inveſtitura oriatur, pares ſint teſtes, & ob probationis inopiam, clientis poſſeſſoris juramento dirimatur, hoc eſt cum XII. ſacramentalibus juret. Aut ſi Dominus poſſideat, jurare etiam tenetur, ut lis finiatur, ibi dicam. Hotom. *diſput. feud. c.* 43. hanc juris beneficiarii ſpeciem arguit, immerito: cum conjectura, & indicium judici adeſſe poſſit, aut ut certus de veritate ſit, vel inficians omnem a ſe calumniæ ſuſpicionem averteret, & lex longobardica *in libr.* 11. *tit.* 56. *l.* 5. ubi tam actor, quam reus jurare cogitur, Andr. de Barulo *Commen. in LL. Longobar. tit.* 1., Vultej. *lib.* 11. *c.* 3. *n.* 35. Gudelin. *de feud. par. VI. c.* 4. *n.* 2., Carolus de Tocco *ad d. l.* 5.

Hinc colligitur, ſi ſenior poſſidet feudum, & in jus a vaſallo vocatus, qui illius poſſeſſionem ſibi reſtitui contendit; ſi vaſallus

Digitized by Google

Curiæ Paribus, vel brevi testato, aliisve idoneis testibus investituram ostenderit, obtinebit; secus ob possessionis commodum seniori jurare permittitur, & actio vasalli expirat; & vicissim, si vasallus possidet, & senior probare nequit, jurare sufficiat *l. f.* 23., *l. f.* 10. Possessio tamen vasalli anno saltem bona fide, citra dolum, & Domino sciente, & patiente esse debet *l. f.* 26. ibi Alver. *n.* 1. & Andr. *n.* 1. Montan. *de feud. lib. V. c.* 5. Sonsbet. *par. XV. n.* 18. 19. & 20. Si possessio est nova, anno nondum completo, nisi testibus, vel paribus Curiæ probabit, caussa cadat, & Domino jurare petenti sacramentum defertur, quia vasallus nihil juris in feudo habere præsumitur, nisi idonee probet, vel possessione unius anni, sciente Domino. Aliter in Domino invaluit, quia rei suæ semper dominium tenet, quod liberum ab omni servitute, aut onere censetur, nisi servire alius probet. Sed sive vasallus, sive senior fuerit, quem judex jurare jussit; aut jurare, aut juramentum parti deferre, aut omnino cedere compellitur *l.* 34. *D. de jurejur.*

Possessio duplex est vera, & quasi: vera in rebus corporalibus, quasi, in incorporalibus. Si beneficium in Camera, aut Cavena Principis, vel Privati consistat, & controversia inter seniorem, & vasallum contingat, Dominus quem de Camera, vel Cavena investitum negat, vasallus affirmat; si paribus Curiæ, aut brevi testato destitutus; sed tribus annis, seu vicibus proximis præstationem ex Camera obtinuisse probaverit, jurejurando vincet, cum in quasi possessione recipiendi constituatur, & reperiatur; aut ipse cum XII. Sacramentalibus juret, aut Domino illud referat 11. *f.* 2. §. *si vero*; *l.* 3. *C. de Apochis public.* Barcholt. *de feud. cap.* VII. *n.* 53. Sicut enim vera possessio anno, seniore sciente, & patiente prorogata, præsumptionem parit, ut juramento possessoris credatur, ita & possessio rei incorporalis per duos actus, aut tres in perceptione jure feudi consistentes hanc probationis speciem pro vasallo producit, Alver. *ad d.* §. *si vero*, Montan. *loc. cit.*, Ardizo *in sum. c.* 133. §. *ubi vero*. Quid si nec senior, nec vasallus possideant? Glos. *in l. f.* 4. *v. in possessione*, Ardizo *loc. cit.* respondent, reo deferri jusjurandum, non actori, quia reus favorabilior, quam actor est *l.* 125. *D. de R. J.* Attamen peto, quid hoc jusjurandum continere debeat? vasallus seniorem investituram postulando agnoscit; senior feudum ab alio possideri respondit, & vasallus non obloquitur, & potius a tertio possessore senior vindicabit: frustra igitur jusjurandum exigimus, cum ejus occasio deficiat.

Hactenus de vasallo, & seniore possidentibus, nunc ad vasallos, qui inter se de feudi juribus certant. Si duo, plurisve vasalli de eo-

eodem beneficio contendunt, diverſoſque producunt inveſtitores, judex ordinarius, ſive *Poteſtas* illius Univerſitatis, aut Comes cognoſcat, & a duobus illius provinciæ teſtibus veritatem requirat, hoc eſt qui jurare debeant, quis eorum quiete poſſederit, & ille obtinebit, reſervato adverſæ parti jure in petitorio, cui judicis ſententia in poſſeſſorio non nocet 11. *f.* 27. §. *ſi tres*. Imo ſi nemo teſtium deponat, hunc non vi, non clam, non precario poſſediſſe, nihilominus, qui poſſidet, vincit, quia magnum eſt poſſeſſionis commodum, & adverſarium ad onera petitoris compellit *l.* 24. *D. de R. V.* Sonsbec. *par. XV. n.* 40. Aut ſi duo de eodem beneficio contra tertium poſſeſſorem agunt, & quiſque ſuum eſſe dicit, ſi unus legitime probaverit, ſe abſque violentia inveſtitum, obtinebit; ſi tamen convictus de rapina fuerit, feudo cadit, niſi de novo inveſtituram de eodem feudo habuerit, qui iterum de feudo agere poteſt. Poſſeſſor autem probare non cogitur 11. *f.* 27. §. *ſi duo* ibi Alver. & dicam, Sonsbec. *loc. cit. n.* 37.

Sæpe controverſia inter Dominum, & vaſallum, vel Dominum, & extraneum, vel vaſallum, & extraneum de feudo oritur, in qua juramento quoque indigemus. Si agnatus, & Dominus contendunt, agnatus feudum inquit eſſe paternum, Dominus novum affirmat; onus probandi Domino incumbit, & judex, deficiente probatione, arbitrabitur, cuinam jusjurandum deferat 11. *f.* 11. §. *ult.*, cum pro agnatis, aut Domino major æquitatis ratio ſtare poſſit; & neuter in hac ſpecie poſſidebat, Gloſ. *ad d.* §. *ult.* ibi Alver. *n.* 3. Vultej. *lib.* 11. *c.* 3. 37. quia feudum non novum, ſed antiquum præſumitur, & ſi Dominus in probatione deficiat, agnato datur electio, aut jurandi, aut ſeniori jusjurandum deferendi, & Dominus aut juret, aut ſuccumbet 11. *f.* 15. §. *item placet*. Vel ſi contentio eſt inter Dominum, & vaſallum: Dominus, inquit, caſtrum quod ſuus vaſſus poſſidet, ſibi in guardiam conceſſiſſe: vaſſus verum feudum eſſe affirmat; vaſſus, ut obtineat, paribus Curiæ, vel brevi teſtato probare tenetur, cum agat de nova inveſtitura, quæ paribus neceſſario probanda eſt. Si Dominus probare nequit, vaſalli poſſeſſoris juramento res deciditur 1. *f.* 4. §. *item ſi vaſallus*, Sonsbec. *par. XV. n.* 52. Vel ſi ſenior, & filia defuncti vaſalli contendunt, Dominus aſſerit eſſe feudum, filia negat; ſi Dominus non probat, ſacramento filiæ ſtabitur 11. *f.* 41. quum filia in poſſeſſione reperiatur, & res ſua libera præſumitur, ideo potius filiæ, quam Domino jusjurandum deferri oportet. Hinc etiam ſi Dominus, & emptor feudi diſputant, Dominus tenet eſſe feudum, emptor negat; ſi emptor poſſidet, & Dominus probare nequit, emptoris juramento cauſſa ſilet 11. *f.* 41. quia unaquæque res libera cenſetur, donec

ſervire probetur, ſi vero emptor non poſſidet, non indigemus juramento, ſed Dominus contra poſſidentem agere rei vindicatione poteſt.

Eadem libertatis ratio jubet, quod ſi agnatus, & filia concertant: agnatus dicit eſſe feudum, filia allodium, filia mittitur in rei poſſeſſionem, quia bona ſui patris defuncti, in quibus ipſa ſucceſſit, libera præſumuntur. Verum ſi aliqua probatio agnati eſſe poſſet, niſi filia manifeſte oſtenderit ſuum eſſe allodium, tunc potius agnato cum juramento, quam fœminæ credendum, præſertim cum fœmina a feudi ſucceſſione exulet *II. f. 41., II. f. 26. §. 1.*, ſive frater cum ſorore, nepos cum nepte contendat, Sonsbec. *loc. cit. n.* 55. Aut ſi quæſtio eſt inter vaſallum, & emptorem feudi, vaſallus inquit eſſe ſuum feudum, emptor negat: ſi emptor poſſidet, vaſallus probare tenetur, ſi non probat, lis juramento emptoris definitur, quia potior eſt poſſidentis conditio *II. f. 51. §. ſi contentio*. Reliquas ſpecies in prælectionibus exponam.

Feudiſta in ſecunda parte *d. II. f. 33.* modum proponit, quo jurare quiſque tenetur; videlicet cum XII. *ſacramentalibus*, *quos conſacramentales*, *compurgatores*, *conjuratores*, *& juratos* media ætas appellavit, *tit. I. l. 2. Baivvar.*, *& tit. XVI. leg. 6. Lex Friſionum tit. I. §. 2.*, *lib. II. LL. Longobar. tit. 35. l. 4.*, *& tit. 56. I. f. 4. §. 2. I. f. 10. II. f. 34.*, & paſſim, Gudelin. *par. VI. c. 4. n. 3.*, Montan. *lib. v. c. 5.* Ciron. II. *obſer.* 10. Maiſtre *de bonis eccleſ. lib. III. c. 7.* Hunc modum exhibet Lex Alemanica *tit. VI. §. 7. Iſta ſacramenta debent eſſe jurata, ut illi conjuratores manus ſuas ſuper capſam ponant, & ille ſolus cui cauſſa requiritur verba tantum dicat, & ſuper omnium manus manum ſuam ponat ut ſic illi Deus adjuvet, vel illæ reliquiæ ad illas manus, quas comprehenſas habet, ut de illa cauſſa unde interpellatus eſt, culpabilis non ſit.* Nomine manus intelligitur dextera, quæ ſuper evangelia, & martyrum reliquias in jurejurando apponebatur *can. Mennam 7. II. q. 5.* dicam *tit. de V. S.* Feudali itaque jure, aut vaſallus, aut Dominus jurare debent, tres, aut quatuor, aut XII. imo & XXIV. Lex Baivvar. *tit. I. l. 6. §. 2.* vel cognatos, vel amicos producere debet; quem morem etſi Hotom. *diſput. feud. cap. 43. iniquum* nuncupet, recte tamen Gudelin. *loc. cit. n. 3. adhibebantur namque non tam rei iſtius, quam probitatis, & religionis ejus, qui ipſos adhibebat, comprobandæ cauſſa. Quippe differentia erat ſacramenti principalis perſonæ, & ceterorum. Illum de facto ſuo, ſeu de veritate jurare oportebat; hos autem ut & ſucceſſorem, probriore ſententia Juriſconſultorum ejus ſeculi de credulitate ſuaque conſcientia jurare ſatis erat: ideſt illi ſe ſcire: hi ſe credere exiſtimareque ita rem eſſe jurabant*

II. *f.* 33. §. *& cum datur*, II. *f.* 58. §. *cum autem*, Montan. *de feud. lib. v. c.* 5. Hinc non quilibet admittebatur, sed ex XII. quos vassus adhibebat, saltem sex ipsius parentes esse debebant. Dominus & suis parentibus, & vasallis, aut vasallorum consanguineis, cum extraneis simul uti poterat I. *f.* 26. §. *si quis se*, Montan. *lib. v. c.* 5. *in fin.* quia facilius callebant, quam integer, & verax ille esset, qui juraret. (a) Hodie omnis clientelaris probatio juris Romani, canonici & patriæ legibus regitur, sacramentales exoleverunt, sed jusjurandum, & possessionis privilegia retinemus, Rothius *in pand. feud. cap. XXV. q.* 23.

§. XI.

De illegitimis probationibus.

ILlegitimam probationem appello, quæ legis auctoritatem, Magistratus imperium spernit, superstitione movetur, credulitatem colit, & Dei providentiam tendat. Hujus species sunt flamma, ferrum candens, aquæ fervidæ, vel frigidæ, crux, eucharistia, sors, & duellum, de quibus veterum monumenta, Annales, Historiæ, & judicia assidue, exoleta judicandi Romanorum ratione, apud Barbaros in universis Europæ Regionibus commemorant. Simulque jus feudale cognovit II. *f.* 27. §. *si rusticus*, II. *f.* 39. §. *non est*. In re enim criminali sacramentis

les

(a) In omnibus cautis aut allodii, aut feudi, hujusmodi sacramentales interveniebant. Olim apud francos juraturus stipulam manu dextera tenebat eademque cælum versus projecta Deo suam innocentiam probabat. Alemanni, prehenso gladii capulo, jurabant. Postea super sanctorum reliquias, Evangelia, aut altare adhibitis propinquis, vel amicis, seu sacramentalibus jurare invaluit. Hinc in media ætate sæpius formulæ jurare *manu septima, decima, duodecima*, (*trecentesima* apud Anglos) & similibus occurrit, ut passim ex universis Barbarorum in Italia, Germania & alibi dominantium legibus, & judiciis constat, Struvius *Hist. juris cap.* IX. §. 10. Unum exemplum afferam ex Baluzio *to.* VI. *Miscell. p. m.* 438. *data est ergo judicialis sententia a prædictis viris, ut Artmannus ille in octavis Pentecostes eodem anno secuturis Albiam veniens super sancta quatuor evangelia, SEPTIMA juraret MANU, ut pro ejus ecclesiæ adquisitione ipse, aut Abbas, & Monachi Aurelianenses nullam omnino pecuniam promisissent, vel dedissent, aut aliquis pro eis.* Et qui perjurium committebat, manum amittebat.

Digitized by Google

les Gentes, Germani, Angli, Gothi, Wiſigothi, Burgundiones; Friſii, Longobardi, Dani, Alemanni, Ripuarii, Boiwarii, Franci teſtibus, aut hac vulgari purgatione uti ſolebant. Teſtibus, ſi crimen probare poſſent, ſi obſcurum eſſet, ad purgationem confugiebant. Rationem addit Aventinus apud Struvium *Hiſt. jur. cap.* IX. §. 5. *Majores noſtri religioſiſſimi, magis Deo, quam ſibi confidebant, plus divinæ juſtitiæ, ejusque promiſſis, quam ſuo ingenio, aut ſapientiæ innitebantur: potiuſque cæleſtibus decretis, quam ſuis opinionibus ſtabant. Officiis omnibus, atque actis ſupremum numen intereſſe voluerunt: eaque demum rata haberi, cum divinum auſpicium addixiſſet. Cuncta quaſi in theatro ſuperum deſpectantium in conſpectuque Dei Opt. Max. geri ſtatuerunt. Proinde in cauſſis, quæ nullo humano teſtimonio comprobari poterant, ad cæleſtia beneficia, ad ſummam ambiguis maxime criminibus majeſtatem, quæ falli non poteſt, tanquam ad arbitrum honorarium, & judicem omnium confugiebant.* Altera & cauſſa fuit ſuperſtitio, nimia credulitas, & ingenioſa Monachorum impoſitio, vid. Boehm. *tit. Decret. de Sortileg.* Singulas brevi percurram.

Probatio *per flammam* erat, ſi quis litigantium in civili, vel criminali cauſſa, veſtibus, accenſa pyra, per ignem volitantibus, illæſus tranſiret, ſuamque innocentiam probaret. *Ferrum candens*, ſi coram judice, & populo, ignitam ferri laminam ſolemniter a ſacerdote conſecratam manu apprehenderet, quin damnum ſentiret, & judicium *ferri candentis*, vel *vomerum* vocatur. Judicium *aquæ fervidæ*, dum nudam manum in ferventem aquam immittebat, hæc ſi combuſta, nocentem, ſi illæſa, innocentem oſtenderet. *Aquæ frigidæ*, dum dextera manu reus ſiniſtro pedi ligata, & ſiniſtra dextero pedi ligatus in frigidam aquam immittebatur, ſi ſupernataret, innocens, ſi mergeretur, nocens æſtimabatur. *Crux*, ſi pacto conveniret, ut expanſis inſtar Crucis brachiis, certo conſtituto tempore ſtaret, donec vel Evangelium, vel Dominica oratio recitaretur. Innocentem immotum ſtare, nocentem cadere credebant. *Euchariſtia*, dum reus Euchariſtiam ſumeret, his verbis, *Corpus Domini ſit mihi hodie in probationem*. Superſtitio erat, ut ſi nocens eſſet, Euchariſtia ſibi noceret, ſi innocens, prodeſſet. *Sortes*, quibus creditum eſt, divina cognoſci poſſe, vel ſcripturarum inſpectione futura promitti, unde ſortes Sanctorum, Virgilianæ, & Homericæ, quæ maximam Gentilium Theologiam Hebræis, Chriſtianis, & Barbaris notam conſtituebant. Explicat Hotoman. *diſput. feud. cap.* 44. Boehmer. *tit. Decr. de ſortileg.* Bingham *O. E. lib.* XVI. *c.* 5. §. 3. Et Struvius *Hiſt. jur. cap.* IX. §. 12. ibi *judicium Crucis apud Francos Saxones, Longobardos, Friſiones potiſſimum vigebat.*

Digitized by Google

gebat. Hoc tale erat: reus postquam duodecima manu a crimine objecto se liberaverat, Sacramento, ad Ecclesiam, vel ad reliquias sanctorum deducebatur; præcisisque de virga particulis duabus paribus, quas talos, & tenos vocabant, unam Crucis caractere notabant, alteram puram relinquebant. Lana munda, ne internosci possent, sortes istas seorsim obvolvebant, & in Ecclesia altari super reliquias imponebant. Exorato tunc supplicitèr Deo, ut signo evidenti ostendat, utrum accusatus vere juraverit, nec ne. Presbyter si aderat, vel puer quispiam innocens, sortium unam tollebat, quæ, si cruce insignita, insons pronunciebatur reus, secus pro nocente habebatur.

Duellum, sive monomachia genus purgationis omnibus commune, quo quisque innocentiam suam in judicio præsertim criminali impetitam tuebatur. Nam Barbarorum politia omne jus, & æquum in armis collocabat: in dirimendis litibus, sive publicis, sive privatis, nec ratio, nec probatio, sed ensis arbitrer erat, Alb. Krantz. *lib.* 11. *Daniæ c.* 4. Ciron. *in parat. Decret. de cler. in duello pugn.* Alteser. *rer. Aquit. lib.* 111. *c.* 18. Olaus Magnus *de Gentibus septentrion. lib. IV. c.* 2, inquit: *Existimabant Gotborum pugiles nullum certaminis genus efficacius esse ad capessendam fortitudinis palmam, quam duellum: propria enim virtute subnixum, alienæ manus opem excludebat. Jamque receptum erat ab omnibus ordinibus, ut pro victo haberetur, quicumque eam pugnæ sortem retusabat: ut Regibus, & Principibus sempiterno opprobrio daretur, si illud (quamvis ab infimæ sortis hominibus provocati.) abnuissent. Veterum enim claritudo Principum ex armis potius, quam ex opibus existimabatur, ... Tantusque erat illis ardor duello congrediendi, quanta solet esse voluptas effeminatis proceribus ad lauta convivia invitari. Quippe tunc convivalibus gaudiis alacrius indulserunt, cum convivium duello absolvendum erat.* Exempla dabit Krantz. *lib. v. Sveciæ cap. 3. & lib. 1. c. 13., lib. 1. Saxon. cap. 4. & 11.* Hotom. *loc. cit. cap.* 45. Ant. Matth. *Analector. to. II. pag. m.* 560.

Neque hæc innocentiæ, & veritatis exploratio laicis tantum permittebatur, sed & clericis, monachis, mulieribus, infirmis, senibus, qui tamen omnes per *Campionem* in arenam descendebant, *lib. II. & L. Long. tit.* 56. *l.* 38. *& 39.* & passim. Campio est qui duello contendit, a campo, qui duellum, & locum duelli ostendit. Mercede conducebatur, erat inter infames recensitus, sponte se aliis, pacta mercede, dabat, & ante duellum jurabat, se pro veritate pugnaturum, & si succumberet, vel novissimum supplicium, vel membri debilitatio pro criminis, qualitate imminebat, conf. Dufresne *v. Campio*. Nec promiscue campio constitui solebat, sed

si casus, de quo ageretur, amissionem vitæ, vel membri mutilationem non inferret. Nec propria auctoritate, sed judicis mandato, fiebat, qui cognosceret, an pugnæ locus esset. Quod apud Principes Longobardos præsertim in Regni Neapolitani provinciis obtinuit, qui inspiceret, an pugnatores maleficas herbas in vestibus absconditas adhiberent, an caussa pugnam admitteret. Inquit judicium, quod Peregrin. *in Hist. Princip. Long.* refert an. 1171. sub Willelmo II. de aquæ decursu inter Cives Svessæ, & Teanenses. *Nos vero præfati judices, ex præcepto Domini Comitis cum Joanne Caccavicarro et.... Joanne Bello Riccardo Citri Regio Comestabulo, Atenolfo de Patricio, Petro fratre Pandulfo de Marezano, Asvitino Riccardo Natario, in partem ivimus; et habito Consilio, reversi judicavimus pugnam in hoc casu locum non habere, tum quia inter Longobardos erat quæstio, tum quia de his, quæ non viderant Teanenses pugnare non debebant.* Modum monomachiæ exponit Heinec. *loc. cit.* §. 244.

In Regno ab adventu Longobardico eadem inrebuit consuetudo, Hugo Falcand. *in Hist. Sic. Cum ergo plerique civium accusarentur quod palatium cum proditoribus ingressi, multam inde pecuniam abstraxissent, idque juxta Curiæ consuetudinem accusatores monomachiæ se probaturos asserrent, eorum probationes tam promte, quam libenter admisit.* Primus omnium Frider. II. abrogavit in Const. *monomachiam lib.* II. 34. Const. *in caussa lib.* II. 35. sicut & ferrum candens, & aquam fervidam, seu *judicium undæ*, Const. *leges lib.* II. 31. & in Const. *prosequentes lib.* II. 32. generaliter omnes privatorum pugnas subtulit, & canones, & Patrum dicta, præsertim Agobardi imitari voluit. Agobardus enim *an.* 813. floruit, & *adversus legem Gundobadi* opus conscripsit, quæ duo æquitati adversa continebat, ut nemo testis esse posset contra eum, qui lege Gundobada vivebat, si ipse alteri legi pareret; & ut lites non judiciis, sed singulari certamine dirimerentur. Et Abbas Vindocin. *lib.* III. *ep.* 39. ibi Sirmundus, Nicolaus *in can.* 22. II. *q.* 5., Trident. *sess. XXV. de ref. cap.* 19. ubi excommunicationem & feudi privationem imponit, si qui monomachiam commisit, feudum habeat, & domino directo cedat. Recte Theodoricus Rex, universis Barbaris, & Romanis per Pannoniam constitutis scribens apud Cassiod. *lib.* III. *var. ep.* 24. sanxit, *cur ad monomachiam recurritis, qui venalem judicem non habetis? deponite ferrum, qui non habetis inimicum ... quid opus est homini lingua, si caussam manus agat armata? aut unde pax esse creditur, si sub civilitate pugnetur? imitemini certe Gothos nostros, qui foris prælia, intus norunt exercere modestiam.*

TI-

Digitized by Google

TITULUS VIII.

De sententia, & re judicata.

§. XII.

Officium judicis, executio, & appellatio.

PRobationibus, conjecturis, atque instrumentis ex utraque parte productis, & reliquis deinde defensionibus renunciatis, officium judicis succedit, qui sicut antea quid probandum solus decrevit, & quæ probata non relevant, & quæ improbata jure, non admisit *l.* 21. *C. de probat.* ita perpensa totius causæ qualitate, cum consilio Parium, vel assessorum, si quos habet, secus cum virorum prudentium, juris longobardici, & municipalis peritorum voto, definitivam proferre debeat sententiam, cujus formam a jure civili, & patrio petere potest, cum jure feudali nihil sancitum reperiatur, Montan. *de feud. lib. V. c. 6.* Christin. *decis. Belgiæ to. VI. dec. 90. n.* 1. Blancus *lib. IV. de feud. c.* 1. *n.* 135.

Lata a Paribus Curiæ, vel Domino sententia, sæpe vasallus conqueritur, forsitan amore, odio, pecunia, aut errore deceptis, quibus appellationis remedio occurrit *l.* 1. *D. de appell.* Et quidem si sententiam de subfeudo tulerunt, subvasallus ab inferiori feudali judice, ad Dominum, & Curiam proxime superiorem appellare debet, & gradatim, donec ad supremum judicem perveniat, 1. *f.* 22. *in. fin.* Alver. *in* 1. *f.* 18. *n.* 3. Hanneton. *lib. IV. c.* 5. Wesenbec. *cap. XVII. n.* 15., Struv. *f. j. f. cap. XVI.* 9. sive subvasallus clericus, sive secularis fuerit. Si vero quis ex suo allodio feudum mavio constituit, in eum statim jurisdictionem adquirit, lata contra eum sententia, cum non sit alius superior feudi Dominus, ad ordinarium judicem appellabit, Vultej. *lib.* 11. *c.* 3. *n.* 4. non tamen a Parium sententia ad Dominum feudi appellare potest, quia quodammodo idem tribunal esse videtur, nec a suo Vicario, quem in causis feudalibus judicem constituit. Nam ordo appellationis est a judice feudali inferiore ad judicem feudalem superiorem, si hic non exstat, ad illum, qui in causis civilibus judicat.

In sententiis regalium feudorum, hoc est, quæ ab Imperatore immediate recognoscuntur, statuitur *in* 1. *f.* 22. §. *ult. Sancimus, ut nemo miles adimatur de possessione sui beneficii, nisi convicta culpa: quæ sit laudanda per judicium Parium suorum, sicut supra diximus* (1. f. 22.) *si autem dixerit miles, quod sui pares iniqua ju-*

dicassent, miles in possessione maneat per sex hebdomadas: & ad nostram veniat præsentiam, cum illis, qui laudamentum, atque judicium fecerint, et ante nos definiemus. Si enim vasallus, hoc est Baro, Dux, Comes, Marchio, judicio Pariam possessione feudi privatur, deinde appellat, maneat interim in possessione, ipsamque adeat Imperatoris aulam simul cum illis, qui laudamentum, hoc est sententiam, & judicium fecerint, ut Imperator ejus æquitatem, justitiam, aut injustitiam cognoscat, & aut confirmet sententiam aut reprobet. Tempus, quo in possessione manere potest, sunt sex hebdomadæ, intra quas ad Imperetorem accedere tenetur; non ut appellationem interponat, aut instantiæ finem prosequatur, sed causam in Principis consistorio introducat, & itinere interim non arrepto, deserta intelligitur appellatio, & sententia executioni demandatur, si tantum temporis elabi passus sit. Nam tempus interponendæ, & prosequendæ appellationis juri civili, aut municipali initur, quum jus feudali nullum præscripserit; Gudelin. *de feudi par. VI. c. ult. n.* 5. Christin. *to. VI. dec. Belg.* 92. *n.* 7. Montan. *lib. v. c.* 6. Rothius *loc. cit. cap. XXV. q.* 28. *&* 29.

Si vasallus judicio Patium, vel senioris, vel judicis ordinarii, aut Imperatoris adquiescat, nec appellaverit, sententiam exequi oportet, etsi Pares fuerint, quia inane esset sententiam proferre, & executioni postea demandare non posse. Nam, concessa jurisdictione, omnia continentur, sine quibus jurisdictio explicari non potest *l.* 2. *D. de jurisdict.* & executio est finis, & effectus judiciorum, quem si litigans non assequitur, sententiarum auctoritas vilescet. Hinc feudista *in* 11. *f.* 22. inquit, quod si vasallus de felonia suspectus a Domino ter vocatus, non venerit, feudum amittat, & Dominus feudi possessionem recuperat. En sententiæ executio, Blancus *lib. IV. c.* 1. *n.* 155. Nihilominus restitutionis beneficium adversus lapsus fatalium interponendæ, introducendæ, & prosequendæ appellationis, aliasve causas a Prætore feudali cognoscendas denegari æquitas non persuadet.

§. XIII.

De effectibus sententiæ.

Jure Romano regula est; *res inter alios judicata aliis non præjudicat*, hoc est nec nocet, nec prodest *l.* 63. *D. de rejudic.* ubi Macer exceptiones recenset, *l.* 16. *D. de excep.*, *l.* 1. *&* 2. *C. quibus res jud.* Jure tamen feudali sæpius sententia contra vasallum lata, senieri, aut agnatis nocet; Feudista in 11. *f.* 43. *si controversia*

Digitized by Google

sit inter vasallum, & alium de beneficio fuerit, adversario proprietatem totius vel partem, vel aliud aliquod jus sibi vindicante: causa per vasallum etiam Domino absente, quasi propria ad finem producatur: Ipse enim solus utiliter agendi, & excipiendi habet potestatem. Et si pro eo, aut contra eum judicatum fuerit, vel cum adversario transegerit; dummodo fraudulenter actum non sit, etiamsi post beneficium Domino aperiatur, tale erit, ac si eo causam agente judicatum fuisset: & ideo ab eo ratum haberi oportet, & 11. f. 26. §. si vasallus 24.

Vasallus enim jure in judicio comparere potest, ut agat, & se, suamque clientelam tueatur, propter utile dominium a seniore acceptum, quo actiones, atque exceptiones, etiam Domino absente, atque ignorante proponet, & sententia vel judicio parium, vel voto judicis ordinarii, aut arbitri lata, & vasallo, & seniori damnum irrogat, modo dolus malus abfuerit. Damnum quod senior ferre potest, non dominium ejus directum tangit, sed jura vasallagii minuit, immutat, aut aufert, Alver. *ad d. 43. n. 1.* finge: Mævius, & Cajus de feudo litigant; Mævius contra Cajum possessorem agit, feudumque petit, quod a Sejo recognoscit; Cajus excipit, non Mævium, sed se a Sejo recognoscere; si possessor vincat, tunc sive sciens, sive ignorans, sive præsens, sive absens fuerit, semper sententia rata manet, & pro veritate habetur, conf. Rosent. *cap. IX. 1. 23.* Andr. *in 11. f. 26. §. si vasallus.* Verum si controversia directum dominium seniorie tollit, nisi seniori scienti non præjudicat *l. 63. D. de re jud.*

Sententia quoque contra vasallum lata agnatis præjudicat, sed an scientia eorum requiritur? Dissentio est: Andr. *loc. cit.* affirmat Rosentalius *cap. IX. 1. 27. n. 7.* Jac. a S. Georg. §. *& dicti vasalli n. 33.* & Struv. *s. jcf. cap. XII. 8.* & rectius negant. Nam si scientia opus esset, magna litigandi copia daretur, & victor sua victoria nunquam frui posset; quum nondum nati, minores, & pupilli contra victorem in judicio comparerent. Et si vasallus jure suo in agendis feudi controversis usus est, tantum agnatos, qui tunc reperiebantur, primaque successionis causa iis erat, denunciare debet. Non placet istorum ratio, quam ex *l. 44. D. de re judic.* petunt, ubi sententia sine dolo malo contra institutum heredem lata, substituto etiam nocet, quia substitutus causam ab instituto cognoscit, & habet; sed agnati non a vasallo, sed a primo acquirente jus suum repetunt. Vera itaque ratio est, ne lites augerentur, & ne vasalli usus impediatur, sicut de re fideicommissa in familia subjecta probat Covar. *pract. qq. XIII. n. 6.* Et quam factum

va-

Digitized by Google

vaſalli agnatis obeſſe non debet, hic tamen non tam vaſalli, quam judicis factum inſpicitur; hinc ſi vaſallus de feudo tranſigit, agnatis non nocet, quia tranſactio voluntarie initur, ſed judicis ſententia in invitum fertur, Struv. *lac. cit.*

Sæpius lata ſententia agnatos non ladit, ſi juris ordo, & vera defenſio non fuerit ſervata, nempe ſi dolo malo vaſallus cauſſam deſeruit, colluſerit, ſi ab iniqua ſententia non appellavit, ſi contumaciam contraxit, qua judex, eo inaudito, ſententiam pronunciavit; ſi agnati tunc exiſtentes feudum defendere vellent, & ipſe obſtitit, Capyc. *in inveſt. & feudorum lites*. Vel ſi vaſallus adverſario juſjurandum detulerit, & jurare permiſerit contra veritatem teſtium, inſtrumentorum, aliarumque probationum, quas victoriam in judicio ſibi parare poterant; aut dolo malo confeſſus fuerit. Hæc, ſicut & ſententia interlocutoria, media, & finis controverſiæ ſine juris ordine, & dolo malo propoſita, nec ſeniori, nec agnatis præjudicant, Roſent. *cap. IX. n. 26.* Et infra dicam.

TITULUS IX.

De judiciis feudalibus Regni Neapolitani.

§. XIII.

De juriſdictione feudali, & ordine.

DUm clientelaribus Longobardicæ gentis legibus Regnum vivebat, paribus Curiæ, aut Domini juriſdictione apud nos feudorum controverſias diremtas nemo ambigere poteſt. Eadem juriſdicendi ratio manſit, dum expulſo longobardorum imperio, Nortmanica Natio ſucceſſit, quæ ante Monarchiam, territoria, caſtra, & jura militibus, aut nobilibus infeudabat, quorum lites de feudis motas, ipſa & cognoſcebat, hoc eſt uniuſquiſque Dominus ſimul cum ſuæ Curiæ paribus, ſi haberet, aut cum aliis teſtibus judicare poterat, quemadmodum tunc feudales longobardorum conſuetudines in Regno vigentes diſponerent, quas cum Nortmanis moribus mixtas fuiſſe non dubitavi.

His moribus innixus Imp. Federicus in Conſt. *ut univerſis lib.* 1. 47. Sanxit Comites, vel Barones civiliter aut criminaliter accuſatos, *non niſi per Comites, & Barones, & eos, qui a nobis tantum feuda in capite tenent, non qui Comitibus, & Baronibus aliis teneantur, definitivas interlocutorias ſententias, etiam quæ princi-*

Digitized by Google

ejusdi negotio præjudicium possint afferre, recipiant cum proborum virorum judicio, & aliorum nobilium consilio proferendas, & per eosdem Comites, & Barones; interdum etiam de commissione ipsorum per Curiæ nostræ judices decidendas, & quamquam Comites aliquando examinationi totius negotii non interfint: auditam tamen causam, & plene discussam justitiarii & judices nobilibus, qui sententiam debebunt ferre, seriatim enuncient, ut sicut antedicti Comites, & Barones secundum constitutiones sacras nostras, aut in defectu earum secundum consuetudines regni approbatas, & demum secundum jura, quibus Constitutiones prædecessorum nostrorum, & nostræ non obviant, ac denique recepto responso calsitudinis nostræ si causæ dubietas hoc requirat, causam secundum Deum, & justitiam sententialiter terminare procurent.

A quorum sententiis si contigerit ad audientiam superiorum judicum, vel nostri culminis provocari, appellationis judex ordinarius, vel delegatus a nobis, qui Comes similiter sit, aut Baro: de aliorum Comitum, & Baronum, ac judicum, & proborum virorum consilio, appellationis causas honori nostro, & justitiæ deferentes, confirmando, vel infirmando priorem sententiam decidere procurent. Quod non solum in judiciis cognitionum nostrorum, sed in aliis etiam generaliter, sive delegationis jure, sive ordinarie cognoscatur, inviolabiliter volumus obtineri.

Et ut omnis omnino ab antedictis judiciis [illegible] dubietas, Comites, & Barones, & similes, qui vel in magna Curia nostra, vel alibi debebunt de cetero interesse sententiis, corporalia volumus sacramenta præstare, quod de puræ conscientiæ gremio nulli favori, vel gratiæ deferentes, juxta sacratissimas prædecessorum nostrorum Regum Siciliæ, & nostri nominis sanctiones, ac deinde secundum regni nostri obtentas consuetudines, & jura & postremo de conscientiæ nostræ consilio, sententias formare curabunt sententiæ tamen, quæ ante tempora præsentis legis, citra prædictam formam contra Comites, & Barones, & similes latæ sunt, in sua robore perseverent.

Comes itaque, aut Baro civiliter, vel criminaliter de feudo, rebusque feudalibus conventus coram Curiæ Regis paribus, hoc est convasallis judicari debet, non coram M. justitiario, aut provinciæ justitiario, modo consilium proborum virorum adhibeant. Si vero Comites, & Barones nolunt judicare, causam justitiariis committere possunt; aut si in negotii discussione non interfuerunt, judices totius causæ rationes his referre coguntur, qui secundum regni constitutiones, deinde consuetudines, quas longobardicas quidem intelligit, denique secundum jus commune definiant, & si

adhuc-

Digitized by Google

adhuc ambigitur, Regis oraculum expectari oportet. Reus a sententia Comitum appellare potest, & tunc aut ad judicem superiorem, aut Regem, qui delegatum constituit, qui etiam Comes esse debet, causamque aut confirmet, aut rescindat. Atque, ut omnis dolus abesset, Comites, antequam judicent, jurare se secundum jus, & æquitatem sententiam prolaturos tenentur. Hanc Friderici legem extendit Carolus II. *in Cap. item statuimus quod si Comites, Barones, & feuda tenentes in Regia Curia personaliter, seu realiter litigabunt, vel conveniant, & accusent alios, sive conveniantur, aut accusentur ab aliis, per compares absolvi debeant, aut etiam condemnari, & ipsorum causæ quolescumque fuerint, prout melius, & citius potuerunt, terminentur.* Ex quo Comes, aut Baro sive accusent alios etsi non Barones, sive accusentur, civiliter, aut criminaliter: sive agant actione personali, aut reali, sive conveniantur, a Paribus Curiæ judicandi sunt, Lucas de Penna *ad d. Cap.* ubi suo ævo exemplum refert, Afflict. ad *d. Const. ut universis n. 9.* Capyc. *in investit. §. feudorum judicia.* Neq; refert, an reus vel actor clericus fuerit, an secularis, ex Cap. Caroli II. *statuimus quod clerici ad seculavia judicia non trahantur nisi pro bonis feudalibus secundum conventionem habitam inter Romanam ecclesiam, & Dominum patrem nostrum.* Sicut Carolum inter & Clementem IV. convenit, dum Regni investituram accepit, Napodan. *hic.*

Constitutio Friderici, & Caroli II. Capitulum generaliter sanxerunt, Barones quavis actione conventos coram Paribus Curiæ litigare debere, nec distinxit, an causa fuerit feudalis, an allodii, Afflictus *in d. Const. n. 9.* ad feudales quoque porrexit, merito, quia res personæ conditioni, non vicissim accedit *l. 44. D. de ædil. edicto,* Et de causis feudorum jure Constitutionum, Capitulorum, & rituum ad Aragonenses usque Magnus justitiarius, vel justitiarius provinciæ cognoscebant, sed cum Parium voto, Frider. in Const. *statuimus ut magnæ Curiæ nostræ Magister justitiarius nobiscum in Curia commoretur. Cui quatuor judices volumus assidere, ut magister justitiarius Curiæ nostræ supradictus de crimine læsæ majestatis nostræ; & de feudis quaternatis, & de quota parte ipsorum feudorum.* Et in Const. *magnæ Curiæ lib. 1. 40. no.* ubi quæ jurisdictionis M. justitiarii enarrat, inquit, *de comitatibus videlicet, Baroniis, Civitatibus, castris, & magnis feudis, qui in quaternionibus dohanæ nostræ Baronum inveniuntur in scriptis.* Et Const. *justitiarii nomen lib. 1. 44. in fin.* in qua justitiariæ provinciæ potestatem exponit, *de feudis etiam & rebus feudalibus ipsi cognoscant: præter quæstiones de castris, & baroniis, & magnis feudis, quæ in quaternionibus dohanæ nostræ scripta sunt, quæ omnia singulariter cognitioni*

noſtræ Curiæ reſervamus. Conſt. *præſides lib.* 1. 56. *n.* Cap. *injunxit* R. Roberti, & Joanna II. *in Ritu* 50. (*a*).

Feuda quaternata, nempe Comitatus, & Baronia ad magnæ Curiæ jam a Gulielmo I. Panormi inſtitutæ magiſtri juſtitiarii juriſdictionem pertinebat, ſive de toto feudo, ſive ejus quota ageretur, de feudis non quaternatis juſtitiarius provinciæ judicabat, ut ſunt feuda plana, & de tabula, & ruſtica quæ a Barone conferuntur, ſive inter duos vaſallos, ſive inter vaſallum, & Baronem adverſaretur. Qua de re apud nos Conſtitutio Friderici I. *in* 11. *f.* 55. §. *preterea inter duos*, & decretalis Alexandri III. *in cap.* 5. *de judic.* & in *cap.* 7. *de for. comp.* exoleverunt, quibus ſeniori in ſuos vaſallos, aut ſubvaſallos juriſdictio conceditur, Afflict. *ad d. Conſt. juſtitiarii nomen n.* 29. Andr. in Conſt. *ſi vaſallus a Domino lib.* 111. 19. Frecc. *de ſubfeud. lib.* 11. *auct.* VII. *n.* 2. *quando Rex ipſe concedit Comitatum vel Baroniam cum feudis, & ſubfeudis etiam quaternatis non intelligitur conceſſiſſe facultatem cognoſcendi de ipſis feudis, quando inter ſuos ſubfeudatarios lis oriatur; niſi ſpecialiter ipſe in privilegio exprimat, quia lex Regni excipit hanc conceſſionem, intelligitur ipſe conceſſiſſe ſecundum legem Regni.* Poſtea ipſemet Freccia *loc. cit. n.* 2. excipit: *Senior Princeps Salerni habebat facultatem infeudandi plana feuda, & de tabula, nobilia, militaria, ac etiam quaternata, cum juriſdictione etiam cognoſcendi, & determinandi inter ipſos infeudatos, quoties quæſtio feudi inter ipſos tractabatur. In archivo Regum hoc perraro [illegible] ex hoc dignoſcitur Baronem in Regno non cognoſcere de feudis, quamvis ipſe habeat facultatem conferendi.* Capyc. *in inveſtit.* §. *feudorum judi-*

(a) Præclarum cauſſæ feudalis exemplum exhibet Regeſtum Friderici 11. *fol.* 18. *anni* 1239. quæ in Longobardiæ partibus contigit, & Juſtitiario committitur, ut plane inſtructam ad R. Curiam mitteret. Hic non referam, ſed in *Codice legum feud. hujus Regni & Siciliæ* brevi lucem inſpecturo. Duobus itaque Magiſtratibus ſub Nortmannis, Suevis, Andegavenſibus ad Aragonenſes cognitio de Cauſſis feudalibus, nempe Magiſtro Juſtitiario, & Juſtitiario Provinciæ competiit, quibus Parium vota acceſſiſſe videntur. Ceteris judicibus inferioris ſubſellii negata eſt, Conſt. *locorum Bajuli* ubi Willelmus I. inquit, *Locorum Bajuli, qui a Magiſtris Camerarii, & Curia noſtra quandoque in credentiam, vel in extalium Bajulationem recipiunt, civiles cauſſas omnes reales videlicet, & perſonales quæ ſuper feudis, & rebus feudalibus moventur, ad juriſdictionem ſuam minime noverint pertinere.*

cia v. sed si esset feudum, Montan. *de Regalib. in prælud. n.* 54. & 55.

Sub Aragonensi autem dominio aliter se res habuit: Nam Alphonsus I. cum assiduis subditorum querelis, precibus, & supplici libello fatigaretur, tribunal constituit, a quo tanquam a Præfecti Prætorio sententia reclamare, non vero appellare permitteretur, & *Sacrum Consilium* nuncupamus, cujus caput seipsum declaravit. Hoc tribunal de feudis, Comitatu, Ducatu, Marchionatu, aliisque quaternatis cognoscere sanxit, *pragm.* III. §. 2. *de Off. S. R. C.*, quod nomine regio sententias profert, & Curiæ parium vicem occupat, ordinaria gaudet jurisdictione, omnes a Regni Curiis appellationes excipit, de rebus domanialibus, reditibus, patrimonio Coronæ Regis cognoscit, Montan. *loc. cit.* Roman. Columna *de præstant. S. R. C. cap.* 1. 24. *n.* 8. & quamvis M. Curia Vic. hodie præambuli decretum in rebus feudalibus interponat, non tamen de caussa feudali cognoscit, sed summario feudi possessorio utitur, nec citationem, nec rationes expendit; an successio & competat, qui proximiorem successionis gradum detinent. Si autem interesse fisci adest, R. C. Summariæ judex erit ordinarius, modo fiscus fuerit reus, aut actor: nam si aliquod dumtaxat ejus interesse reperitur, nempe futura successio, adoha, relevium aliudve, tunc Sacrum Consilium etiam judicabit, *pragm. LXII. de Off. Proc. Cæs.* Bilocta *cons. feud.* 21. *n.* 3. & 4. Petra *ad d. Ritum* 50. *n.* 5. Caussa, in qua fiscus actor vel reus esse potest, regalia, jurisdictio, merum, mixtumque imperium, investitura, hominium, mortis Baronis denunciatio, aliæque recensentur, ut jure longobardico de his Pares Curiæ cognoscunt, Scrad. *par. X. sect.* 5. *n.* 10. & *seqq.* (a).

Quoniam hujus Tribunalis jurisdictio caussas feudales cognoscit, inspiciendum, quænam controversia feudalis dicatur? Jure Regni est successio, investitura, assecuratio, hominium, relevium, adoha, vita & militia, dos de paragio, servitia; quæque non legibus allodii, sed clientelaribus reguntur. Successio, nempe quis proximior, quis in investitura comprehensus, quis idoneus, an mas, an fœmina fuerit: Investitura, quæ pacta, & conditiones contineat: assecuratio, quandonam a vasallis petenda, an Regis venia requiratur: hominium, seu ligium homagium, statuto tempore, & loco præstandum. Relevium, quod investituræ renovationis vicem su-

(a) Hodie itaque caussas criminales Baronum Magna Curia, civiles vel M. Curia, vel Sacrum Consilium cognoscit. Si fisci damnum, vel lucrum concurrat, R. Camera judicat, Tapia *ad d. Const. ut universis.*

Digitized by Google

ſuſtinet, quandonam ſolvendum, ejus quantitas, an onera deducantur. Adoha, quæ omnino eſt feudale ſervitium, ejus quantitas, perſonæ, quæ ſolvere debent. Vita, & militia; ſed diſtinguere opus eſt; ſi quæſtio feudalem tangit qualitatem, ad R. Cameram Summariæ remittitur, quæ rerum feudalium Codicem conſervat *pragm. LXVI. Comitis* de Miranda *an.* 1594. *de Offic. Procur. Cæſar.* §. 6. ut ſi ſecundonatus petit vitam, & militiam ſuper re, quam feudalem eſſe aſſerit: poſtquam R. Summariæ Camera declaravit, rem eſſe feudalem, ſacrum poſtea Conſilium judicabit. Aut quæſtio nullam feudi qualitatem continet, ut ſi primonatum cogi petatur, Capan. *de vita, & milit. q.* 33. *n.* 2. Dos de paragio, quia eſt quoddam feudi tributum agitur condictione ex lege, & proinde actione perſonali occaſione feudi orta, an quis feudum poſſideat, an ſolvere teneatur P. de Greg. *de dote de parag. q.* 27.

Ordo agendi in cauſſis feudalibus eſt, oblato libello, litem conteſtari, totumque judiciarium ordinem ſervari, ſicut quælibet ordinaria cauſſa expoſtulat: non raro agitur ſummarie, ſi poſſeſſorium iudicium, prælertim recuperandæ feudalis poſſeſſionis, occurrat, cum cauſſa poſſeſſionis *momentanea* dicatur, ſive de poſſeſſione adipiſcenda, retinenda, vel recuperanda agatur *tit. C. ſi de moment.* Teſtes, quia feudales cauſſæ ſunt magni momenti, omni exceptione majores eſſe debent, repellitur mulier, cujus *varium, & mutabile teſtimonium ſemper producit, cap.* 10. *de V. S.* Juven. *ſat. VIII. v.* 80. nec in defectum probationis jusjurandum ſuppletorium admittitur. Exceptio dilatoria, peremptoria, inſtrumenta, conceſſionis diploma, aliæque afferri poſſunt probationes, quas, cum a judiciis allodialibus nihil propemodum differant, enucleare ſupersedeo.

In cauſſis vero feudorum criminalibus, videlicet felonia, aut perduellionis crimine, quo Regis majeſtas offenditur, Barones, & Comites cum voto Parium condemnari ſolent (a), Afflict. in d.

(a) Atque vetuſta eſt in Regno conſuetudo a Nortmannis ad nos tranſmiſſa. Sic Hugo Falcandus *in Hiſt. Sic.*, Richardum Moliſii Comitem de uſurpatione Mandræ, & quorundam in Apulia Oppidorum accuſatum, judicio Parium cauſſam actam fuiſſe narrat. *Juſſi itaque ſunt Proceres omnes præter Curiæ familiares in partem ſecedere ſuper his, quæ adverſus Comitem dicta fuerant judicialem ſententiam prolaturi. Erant autem ii, qui ad judicium faciendum ſurrexerant, Boamundus Monopolis Comes, Robertus de Lauro Comes Caſertinus, Rogerius ejus filius Tricarici Comes, Roge-*

Const. *ut universis n.* 17. *Ego vidi sententias latas sub nomine Regis Ferdinandi primi contra tenentes feuda in capite a Rege, cum voto parium in caussa criminis læsæ majestatis. Et miror vehementer, cur hodie isti, qui regunt justitiam pro parte Catholicæ majestatis non observant ferre sententias in caussis feudorum quaternatorum cum judicio parium*, Columna *loc. cit. n.* 15. qui in caussa Principis Salerni familiæ Orificiæ *an.* 1640. & Hieronymi Valvæ Marchionis *an.* 1657. vota parium refert. Et sub Ramiro Gusman Medinæ Duce Regni Prorege, Marchio Achajæ læsæ majestatis reus cum voto Parium, ævo Annibalis Moles, & Franciſci Sanfelicii in foro vitam amisit, Jannon. *Hist. C. R. N. lib.* 36. *c.* 4. Columna *loc. cit. n.* 15.

TITULUS X.

De modis obligationis feudorum solvendæ.

§. XIV.

De recta feudorum amissione.

QUoniam in humanis rebus origo, medium, & finis assidue inter se conjunguntur, nihilque tam firmum reperiri valet, quod diuturnitate temporis non pereat. Idcirco feuda certis, constitutisque rationibus nascuntur, vivunt, & postea certis quoque modis interire necesse est, quia obligatio, quæ est caussa feudi, ad servitiorum præstationem, vel culpa, vel sine culpa vasalli extinguitur, & feudum amittit, & adepto feudo, omnis cessat obliga-

---

gerius Comes Avellini, Symon Comes Sangrensis, Rogerius Comes Giracii, Rogerius Tironensis Magister Comestabulus, Florius Camerotensis, judex quoque Tarentinus, & Abdenago Hannibalis filius, qui Magistri erant justitiarii: Quibus invicem super bii disceptantibus, visum est, Richardum Molisii Comitem, antequam Gaytus Petrus fugeret, mandam, quam ab eo acceperat, licentia Curiæ tenuisse, hic prolixe. Et Rogerius Rex, judicio Parium, Philippum Eunuchum, quem ob amorem, universo palatio præfecerat, Saracenum de idololatria accusatum ad ignem damnavit: *Tunc Comites justitiarii, Barones, & judices qui ibi aderant justum Regis animum attendentes, tracti in partem, diu communicato Consilio, sententiam dictavere*, inquit, Romuald. Salern. *in Chroni. ad an.* 1145. ubi parium combustionis sententiam affert.

Digitized by Google

gatio, qua prius vasallus tenebatur. Hinc vasallus differt a subdito: vasallus, sublato feudo, clientelæ servitiis amplius non subjicitur; & subditus remanet, si ab eo recognoscebat feudum, qui territorii etiam Princeps erat: subditus nunquam ab obedientia Principis, in cujus territorio bona possidet, eximitur; quia obligatio vasallitica ex pacto provenit; subditorum vero subjectionem natura societatis quidem æterna exposcit.

Omnis itaque feudorum amissio, vel natura, vel arte committitur. NATURA, & hæc sine culpa vasalli, videlicet chasmate, terræmotu, ruina, incendio, alluvione, qua flumen feudalem fundum in publicum redegit, alveumque ejus constituit. Nam utile vasalli dominium, seu jus est in corpore, quo sublato, & ipsum tolli, necesse est, exemplo ususfructus, qui etiam iisdem modis perit, *l.* 5. §. 2. *D. quibus mod. ususfr.* P. Greg. *Synt. lib. IV. c.* 5. *n.* 14. Differt tamen, quia ususfructus non modo rei interitu, sed etiam mutatione amittur, hoc est, dum forma in aliud transit, diversumque recipit nomen, quum rerum nomina, quia earum essentia hominі lateat, a forma petantur, Tertull. *lib.* 2. *de Carne Christi c.* 13., inquit, *fides nominum salus est proprietatum. Etiam cum demutantur qualitates, accipiunt vocabulorum possessiones.* Exemplum, legatus est ususfructus ædium, hæ corruerunt, vel incendio periere, perit ususfructus, quia non sunt amplius ædes, sed area, non est prius nomen, mutata forma, Paul. *recept. sent. 6.* §. 31. At si feudum in ædibus, aut fundo constituetur, ædes vetustate, vel vetustate collapsis, vel fluminis inundatione, mutata fundi forma, in area, & superficie feudum remanet, quia vasallus pinguiori jure, & dominio simili, quam fructuarius utitur, fruitur. Præterea feudum est beneficium, quod benigniorem recipit interpretationem, ususfructus est servitus, quæ odium meretur, Struv. *j. j. f. cap. XV.* 4., Roth. *loc. cit. cap. XXII. q.* 4.

Sine culpa vasalli etiam feudum amittitur, si senior cessionis jure directum dominium in eum transfert, tunc utrumque consolidatur, & vicissim. Consolidatio est unio utilis dominii cum directo; & sive utile dominium directo, & vicissim accedit, feudum *consolidari* dicitur. Et hæc duplici modo contingit, aut libera vasalli voluntate, & refutationem, aut volantate Senioris & cessionem vocamus; Laurent. Fleischerus *Instit. juris feud. cap.* 21. §. 1.

Aut morte vasalli sine ullo herede; aut naturali, aut civili, maxima, & media capitis diminutione, qua ususfructus quoque perditur, præsertim cum sine infamiæ nota in Curia senioris versari non possit, Vultej. *lib.* 1. *c. XI. n.* 6. Nihilominus erat idem Vultejus *loc. cit. n.* 7. & Struv. *j. j. f. cap. XV.* 3. *n.*

3. n. 2. qui tenent, etiam morte seniores sine herede in vasalli persona utrumque, excluso fisco, consolidari dominium. Ficulnea utuntur ratione, ut vasalli & Domini æqualis sit conditio, unde sicut morte vasalli sine herede utile cum directo dominio conjungitur, sic & vicissim; & quia senior præsumitur, si sine heredibus decedente, vasallum utrumque adquirere. Nam jus vasalli dependet a Domino, non jus Domini a vasallo oritur, quare naturale est, utile dominium ad directum redire, a quo exivit, & idcirco ad Dominum, qui, cum non amplius sit, ad eum pertinere debet, qui ejus jura accepit, & repræsentat, uti est fiscus. Nec præsumtio hæc in jure feudali cognoscitur, sine quo, aut ratione loqui erubescimus, Rothius *loc. cit. cap. XXII. q.* 7.

Præscriptione perit feudum, si vasallus contra Seniorem libertatem in feudo præscripserit, illud jure optumo maxumo 30. an. bona fide possederit. Sed cavendum: si quis vasallum se esse negavit, cui senior non obstitit, domino servitia, fidelitatem, aliave feudi onera petenti negavit, & feudum, uti allodium 30. an. possedit, possessionis causam cum mutaverit, præscriptio valet. Quod si centum, vel annis ulterioribus investituram, aut forsitan servitia, non petiit, aut præstitit, vasalliticam tamen qualitatem non negans, possessionis causa immutata non est, nec feudum idcirco allode evadere potuit, quia feudum etiam sine investituræ renovatione, servitio, aut fide jurata conservatur; ab his immunitatem, non a clientelæ nexu adquisivit, Rosent. *cap. VI.* 82., Struv. *loc. cit. n.* 4. & 5. Fleischerus *loc. cit. c.* 10. §. 42. Aut si senior bona fide credens vasalli lineam desiisse, feudum occupat, & 30. annis possidet. Hæc tamen præscriptio utilis dominii vasallo nocet, non ejus agnatis, aut simultanee investitis præjudicat, nisi postquam successio ipsis aperta est, quia non valenti agere, non currit præscriptio; vel si vasalli heres putans rem, in quem successit, fuisse allodium, & ut propriam possideat 30. annis, & Dominus adquiescat, jam præscripsit. Verum intelligitur, si Dominus vasallum petiit, ut investituram renovaret, servitia præstaret, fidelitatem faceret. Vasallus recusat, asserens prædium non feudale, sed allodiale esse, cui Dominus non adversatus, ab hac Domini patientia præscriptio exorditur, Rosent. *loc. cit. n.* 15. quod plerique non animadverterunt.

Refutatione, si vasallus beneficio cedit, de qua *lib.* III. dictum est: venditione, aliove contractu, in uno nempe venditore extinguitur; in altero videlicet emptore nascitur. Clericatu, quem vasallus amplectitur, quia militare servitium, & feudalis conditio divinis non adstipulatur ministeriis II. *f.* 21., II. *f.* 26. §. *qui cle-*

ri-

Digitized by Google

ricus. Hodie non obtinet, quum clericatus cum quibuſvis ſeculi negotiis, iratis canonibus, impune conjungatur. Vitio corporis, hinc mutus, ſurdus, vel aliter ad ſerviendum inhabilis, feudo privatur, *l. f. 6. §. fin.* Scrad. *par. IX. cap. 10. n. 1.* An nativitate liberorum feudum amittatur? Negat Scrader. *loc. cit. n. 8.* plures affirmant. Finge; ſenior illiberis rem immobilem Mævio infeudavit, poſtea ei naſcantur liberi. Diſtinguam, ſi inveſtitura patris Mævio peracta Mævii merita continet, manet feudum; ſecus revocatur, quia primo caſu eſt donatio remuneratoria, ſecundo ſimplex, ea eſt potius mercedis præſtatio, quam donatio *l. 27. D. de donat.* Perez *ad tit. C. de revocan. Donat. n. 23.* & proinde non ſuadet Scraderi opinio, qua, inquit, etiamſi gratis vaſallo feudum concedatur, inveſtituram nativitate liberorum non revocari. Nam fidelitas, obſequium, ſervitia non conſtituunt filiis legitimam, quam in bonis patris habere debent. Imo ſi donatio merita exuperat, quod excedit, revocatur, quia veroſimile non eſt, res ſuas tantæ æſtimationis parva ob merita donaſſe, ſi de liberis cogitaſſet. Denique amittitur feudum, elapſo tempore, ut Gaſtaldiæ, Advocatiæ, Guardiæ, & ſimilia, quæ ad tempus dantur. Aut ſi ad certam generationem, lineam, gradum, pacta inveſtiuntur, his extinctis, clientela expirat, Buddingh. *diſſert. de orig. & pat. contr. feud. §. 62.*

ARTE amittitur feudum, hoc eſt, culpa, aut dolo vaſalli; cujus in jure longobardico viginti recenſentur cauſſæ, videlicet, nex, vulneratio, pulſatio, inſidiæ, areis oppugnatio, [illegible], calumnia, acculatio, teſtimonium, pudicitiæ ſollicitatio, nex fratris, contemptus, inveſtitura non renovata, recuſatio, abnegatio, arcani enunciatio, contumaciæ, alienatio feudi, vitium corporis, clericatus, vel monachatus. Henri. Roſent. *cap. X.* quinquaginta ſeptem accenſet, deſertionem ſenioris in prælio, ſi famam ejus negligit, inimicitiam contrahit, mortem, damnum, inſidiaſque ſtruit, periculum imminens non enunciat, naſtum, arcemve aggreditur, ſi hoſtibus Domini auxilia præbet, ſecreta detegit, conſilia, & litteras tradit, munitiones prodit, eum negat, aut filium, vinculis mancipatum, vel obſeſſum non liberat, injuriam infert, eum accuſat, pro accuſatore ſidejubet, contra eum patrocinatur, famoſam actionem intendit, teſtimonium dixit, juſtitiam non facit, contumaciam, pudicitiæ ſollicitationem, mandans ſtuprum fieri, conſulens, incitans cum perſonis Domino conjunctis, ſi ſecreta revelat, Dominum aggreditur, juſſa ejus contemnat, ſi ſciens non recognoſcit feudum a Domino, ſi feudum ejuſque qualitatem abnegat, ſi feudo abutatur, ſi annuum canonem non ſolvat, ſi decimas eccleſiæ denegat, ſi contra ejus libertatem ſtatuta condit, ſi

cle-

Digitized by Google

clericum occidat, si gravi damno Dominum afficit, si subditos ejus lædit, si reus læsæ majestatis, hæreticus, excommunicatus, monetæ fallarius, si homicidium, parricidium, adulterium, aliudve publicum crimen committit, ex quo infamiam contrahit, vel incestum patratur, litteras Domini, ejusve insignia despiciat, cum exercitu transire prohibet, si contra fidelitatis jusjurandum facit, si fidelitatem nolit jurare, & servitia præstare, Capyc. *in invest. v. feuda amittuntur* 80. Scrad. *par. IX.* 53. enumerant. Nos Feudistam sectamur, & nonnullas gravioris ponderis, aut æqualis causas enucleabimus, interim.

§. XV.

De Indole amissionis feudi.

ANtequam delictorum, quibus feudum amittitur, causas exponam, nonnulla præfari oportet. (1) Omne delictum, aut in omittendo, aut in committendo consistit, jura Dei, & jura hominis lædit. In omittendo, ut si investituram intra statutum tempus non petit, si vocatus, aut in jus, aut ad serviendum non venit, si in periculo Dominum deserit, si periculum non denunciat, si fidelitatem non præstat, & similia. In committendo, si Dominum reali, vel verbali injuria afficiat, honorem, & pudicitiam, vel in se, uxore, filia, sorore, concubina offendat, ejus patrimonium diminuit, & generaliter si jura animi, corporis, & fortunæ ejus violat, & si sine dedecore in Curia stare nequit. Nec refert an delictum in ipsum seniorem, an in ejus familiam committatur, an principaliter, an per accidens, feudo cadat.

(2) Omne delictum, seu causa amittendi feudum vocatur *Felonia* II. *f.* 26. §. *domino*. Nihil aliud est, quam *violatio obligationis feudalis feudi privatione digna*: nec delictum dici potest, sed illius, quod in investitura conventum est, transgressio, quoties in aliquam criminis conditionem, denominationem, & improbitatem non degeneret, quod lex civilis publica, aut municipalis, vel consuetudo prohibet, & punit, Wilhel. de Neumann *in Meditationibus juris Principum privati to.* VII. *lib.* I. *tit.* 14. §. 191. Vasallus erga dominum se ingratum gerit, feudoque indignum se reddit. Et quamlibet feloniam, vel in seniorem, vel in ejus familiam, vel in extraneas personas committere potest (a). *A fallendo*, vel a ger-

(a) Lex Principis omnes fere actus civiles sub sua sphæra, &

germanico *Fahlen*, hoc est errare vel a *felo*, quod perfidam denotat, alii a *fala* quod fraudem, & dolum significat. Vultej. *lib.* I. *c.* XI. *n.* 8. cum Cujacio deducit a græco φήλωμα, vel φηλωτὶς, quod imposturam, & fallaciam significat. *Fello* hoc est *rebellis*, Carolus Calvus *tit.* XXVII. *cap.* 15. Et *follis* apud veteres Gallos, hoc est *stultus*, Mabilon. *in notis ad Epist.* 3. Willelmi Abbatis *in Analect. p.* 254. In libris feudorum, & jure alemannico omnem fraudem, culpam, & improbitatem, & quodvis capitale facinus, tam Domini, quam vasalli ostendit. Et quia omne crimen, dolo, culpa autem quodammodo contrahitur *l.* 3. §. 2. *D. de injur.*, *l.* 1. §. *ult. D. de Abig.*, *l.* 31. *D. ad l. Corn. de falsi.* Dolus non modo continet propositum delinquendi, sed etiam impetum animi, uti est ira, amor, libido, ebrietas *l.* 11. §. 2. *D. de pœnis*. Culpa generaliter est hominis negligentia, qua quid fit, quod fieri non debuit, & rursus, quid fit, quod fieri debuit; & duplex est malitiæ, & hæc dicitur dolus, & imprudentiæ, & hanc proprie vocamus culpam, cujus tres sunt gradus, lata, levis, & levissima: lata est summa negligentia, atque ignorantia, cum quis non intelligit, quod omnes intelligunt *l.* 213. §. 2, *l.* 223. *l.* 226. *D. de v. s.*, & hæc in contractibus dolo comparatur *l.* 29. *D. mand. l.* 1. §. 1. *D. si mens. falsi. dix.* Levis est, non adhibere eam diligentiam, quam diligens paterfam. rebus suis adhibet *l.* 22. §. 3. *D. ad SC. Trebel. l.* 35. §. 4. *D. de contrab. emp.* Levissima est, non adhibere eam diligentiam, quam diligentissimus paterfam. rebus suis adhibiturus erat *l.* 25. §. 7. *D. locat.* [illegible] *D. ad l. Aquil.*

& clypeo comprehendit, & vel prohibuit, vel permisit, vel punivit. Verum nonnullos actus etsi scelestissimos naturali civium pudori fieri, cohiberi, aut reprimi, vel non, remisit. Inter hos est *ingratitudo*, quam Romani in donationibus, in liberto, & quæ sunt, tantum coercuerunt, in ceteris naturali pudori relinquere voluerunt. Rationem dat Seneca *lib.* III. *de Benef. c.* 7. *pars maxima beneficii periit, si actio, sicut creditæ pecuniæ, aut ex conducto, aut ex locato datur. Hoc enim speciosissimum est in illo, quod dedimus, vel perdituri quod totum permisimus accipientium arbitrio. Si appello, si ad judicem voco; incipit non beneficium esse, sed creditum &c.*. Sed jure Persico, & Macedonico prodita erat actio ingrati, & in judicium vocari poterat, qui beneficii immemor, gratias, cum posset, non retulisset, Brisson. *de Regno Persar. lib.* II. §. 96. Jus feudale etiam actionem *ingrati* contra vasallum excogitavit, quæ tamen potius ex conventione vel tacita, vel expressa in infeudatione, quam ex vera beneficii indole dependet. Feudum est beneficium sub conditione, quam si vasallus non servat, amittit.

Digitized by Google

(3) Videndum, an dolus, an culpa felonia committatur? In ea duplex jurium læsio consideratur, societatis, & feudalitatis, si ita loqui fas est. Societatis, si nempe contra jus divinum, gentium, & civile peccatur, ut adulterium, homicidium, stuprum, & cetera, & *commune delictum* vocamus. Feudalitatis, si contra conditiones, pacta investituræ, naturam clientelæ, & fidelitatis juramentum delinquitur, & *delictum feudale* dicimus. In prima jurium læsione dolum necessario requirimus: in secunda etiam culpam, sed latam sufficere asserimus. Nam sicut culpa lata in contractibus præstatur, ita & in feudo, quod est contractus, hinc si investituram negligentia non petat, si servire prætermittit, si periculum non denuntiat, si justitiam monitus non administrat, sive in omittendo, sive in committendo delinquat, semper in culpa lata esse dicitur, quæ dolo æquiparatur. Negligere enim, quod necessario ex natura contractus descendit, idem est, ac aliquid *positive* committere. Cur enim munus suum non gerit? quia jura illius, cum quo obligationem contraxit, lædere, & contemnere desiderat; qui contemtus non ignorantia, aut errore nascitur, sed proposito, animoque deliberato, quem recte dolo proximam Ulpian. *in l.* 8. §. 3. *D. de precar.* appellat. Sed quia omnis felonia vel in delictum degenerat, jure universali, vel civili divino, vel humano jure prohibitum, & dolus non indiget probatione, sed præsumitur, nisi aliter constet; vel in delictum dumtaxat feudale declinat, & tunc, sive in omittendo, sive in committendo, dolus, & culpa etiam præsumitur, sed scientiam probare necesse est; ut si non petiit investituram, si fidelitatem non præstitit, si auxilium domino non exhibuit: probandum id dolo malo, aut culpa neglexisse, ut feudum amittere possit. Conf. Rosent. *cap.* x. 13. *n.* 31.

(4) Olim feuda senior, uti lubebat, vasallo adimere poterat, quum essent precaria; deinde cum ad vitam concedi cæpissent, & successio inducta esset, statutum, neminem sine culpa convicta feudo privari posse, 1. *f.* 21., 1. *f.* 17., 11. *f.* 23., 11. *f.* 24., 11. *f.* 57., 1. *f.* 22. §. *sancimus*. Sive feudum temporale, aut ad certas personas, sive ad certam generationem fuerit, sive senior privatus, sive supremus Princeps infeudavit, etiam re sua in feudum constituta indigeant, 11. *f.* 48., Scrad. *part. v. c.* 6. *n.* 33., quum feuda instar contractus sint, qui semel impleti revocari non possunt. Hinc Senior filium naturalem vasalli legitimare non potest, si hæc legitimatio agnatis noceat, qui jam jus quæsitum habent, quum obliquе sine culpa feudo privaret, Pistor *lib.* 11. *q.* 40. *n.* 10. Wesenbec. *cap.* VI. *n.* 11.

Hinc Interpretem opinio displicet, quæ licet vasallum nisi, convicta

victa culpa, feudo non privari fateantur, tamen contractum alienationis excipiunt, quam si vasallus de feudo agit, *ipso jure* feudum amittit. Hoc est non *ope* Prætoris feudalis, sed *auctoritate* legis a feudo cadit. Nam quoties simplicitas, justa ignorantia, aliudve impedimentum intervenire potest, pœna *ipso jure* vix procedit. Et ubi est pœna, sententia judicis fuerit oportet: pœna est, privari utili clientelæ dominio, igitur sententia judicis indigemus. Nisi aliud Loci consuetudo disponat, ut in Francia, statim ac vasallus felloniam commisit, dominus feudi possessionem sine judicis auctoritate apprehendit, deinde judicabit, an juste apprehenderit, an felonia legitima, vel non, fuerit. Hos Franciæ mores ignoravit Innoc. III. *lib. 2. epist. 52. Reg. XIV.* Dum Philippus Francorum Rex Episcopos Antisiodorensem, & Aurelianensem feudis expoliavit, cum ad exercitum ire detractarent: *Judicium autem spoliati subire non debent, cum ex generali, sicut accepimus, consuetudine regni sui, fidelis a domino sine judicio spoliatus, nec diem ab ipso super spoliatione sua, vel alio teneatur recipere, se in ipsius Curia experiri, nec etiam vinculum fidelitatis servare. Cum igitur super prædictis se duxerit excusandum, & illud silendo transierit, quod eorum fecit Saisiri* (hoc est occupari) *regalia, cum nec dum de aliquo foris facto confessi fuerint, vel convicti, nec etiam ad satisfaciendum commoniti, vel inducti, tacite id concessisse videtur. Quod etiam ex tenore litterarum suarum, quas prædictis Episcopis dimisit, evidenter apparet, in quibus continetur expresse, quod militibus terræ suæ præcepisset, ut irent cum Baronibus illis, quos ad quendam locum simeræ destinandos: & quia illi ad præceptum ipsius illuc accedere noluerunt, dixit ipsos Episcopos erga se de exercitu defecisse, & propterea illorum saisivit regalia, & illa, quæ in eis pertinent ad jurisdictionem terrenam. Unde præsumitur, quod in causa, & modo minus ordinate processerit contra eos, cum pro aliena culpa, videlicet militum, si qua fuerit, spoliasset eosdem non convictos, nec monitos, vel citatos.*

TITULUS XL.

De consu delictorum feudalium.

§. XVI.

Nex, vulneratio, pulsatio, insidiæ.

DElictum, vel est feudale, vel non feudale, sicut & delictum clerici, aut militis dicitur: feudale appello, quod vasallus

uti vasallus agit, quoque directe feudo privatur: non feudale, quod vasallus non uti vasallus, hoc est vasallitica indutus qualitate committit, sed uti quilibet, eoque nec directe, sed per accidens feudo cadit, nempe si ejus bona publicantur, inter quæ erat feudum, consequenter illud amittit.

Prima caussa amittendi beneficium est *nex*, hoc est, si seniorem occidit, II. *f.* 57. I. *f.* 17. Otto I. Imp. *Constitut. an.* 967. apud Goldast. *Const. Imp. to.* III. *p.* 304. *cap.* VI. §. 2. *&* 3. *Vasallus si interficit dominum suum in vita, honore, & bonis cum quibus ab ipso fuerit infeudatus, condemnetur. Idem etiam de domino censendum est, si occidat vasallum. Et superior dominus sic occisi vasalli natos, ad prædictum dominum, cum investitura dicti feudi dirigere non valebit, ut sibi servitio adstringantur.* Sive ipse, sive alius mandato, auxilio, aut consilio ejus interficiat, vel sciens alterum necem Domino moliri non denunciavit, atque impedivit, quoties poterat, semper homicidium commisisse constat, *l.* 3. §. 4. *l.* 15. *D. ad l. Corn. de Sic. l.* II. §. 3. *D. de injur. l.* 6. *D. ad l. Pomp. de parricid.* A. Matth. *de Crim. in proleg. cap.* I. *n.* 7. *& seqq.*, Andr. *in* II. *f.* 24. *n.* 18. Ardizo *in sum. c.* 55. aut senior laicus, aut ecclesiasticus sit, quia Prælatus videlicet Episcopus, Abbas, aliusve loco Domini censetur, *cap. x. & xII. de pœnis*, & infra dicam.

Vulneratio: si seniori injuste vulnus infligit, secus si ad defensionem sauciat, quia suum corpus, membra, suamque vitam contra aggressorem tueri omni jure permittitur, & natura cuique sui ipsius curam, & tutelam commendavit, modo inculpatæ defensionis moderamen conservet, hoc est, si aliter vitam servare nequeat, nisi hostem interficiat, II. *f.* 57. Hotoman. *disp. feud. cap.* 41. Buddingh *loc. cit.* §. 63. Nomine vulneris etiam intelligitur, si vasallus seniorem in bello vulneratum derelinquat I. *f.* 5. quum posset ipsum adjuvare: verum si vulnus fuerit lethale, & vasallus fugiat, & derelinquat, excusatur *d.* I. *f.* 5. quia mortus, & lethaliter vulneratus hic comparantur, Alver. *ibi n.* 2. Sonsbec. *par.* XII. *n.* II. aut si brachium amisit, aut grave vulnus recepit, si dominum deserat, nihilominus feudo non cadit, quia ipsum juvare nequit, Glos. *in d.* I. *f.* 5. Clarus §. *feudum q.* 21.

Pulsatio: si impias manus in Dominum injecit, verberibus affecit II. *f.* 24. §. *porro*, sicut ex hac caussa filius privatur hereditate patris, & donatarius donatrone spoliatur, *Nov.* 115. *c.* 3. *l. fin. C. de revocan. donat.* quia plerumque caussa, qua filius exheredari potest, a vasallo commissa, feudum amittit, si eadem, vel gravior suadeat ratio, conf. Rosent. *cap. X.* 13. Voet *ad lib.* 38. *Digest.*

Digitized by Google

gest. digressione de feud. n. 111. Hinc si filius pro patre non fidejubet, exheredatur *d. Nov.* 115. *c.* 3. sed vasallus non tenetur pro Domino fidejubere Scrader. *par. IX. c.* 8. *n.* 7. Nec tamen sola manus levatione, aut minis verberandi Dominum feudum aufertur vasallo, sed re opus est, Gotofr. ad *d.* §. *porro*.

Insidiæ: si gladio, veneno, illicitisque machinationibus insidias senioris sui vitæ struxerit, *d.* §. *porro*, *&* 11. *f.* 57. quia insidiæ, quibus feudo privatur, sunt delictum perfectum, etiamsi pœnitentia ductus, a perficiendo delicto desiterit, nihilominus pœnam amissionis clientelæ non effugit, quia in delictis perfectis penitentia non pœnam tollit *l.* 5. *D. de vi bon. rapt.*, *l.* 65. *D. de furtis*, 11. *f.* 51. §. *si voluerit*, Jac. a S. Georg. §. *dictique vasalli* 1. *n.* 44., Curt. *par. IV. n.* 36. Andr. *in d.* §. *porro n.* 18. Proinde si in consilio, auxilio, facto solus, aut cum aliis, sciens prudens fuit, ut machinationibus senior vitam, honorem, aut bona amitteret, ipse feudum perdit 11. *f.* 7. licet affectus non fuerit secutus *d.* 11. *f.* 7. ibi *ego juro quod nunquam scienter ero in consilio, vel in facto, quod tu amittas vitam, vel membrum aliquod*. Si igitur lex feudalis punit consilium, mandatum, auxilium, effectum, seu eventum non expostulat, Scrad. *par. IX. c.* 4. *n.* 38. Quin imo si nec consilium, auxiliumve ad insidias præstiterit, sed sciverit tantum, & Domino non denunciavit, & jam feudo cadit 11. *f.* 24. §. *præterea*.

§. XVII.

Oppugnatio, desertio, contumelia, accusatio.

Oppugnatio arcis, videlicet si vasallus castrum, civitatem, vicum Domini aggrediatur, sive Domino in eo, sive non fuerit, quamvis feudista *in* 1. *f.* 5. requirere, Dominum, dominamve ibi esse videatur, *similiter si Dominum assalierit, vel castrum Domini, sciens Dominum, vel dominam ibi esse*, tamen Glossa, Alverotus, & Ravennas recte *τῷ maxime* supplent, quia Dominum aggredi fidelitatis jurejurando adversatur, 11. *f.* 6. ubi *tutum ne sit ei in damno de secreto suo, vel de munitionibus suis per quas esse tutus potest*. Aut si locum, civitatem, & castrum invadat, in quo uxor senioris, filius, vel pater degit, quia uxor, & vir sunt unum corpus, filius & pater, una persona, & metus & violentia patri illata, filio illata censetur, Scrad. *par. IX. c.* 3. *n.* 4. Vultej. *lib.* 1. *c.* 11. *n.* 20., nec excusatur, si postea senior eum exuperat, quia in maleficiis voluntatem spectamus *l.* 14. *D. ad l. Corn. de Sicar.* cons. Bynkersh. 111. *obser.* 10. Excipitur, si juste ignoravit illud esse senio-

nioris caſtrum, vel cauſſa defenſionis patriæ arma moveat, vel religionis, vel publicæ tranquillitatis, cui omne privatorum bonum, & lex cedere obligatur; vel ſi ejus exercitus, ipſo inconſulto, & ignorante, ſeniorem oppugnat, Roſent. *cap. X. 18. n. 14. & ſeqq.*

Deſertio: ſi ſeniorem in bello, dimicatione, aut rixa deſerat, P1. *f. 24. item qui Dominum ſuum cum quo ad prælium iverit, in acie periclitantem dimiſerit, beneficio indignum ſe indicavit, & 1. f. 5. 1. f. 17.* Duaren. *cap. XIV. n. 4.* Buddingh *loc. cit. §. 63.*, Blanc. *lib. 1. de feud. c. 7. n. 6.* Turpiſſimum ſemper exiſtimatum eſt ab acie ſe dimovere, fugere, & arma deſerere, Romani militiæ deſertorem capite puniebant, aut ſi ſe obtuliſſet, indulgentia Principis deportatione mulctabatur *l. 5. §. 3. & 4. D. de re milit.* Deſertor eſt, qui tempore belli a ſignis aberit, vel diu extra caſtra vagatur *tot. tit. C. de deſertor.* Nam nulla in ſocietate, & rebus publicis diſciplina diligentior, ſeverioreque, quam militaris eſſe debeat. Quæſitum eſt, an fratres communiter feudum poſſidentes, unus in bello aufugit, alter maneat, & pugnat, illud amittant? Prætermiſſa opinione, diſtinguam; ſi feudum erit dividuum, reus portione ſua privabitur; ſi individuum, ut ducatus, comitatus, baronia, marchionatus, pars rei alteri fratri accreſcit, propter hujus clientelæ naturam, quæ individua eſt, niſi ſenior illam poſt vaſalli crimen dividere velit; quæ diviſio an agnatis noceat, infra dicam, quiſque enim non in ſolidum, ſed pro medietate poſſidet, licet eam a toto ſine ſenioris conſenſu ſeparari non poſſit, conf. Vultej. *lib. 1. c. 11. n. 19.* Sæpius ab amiſſione feudi excuſatur, etſi Dominum in prælio deſerat, ſi Dominus jam deceſſit, aut lethaliter vulneratus fuerit, ſicut a contrario ſenſu *in 1. f. 5.* probatur, *ſi enim Dominus prælium campeſtre habuerit, & vaſallus eum moriturum in ipſo prælio dimiſerit, non mortuum, nec ad montem vulneratum, feudum amittere debet.* Aut ſi res conclamatæ ſpei eſſet, & vaſallum in prælio manere, aut nihil, aut parum Domino prodeſſet, Duaren. *cap. XIV. n. 5.* Scrad. *par. VI. c. 6. n. 89.* Aut ſi vaſallus in prælio maneret, neceſſario interiret, tunc fugæ ſibi conſulere poteſt ſine metu amiſſionis feudi, quia vitam ſuam ſenioris vitæ, ſaluti, lucro, & honori nec debet, cum ſua ſua non ſit Dominus, nec poteſt, quum ſeipſum naturaliter diligat, Glos. in *1. f. 5.* Duaren. *loc. cit. n. 9.*, Sonsbec, *par. XII. n. 12.* Multo magis ſi vaſallus contra Dominum pugnat; exemplum præſtat A. Matth. *Analect. to. 1. p. m. 447. (a)*.

Con-

(a) Conſuetudo in media ætate erat, quod ſi vaſallus nollet feu-

Contumelia: quam Domino irroget 11. *f.* 24. §. *porro*, ibi *alias graves, & inhoneſtas injurias intulerit*. Verbis nempe commiſſa, modo ſit atrocior, quia levis excuſat, quum potius ex humanæ naturæ vitio, quam ex ingrato animo oriatur. Nec refert ipſemet vaſallus, an ſuo mandato, & conſilio inferat, an Domini, an ejus uxoris, aut liberorum famam conſcindat, an præſentis, an abſentis, imo etiam mortui, an verbis tantum, an famoſo libello, etiamſi convicium fuerit verum, quia ſemper injuriarum actio naſcitur, ſuaque non intereſt illud manifeſtari, Scrad. *par. IX. c.* 4. *n.* 106. *& ſeqq.* Et merito: quia honor æquiparatur vitæ *l.* 8. §. 2. *D. quod met. cauſ. l.* 9. *D. de manumiſ. vind.* Duplici enim vita homo vivit, naturali, & civili, ſi ſecunda tollitur, prima langueſcit, & homo ſcietatis dici non poteſt. Cave a Gotofr. *ad d. l.* 9. qui cum aliis tenet, etiam pro defenſione honoris poſſe aliquem interfici; quia honor ſi amittitur, recuperari poteſt, ſed vita ſemel amiſſa, non redit. Excipitur, ſi vaſallus convicium Domino irrogat, ut ſeum forſitan provocatus defendat; vel ſi non doloſa voluntate, ſed errore, joco, vel inſania mordet, Roſent. *cap. X.* 21. *n.* 17.

Accuſatio: ſi vaſallus Dominum criminali judicio accuſaverit, 11. *f.* 33. *Similiter vaſallus Dominum accuſare, vel teſtimonium contra eum reddere non debet in civili cauſſa modica, aut criminali. Quidam tamen dicunt, in criminali non licere, in civili licere: in quibus ſi errore fecerit, feudo privabitur*, Cujac. *lib. IV. f.* 36. *in fin.* legit, *in civili modica licere*: Accuſare [illegible] non modo, ſi ipſe accuſat, ſed etiam ſi accuſatoriam ſubmiſerit, vel contra Dominum ſubjecerit, vel pro accuſatore Domini fidejuſſerit,

---

feudum retinere, nec feudalia onera ſubire, ſed contra dominum pugnare, vel alterius Principis vexillo deſervire, feudum domino reddere cogebatur, ut libro tertio dictum eſt. Et inquit Chronicon de Trajecto apud A. Matth. *to. v. Analect. p. m.* 401. *Dux autem* (Gelriæ) *loquebatur de pace, ſed Epiſcopus in nullo voluit acquieſcere niſi habita prius Civitate. Quare iratus Dux Gelriæ indixit Epiſcopo bellum & feudalia ſibi amodo negavit, & omnem amicitiam ejus ab antea modo in irritum fecit*. Charta *anni* 1257. apud A. Matth. *tract. de jure Gladii cap.* 25. *ſciendum eſt etiam, quod de omnibus querelis, ſeu querimoniis, quod D. Ricaudus Miles, & Henricus de Burglo habent contra Dominum Epiſcopum Trajectenſem de eorum omnium conſenſu eſt in arbitrium compromiſſum &c. Ordinatum eſt etiam a nobis, quod omnes illi, qui feoda dominis occaſione guerrarum prædictarum reddiderunt, ex quacunque parte fuerint, illi rehabeant, & in ſtatum priſtinum reponantur.*

Digitized by Google

rit, Scrad. *par. IX. c. 8. n. 1.* [illegible]*ec. par. XII. n. 48.* Curt. *par. V. n. 70.* Aut *si delator Domini sui extiterit, & per suam delationem grave dispendium eum sustinere fecerit*, inquit, Feudista *in* 11. *f. 24.* Delator est, qui præmii consequendi caussa, bona vacantia, caduca, thesauri inventionem, & si quam aliam rem ad fiscum pertinentem, eidem denunciat, *tit. C. de delator.* vel qui crimina reorum magistratui nunciat, nomen Romanis præsertim sub Monarchia odiosum, probat H. Brencman. *de l. Remmii exitu cap. 4. & seqq.* & in jure delator parum differt ab accusatore, nec refert, an suam intentionem, vel non, probaverit, Duaren. *loc. cit. n. 14.*, Sonsbec. *loc. cit. n. 47.* sicut filius delator parentis exheredari potest, *Nov. 115. c. 3.*

Excipitur, si vasallus Dominum accusando, suam, suorumque prosequatur injuriam, etsi nonnulli de suorum injuria dubitent, quia feudista *in* 11. *f. 28. in fin.* inquit, *contra omnes debet vasallus Dominum adjuvare & contra fratrem, & filium (& patrem) nisi contra alium Dominum antiquiorem: hic enim ceteris est præferendus.* Sed respondeo, sicut si vasallus Domini consanguineos lædit, punitur, sic & si Dominus vasalli consanguineos offendit, puniendus, ut æqualitas servetur 11. *f. 6.* Et jure civili qui ab accusatione repellitur, vel propter sexum, ut mulier, ætatem, ut pupillus, conditionem, ut libertini contra patronos, suspicionem calumniæ, ut qui falsum testimonium subornati dixerunt, delictum, ut infames, si tamen suam, suorumque exequantur injuriam, accusare possunt *l. 4. 8. 9. 10. 11. D. de accusat.* Andr. *in* 11. *f. 22. n. 8.* Glos. *in* 11. *f. 24. v. perdit.* Scrad. *par. IX. cap. 8. n. 5.* Aut si accusat de crimine læsæ Majestatis, quia in hoc crimine filius patrem, libertus patronum, servus Dominum recte accusant, & vicissim, *l. pen. & ult. C. ad l. jul. Majest. l. 35. D. de relig.* Aut de levi crimine accusat; aut nullum ex accusatione damnum, & honoris læsionem passus est, Scrad. *loc. cit.*, Ardizo *in sum. c. 81.*

§. XVIII.

Testimonium, pudicitiæ solicitatio, nex fratris, contemptus.

Testimonium: nempe vasallus nec in civili, nec in criminali caussa in seniorem ut testis sedere debet 11. *f. 33. §. similiter.* Cur vasallus etiam a civilis caussæ testimonio arceatur, quum seniori non noceat, nec honorem lædat, præsertim, dum Cujac. *in d.* 11. *f. 33.* vocem *modica* addat. Quare nonnullis placuit, feudistam intelligi de vasallo, qui sponte, non vocato a judice, in judi-

Digitized by Google

judicio contra Dominum agit; aut eum judex ad testimonium coegit, qui etsi exceptionem opposuit, quod esset vasallus, & in dominum testari nequiret, tamen judex testimonium dicere jubet, Glos. *ad d. §. similiter v. privabitur*, ibi Andr. *n.* 11. Alver. *n.* 4. Jac. a S. Georg. §. *dictique vasalli n.* 25. & recte; quia qui sponte ad agendum venit, ingratitudinem in seniorem ostendit. Et judex licet eum cogere nequivit; sicut nec libertus contra patronum, tamen coactus testando excusatur. Sæpe tamen vasallus a judice cogi potest, si est caussa feudalis, quia tunc tanquam par Curiæ testatur, cum investituræ interfuit: si caussa non sit feudalis, contra dominum testari judex cogere non potest, quia feudo caderet, nisi publica ageretur salus, & ita contraria componitur opinio, quam tenet Rosent. *cap. x.* 23. *n.* 32.

Pudicitiæ sollicitatio: si videlicet impuro amore uxorem, aut viduam senioris, sponsam, concubinam, matrem, neptem ex filio, nurum, sororem, sive virginem, sive mulierem, violavit, vel, ut inquit feudista *cucurbitavit*, 1. *f.* 5., 1. *f.* 21. *in fin.*, 1. *f.* 17. 11. *f.* 38., 11. *f.* 24. §. *rursus*, Scrad. part. IX. c. 2. n. 1. *& seqq.* Hotom. *disput. feud. c.* 41. Ardizo *in sum. c.* 55. *&* 82. Cujac. *lib.* 1. *f.* 2. Et primo, quia uxor est cum viro unum corpus, ideo dignitatem, honorem, nobilitatem, forum, & domicilium sui viri retinet *l.* 8. *D. de Senator. l.* 19. *D. de jurisdict. l.* 65. *D. de judic. l. un. C. de mulier. & in quo loco l.* 13. *C. de dignit.* Et proinde injuria, stupro, vel adulterio, illata uxori, viro illata censetur, imo & omnibus, qui ex familia sunt *l.* 1. §. *fin. D. de injur.* Vidua, donec maritale thorum colat, eadem viri retinet jura, & privilegia, quæ supra recensui, donec ad secunda vota non transeat *l.* 22. 37. *& ult.* §. 3. *D. ad Municip.* nam si secundas nuptias inierit, & vasallus eam cognovit, ipse feudum non amittit, quia amplius uxor defuncti senioris non dicitur, non de ejus dedecore, sed secundi mariti infamia agitur, Rosent. cap. x. 27. *n.* 6., Scrad. *loc. cit.*

Sponsa: sive de præsenti, de qua omnes consensiunt, sive de futuro: sponsa de præsenti vera uxor appellatur, quum suum sponsum lugere debeat, inter eam, & eum prohibetur donatio *l.* 6. *D. de ritu nupt. l. pen. D. de donat. int. utr. & uxo.* de adulterio accusari potest *l.* 13. §. 3. *D. ad l. jul. de adult.* Sponsa de futuro, & si non sit vera uxor, tamen si cognoscitur, injuriam seniori viro affert, quia nec matrimonium qualecumque, nec spem matrimonii violare licet *d.* §. 3. sponsa est conjux initiata, quam qui violat, ipsum conjugium violasse judicatur, Osee *cap.* IV. *v.* 13. *fornicabuntur filiæ vestræ, & sponsæ vestræ adulteræ erunt*. Ant. Matth. *de Crim. lib.* 48. *tit.* III. *c.* 1. *n.* 9. Wissenbac. *ad tit. D. ad L. jul. de adult.*

n. 17. Hinc Ulpian. *in l.* 15. §. 24. admittit ſponſum ad actionem injuriarum, quas ejus ſponſa recepit.

Concubina: quam jus civile permittit, hoc eſt ea, quæ in domo alicujus citra nuptias vivit, in antiquis inſcriptionibus *viceconjux*, *uxor gratuita*, *amica*, & *ſemjunxor* in legibus etiam appellatur, Forner. *lib.* 1. *rer. quotid. c.* 22. Heinec. *ad l. jul. & Pap. lib.* 11. *c.* 4. Hanc conjunctionem nec Conſtantinus M. nec Juſtinianus, aliique Impp. chriſtiani abrogarunt, & delapſa in Europa Romani imperii majeſtate, Principes in ſuis dominiis, Gothi, Franci, Longobardi, ceterique retinuere, conf. P. Jannon. *Apolog. cap.* VII. *& ſeqq.* Hodie merito inter nævos hujuſmodi legum enumeramus, & dumtaxat matrimonium admittimus. Quapropter vaſallus ſi concubinam domini cognoſcit, feudo non cadit, ne dominus ex ſua turpitudine lucrum ſenſiat, nec injuria ei illata conſiderari poteſt, quia, etſi ipſe ruborem, doloremque experiatur, tamen hæc affectio ruboris, & doloris non qualis eſt, ſed qualis eſſe debet, perpendendum, nec eſt injuria, quia nemo, vetante lege, in re, vel in perſona alicujus jus adquirit, & proinde ſi auferatur, injuria non dicitur. Si in concubinatu nulla eſt honeſtas, quomodo honor, & honeſtas ſenioris violetur? Vultej. *lib.* 1. *c.* 11. *n.* 58.

Mater: nempe Domini, *ſive vidua*, *ſive alteri nupta fuerit*; & licet jus feudale nihil hac de re ſtatuat, ſatis tamen nos æquitas, veneratio, amor, & honeſtas inſtruit, quum eadem matri, & conjugi veneratio debeatur, imo major matri, quæ genuit, *Nov.* 105. *c.* 2. Vultej. *lib.* 1. *c.* 11. *n.* 64. Zaſi. *par. x. n.* 32. Scrad. *part.* 1*x. c.* 2. *n.* 16. Neptis ex filio; vel filia, vel nurus; cur cum nepte ex filio? Cujacius *lib.* 1. *f.* 2. textum in 1. *f.* 5. idcirco corrigere auſit, *aut nuru*, *hoc eſt nupta filio*, & placet Gotofredo: male; ratio differentiæ eſt, quia neptis ex filio eſt & naſcitur in familia avi paterni, & ſi filius eſt in ipſius poteſtate, neptis etiam ex filio nata, ei ſubiicitur. Neptis vero ex filia, quum nomen, & patris familiam ſequatur, avi paterni, non materni ſtirpem conſequatur; Unde dedecus in hac nepte ex filia non tam magnum cenſetur, Vultej. *loc. cit. n.* 61. diſſent. Roſent. *cap. x.* 27. *n.* 36. Cum ſenioris nuru, licet ejus filio nupta ſit. Vel cum ſorore Domini, ſive nupta, ſive virgo erit, modo in domo ſenioris degat 1. *f.* 5., 11. *f.* 24. §. *rurſus*. Hinc conſtat, magis lædi ſenioris honorem ex perſona filiæ, & nurus, quam ſororis, quia pudicitiæ violatio in filia, & nunc ubicumque facta feudum aufert vaſallo; ſed in ſorore opus eſt, ut in domo ſenioris perpetretur, Alver. *ad d.* §. *rurſus n.* 1. quia locus auget delictum. Si extra domum, tota injuria viro ſuo illata videtur, ſub cujus cuſtodia

stodia est: sed si virgo erit, sive domi, sive extra vasallus cognoscit, feudum amittit, & prætermissa opinione, arridet, conf. Rosent. *cap. x.* 27. *n.* 30.

Hæc pudicitiæ sollicitatio, naufragium, & violatio etiam contingit, licet uxor, filia, mater, soror, nurus impudico amori consenserint. Nam si unicus actus diverso jure diversis personis competente constat, uno læso, cetera violantur, & integritatem amittunt. In illicita copula, vel turpi actu, ad secretas partes attractatione, honor viri, familiæ ejus, familia uxoris commaculatur; sicut pœna raptus etiam procedit, licet rapta raptui consenserit *l. un.* §. 2. *C. de rapt. Virg.* vel si quis volentem filium vendiderit, filio nulla competit actio, quia volenti non fit injuria, sed pater agere actione injuriarum potest *l.* 1. §. 5. *D. de injur.* Nec refert an ipsemet pudicitiam læsit, an opem, consilium, vel auxilium præstitit, A. Matth. *de crim. lib.* 48. *tit.* 18. *c.* 4. §. 15. Scrad. *part.* 1x. *c.* 2. *n.* 24. An crimen inchoavit postea timore, rumore, aut armis non perfecit, quamvis pædicator mitius, quam adulter puniatur, *l.* 1. *D. de extraord. crim.* Hodie communi Europæ sensu solus conetus in crimine non nisi atrocissimo ordinariam pœnam meretur, Matth. *loc. cit. n.* 13. Sola etiam attractatio, ad partes corporis, quas natura tegit, est justa amissionis causa, quod feudista in 1. *f.* 5. *turpiter ludere* dixit. Nam *ludere* in sacris literis jocare, idolatrare, occidere, & coire, seu veneri placere significat, sicut & apud latinos, Catul. in Hymen. *ludite ut lubet & brevi liberos date*, prolixe Pantoja de Ajala *ad l. fin. C. de aleator. v. sed solutum reddatur n.* 1. *& seqq.* Displicet communis sententia, quæ, inquit, vasallum etiam feudo privari, si cum filia, sorore, aut nuru, vel matre senioris, quæ quæstum publice ex corpore faciunt, turpiter ludat. Nam hujusmodi personæ sunt infra legum curam, in his nec adulterium, nec pudicitiæ violatio concipitur, quam venalem exhibeant; nec dicitur amissio honoris, ubi non reperitur, nec aliquid eis vasallus aufert, quum nihil habeant, & proinde de non ente Dominus conqueri nequit *l.* 20. *& 29. C. ad l. jul. de adult.* Perez. *ad tit. C. de raptu Virg. n.* 11.

Nex fratris: si fratrem suum, vel filium fratris vasallus occiderit 1. *f.* 5. §. *item*, 11. *f.* 37. *si quis interfecerit fratrem Domini sui non ideo beneficium amittit: sed si fratrem suum interfecerit ad hoc ut totam hereditatem habeat, vel aliam feloniam commiserit; verbi gratia hominem tradendo, ut in Curia amplius stare non possit, privabitur beneficio*, ibi Andr. *n.* 3. Alver. *n.* 4. Duaren. *c.* 15. *n.* 1. Sonsbec. *par. XII. n.* 52. ceteri intelligunt, si ea intentione occidat, ut solus feudum, vel hereditatem habeat. Non recte:

ſed ſive totius feudi, aut hereditatis gratia conſequendæ, ſive aliâ parricidium committat, feudum amittit, nec ratio relucet, cur ob hanc cauſſam, & non ob aliam fratrem interficiens, hac pœna afficiendus, & feudiſta declarationis, atque exempli potius cauſſa, quam conditionis ſe explicuit, Vultej. *lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 71. Et multo magis, ſi patrem, aut matrem necavit, qui legi Pompejæ de Parricidio ſubiicitur, quum ſine dedecore in Curia ſenioris eſſe nequeat. Si interficiat fratrem Domini, feudum non amittit, cur ita? ratio dubitationis eſt, quia magis nex ſui fratris, quam alieni, ſeniorem lædit. Reſpondeo, quia parricidium eſt gravius homicidio, nec a fratre Domini feudum recognoſcit, Cujac. *lib.* 1. *f.* 2. Vultej. *loc. cit.* niſi in odium Domini ejus fratrem, aut proditorie interficiat, & proditor eſt incapax beneficii *can.* VII. *diſt.* 46. Alver. *ad* 11. *f.* 38. *n.* 2. Nec feudo cadit, ſi in extraneum homicidium committat, quum *d.* 11. *f.* 37. de fratre tantum diſponat, conf. Roſent. *cap.* x. 36.

Contemptus: hoc eſt, ſi patronus vaſallum ad expeditionem vocat, & non obtemperat, quod proprie eſt feudale crimen, 11. *f.* 24. §. *ſed non eſt*, §. *f.* 55. *Firmiter etiam ſtatuimus, tam in Italia, quam in Alemannia, ut quicunque indicta publica expeditione vocatus a Domino ſuo in eadem expeditione ſpatio competenti temere venire ſuperſederit, vel alium pro ſe domino acceptabilem mittere contempſerit, vel dimidium reditus feudi unius anni domino non ſubminiſtraverit, feudum quod ab Epiſcopo, vel alio domino habuit, amittat: & dominus feudi in uſus ſuos illud redigendi modis omnibus habeat facultatem*, & 11. *f.* 28. §. *ad hoc*, 1. *f.* 21. (a) Va-

(a) Otto a S. Blaſio *in Chron. c.* 24. *an.* 1182. narrat, quod Imp. Frideric. I. Henricum Ducem feudo privavit, cum Italicis Hoſtibus contra imperium faveret: *Itaque memor contemptus a Duce Henrico apud Clavennam ſibi exhibiti in ipſum vehementiſſime exarſit, & quod Italicis hoſtibus Reipublicæ contra imperium faveret, univerſis Principibus conqueritur. Dataque ei Curia apud Ulmam ipſum ad judicium ſubeundum imperiali more citavit. Quo non veniente, Curiam ſibi ſecundam Ratiſponæ præfixit: quam parvi pendens, tertiam nihilominus apud Herbipolim ſibi datam ſuperſedit ibique ſententia Principum Ducatu Norico cum Saxoniæ & omni prædiorum & beneficiorum poſſeſſione, feudali pœna mulctatus, privatur. Ipſe autem more paterno majeſtati cedere, regalemque gratiam quærere dedignatus, dum ſe exiſtimat ſtare, cecidit, perditumque ſtatum dignitatis uſque ad terminum vitæ nunquam recuperavit.*

Digitized by Google

Vaſallus plerumque non niſi requiſitus ſervire tenetur, II. *f.* 7. ibi, *& inde generaliter, vel ſpecialiter fuere requiſitus*. Hinc ſi longiſſimo tempore non ſervivit, nihilominus feudum non amittit, modo ſervitium fuerit perſonale, nam obſequium, reverentiam, etſi non requiſitus, ſemper præſtabit, quum hoc ſint naturalia II. *f.* 6. & 7. Excipitur, ſi dies interpellat pro homine, ſi ſciat magnum domino imminere periculum, tunc ſine monitione, vel ipſe ſervire, vel ſubſtitutum mittere æque idoneum; vel dimidium reditus feudalis unius anni ſolvat, Scrad. *par. VI. c. 6. n.* 43. Curt. *par. IV. n.* 61. Ardizo *in ſum. c.* 67.

§. XIX.

Inveſtitura non renovata, recuſatio, abnegatio.

Inveſtitura non renovata: quum regula juris feudalis ſit, vaſallum poſt primam feudi inveſtituram, quæ nova dicitur, ſi dominus decedat; vel ipſe vaſallus fato cedat, ejus heredem a morte intra annum, & diem a domino feudi, ejuſve ſucceſſore inveſtituræ renovationem petere compelli, ſecus feudum amittit, I. *f.* 22. II. *f.* 24. II. *f.* 40. II. *f.* 52. II. *f.* 55. *præterea ſi quis infeudatus major quatuordecim annis ſua incuria, vel negligentia per annum, & diem ſteterit, quod feudi inveſtituram a proprio domino non petierit: tranſacto hoc ſpatio feudum amittat, & feudum ad dominum redeat*. Neque citatione, vel requiſitione opus eſt, quia dies interpellat pro homine, niſi aliter loci conſuetudo jubeat, ut ex dictis textibus conſtat, *l.* 2. *C. de jure emphyt.*, Vultej. *lib.* I. *c.* 7. *n.* 99. 100. & 101. modo juſta de cauſſa non detineatur, de qua *in lib.* III. *dixi* (a). Recu-

---

vavit. Nam Imperator prædiis, & beneficiis ſibi cedentibus Ottoni Palatino de Witlinsbach Ducatum Noricum conceſſit, ac Bernhardum Comitem, de Anehaldo Ducatu Saxonico ſublimavit, procinctumque movit contra Henricum Ducem omneſque Civitates, & Caſtella, eunctaque juris ipſius in Svevia, & Bavaria, & in Saxonia.

(a) Et cecinit Gunther. *lib. VIII. v.* 605.

Succeſſor feudi, totum ſi forte per annum
Atque diem, tacto primæ jam tempore pubis
Sive dolo, ſive deſidia, ſive mente ſuperba,
Perdat, & hæc dominus proprios aſſumat in uſus
Spreverit a domino feudalia poſcere jura.

Attamen moribus hodie hæc privatio ceſſat, & duplicatum laudimum præſtat, ut jure Regni ſi vaſallus intra ſtatutum tempus rele-

Recusatio: videlicet jurisjurandi, quod vasallus in investiturae renovatione domino praestare nolit II. *f.* 3. *nulla autem investitura debet ei fieri, qui fidelitatem facere recusat, cum a fidelitate feudum dicatur: nisi ex pacto acquisitum sit ei feudum, ut sine juramento fidelitatis habeatur*. Si itaque vasallus fidelitatem denegat, patet & Dominus ei feudum, & investituram denegare, atque auferre, Cujac. *lib.* II. *f. IV.* ibi Alver. *n.* 5. Animadvertendum; si senior novum feudum vasallo concedere velit, & vasallus fidelitatem praestare recusat, recte senior denegat investituram. Aut jam investivit, & etiam vasallus jurare nolit, jure suo privabitur. Vel de veteri investitura agitur, sive tacite, hoc est elapso tempore anni, & diei non jurat, vel expresse animum declarat, quod jurare omnino detrectet, feudo suorum majorum cadit. Idcirco feudista utitur voce *nulla*, id est, tam nova, quam vetus; nisi feudum adquisiverit, ne jurare teneretur, quod Hotom. *in d.* II. *f.* 3. immerito arguit; non quia feudum sine fidelitate dari possit, sed pacto recte convenitur, ne juret; quia aliud est fidelitas omni feudo necessario inhaerens, aliud fidelitas jurata, hoc est cui jusjurandum per accidens tanquam extrinseca qualitas adnectitur. Denique, licet jusjurandum fidelitatis investitura praecedere soleat II. *f.* 4. quia ea vasallus ad hanc *venerationis speciem obligatur*, tamen in casu, de quo feudista *in d. f.* 3. loquitur, constabat, vasallum noluisse fidelitatem jurare, cui idcirco Dominus investituram negat, ibi Glos. *v. recusat*, Alver. *loc. cit. n.* 3., Gudelin. *de feud. par.* II. *c.* 7. *n.* 2. *&* 3.

Abnegatio: si vasallus a suo patrono feudum dolo malo non recognoscit, eique fidelitatem exhibere abnuat, II. *f.* 34. §. *si fuerit*, II. *f.* 26. *vasallus si feudum, vel feudi partem, aut feudi conditionem ex certa scientia inficiatur, & inde convictus fuerit, eo quod abnegavit feudum ejusve conditionem, expoliabitur; alius autem vasallus, quamvis hoc sciens non patefaciat, feudum tamen retinet: aut si aliam rem Domini celaverit vasallus, feudum tamen non amittit*. Ratio legis est, quia qui recognoscit ab alio feudum, illud alienare, atque abuti videtur, & qui alienat, aut abutitur, sine domini consensu, amittit. Nec refert, an ab inimico, an ab amico senioris recognoscere tendat, cum eadem ratio suadeat, Scrad. *par.*

---

relevium nun solvit, duplicatum praestat. Recte A. Matth. *Analect. to.* III. *p. m.* 767. *Hodie tamen tam rigide cum vasallo non agitur. Acquiescit vulgo dominus, soluto duplo laudemio, & patentem restituit, excepto, quod desidis, si & idem prorsus contumax, non eadem semper ratio*. Quod & ad jus Transisalanicum pertinet.

Digitized by Google

par. IX. c. 6. n. 13. Jac. a S. Georg. §. *dictique vasalli promis. recognosc. n.* 34. Vultej. *lib.* 1. *c.* 11. *n.* 47. Modo dolus malus adsit, sciens prudens negat. Si ignorat, excusatur, non tamen si ignorantia fuerit supina, quæ tunc dolo comparatur, Alver. *ad d.* §. *vasallus n.* 5. Cujac. *lib. IV. f.* 5. si dubitans respondit, non amittit, quia non inficiator, sed errans, atque ignorans existimatur *l. ult. C. de cond. ind.* Atque si totum negat, totum, si partem, partem amittit, ne pœna delictum excedat, Glos. *in d.* §. *vasallus*, Clarus §. *feudum q.* 59. Aut si post inficiationem se submittat, contumaciam, erroremque luere, & purgare velit, feudum non perdit, si expensas domino, si quas fecerit, restituat, ut ex æquitate invaluit, Alver. *loc. cit. n.* 6. (*a*).

§. XX.

Arcani enunciatio, contumacia, feudi alienatio.

A *Reani enunciatio*: dum vasallus secreta senioris pandit, 11. *f.* 5., 1. *f.* 17., 11. *f.* 7. *Si aliquid mihi de secreto manifestaveris, illud sine licentia nemini pandam, vel per quod pandatur, faciam.* Nam opponitur ~~ju~~ jurisjurandi fidelitatis *tutum*, hoc est ne in secreto noceat; & perfidiæ, ac proditionis crimen incurrit. Sive hostibus domini, sive amicis, vel omnino extraneis, sive præteritum, sive futurum secretum patefaciat; sive literis, sive verbis expromat, modo animo nocendi, & dolo malo faciat. Hinc si simplicitate, aut ignorantia prodit, etiamsi Domino noceat, feudum non amittit, quia omne delictum dolo & culpa committitur. Verum, quia delictum dolo factum præsumitur, si dubium occurrit, an valallus dolo, an simplicitate pandit, ex dolo malo id feciſſe obtinuit, & probatio non seniori, sed vasallo incumbit *l.* 1. *C. ad l. Corn. de Sicar. l.* 5. *C. de injur. cap.* 1. *de præsumpt.* Andr. Alver. & Glos. *in* 1. *f.* 17. Scrad. *par. IX. cap.* 5. *n.* 42., Vultej. *lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 21. Rosent. *cap.* X. 30.

Contumacia: si vasallus legitime citatus, nolle se comparere, aut

(a) Inficiatori jure Romano non una pœna imminet. Beneficio, quod socius habet, ne conveniatur, nisi in id quod facere potest, caret, si se socium esse negat, ut actionem pro socio effugeret, *l.* 22. *in fin. D. de re judicat.* feudum est societas, est fraternitas jurejurando sacrata. Qui negat se esse fidejussorem, amittit beneficium divisionis, quod D. Adriani Epistola pluribus fidejussoribus concessit, sed in solidum damnatur, *l.* 10. *D. de fidejussor.* & similia.

Digitized by Google

aut juri obtemperare respondit, & jussa senioris contemnit, II. *f.* 24. *Est & alia ingratitudo notanda, si dominus investituram pollicendo vasalli fidelitatem petierit: & illo non praestante, dominus tribus vicibus convenienti tempore interposito, forte septem dierum spatio, ad curam suam super hoc reclamaverit: & vasallus tribus vicibus citatus a suis paribus jurare noluerit: si tamen beneficium tale sit, ut pro eo jusjurandum fidelitatis fieri debeat. Sunt enim quaedam feuda ita data, ut pro his fidelitas non sit praestanda.* Et Berthold. Constantiens. in Appendice ad Hermannum an. 1070. *Otto Dux Bajoariae Regi Heinrico rebellat, & magnus filius Ottonis Ducis Saxoniae Aquilonaris: sed Rex praedictum Ottonem, cum legitimae ad satisfactionem vocatus, nollet venire, ducatu privavit.* Et Alteser. *de O. F. c.* 16. Hic non juris regula, sed exemplum contumaciae proponitur. Etenim distinguam, vel contumaciam circa judicia, vel circa negotia contrahit. Circa judicia, si vasallus post trinam citationem non comparet, feudum amittit, & Dominus in possessionem mittitur, & si nec post annum venerit, possessione, & feudo caret, II. *f.* 22., quarta etiam contumacia post annum esse debet, Alver. ibi *n.* 7. Aut si filius vasalli dominum offenderit, & dominus a patre petiit, ut filius satisfaciat, & pater nolit, vel paratus, sed filius contemnit, si contumax erit pater, feudum amittit; si filius, in feudo non succedit II. *f.* 55. §. *insuper.* Vel si valvasinus dominum superiorem laedat, & dominus superior vasallum suum, cujus offendens est valvasinus, requirit, ut satisfaciat, si uterque est contumax, ambo feudo cadunt *d.* §. *insuper.*. Excipitur, si offendit seniorem sui senioris, ut antiquiorem dominum, vel Imperatorem, vel Regem, vel religionem, vel patriam adjuvaret, II. *f.* 7. II. *f.* 55. *in fin.* Sousbec. *par. XII. n.* 61. Struv. *s. j. f. cap. XVI.* 17. *n.* 1. Exemplum refert Struv. *in Corpore Hist. German. period.* VII. *sect.* 2. §. 24.

Contumacia circa negotia, quae videlicet in judicio aguntur, de qua Obertus *in* II. *f.* 24. *illud tamen non lateat, quod si quis suo domino justitiam facere noluerit; feudum, quod tenebat, perdet: sicut in alio libello tibi scripsisse hoc credo.* Duo hic interpretes vexant, quid sit *justitiam facere*, & cur de citatione, & certo temporis spatio, sicut *in d.* II. *f.* 22., non meminerit. Dicam; *justitiam facere* feudistis familiare est, & plura ostendit, nempe si vasallus judicis munere fungitur, & suo seniori justitiam denegat, ut si testes, exceptiones, fidejussiones, & probationes senioris recipere nolit, si iniquam proferat sententiam, qua honorem senioris laedit, vel bona amittit. Sive causa fuerit civilis, sive criminalis, quoties dolo malo judicet II. *f.* 7. etiamsi Dominus deinde appellationis remedio vicerit, quia dolus malus adfuit, nec juris igno-

Digitized by Google

ignorantia eum excusat, quum hæc latæ culpæ comparetur, prolixe Scrad. *par.* IX. *c.* 7. *n.* 164. qui hac de re præcertis diligenter disputavit. Præterea justitiam facere est, si vasallus ad curiam senioris vocatus comparere nolit II. *f.* 22. modo citatio ad domini petitionem fiat, causam, locum, tempus, nomen citati contineat & licet unica citatio peremptoria tribus æquiparetur, tamen ut vasallus feudo mulctetur, ter citandus II. *f.* 22. ibi Glos. & Alver., Scrad. *par.* IX. *c.* 7. *n.* 44. nisi aliter consuetudo disponat. Cur vero in administranda justitia, ut vasallus contumaciam contrahat, citationem, aut aliud temporis spatium, sicut in *d.* II. *f.* 22. non requirat? cur justitiam denegans feudum amittit? Nec in *d.* II. *f.* 24. §. *illud subdatur*, vasallum intra anni spatium recuperare posse. Pistor. *lib.* II. *q.* 50. inquit, textum in *d.* §. *illud tamen* declarari a textu in II. *f.* 22. ut tam in contumacia administrandæ justitiæ, quam in jus, & curiam venienti certum tempus vasallo concedendum, & si post annum etiam persistat, possessione, & feudo privabitur; quia *d.* II. *f.* 22. est textus generalis, qui *d.* II. *f.* 24. §. *illud tamen* specialem declarare debet. Sed Rosent. *cap.* X. 26. *n.* 7. Scrad. *par.* IX. *c.* 7. *n.* 21. aliter suadet; ut textus in *d.* II. *f.* 22. loquatur, de vera & manifesta contumacia, quam vasallus commisit, sive in administratione justitiæ, sive in jus vocatione contumax fuerit, quia manifesto contumaci nullum tempus concedendum, & magis annus, idcirco *d.* II. *f.* 24. §. *illud* de manifesta contumacia, *d.* II. *f.* 22. de præsumpta intelligitur; & proinde in secundo temporis mentio, non in primo occurrit. Denique tunc contumacia vasalli ei feudum aufert, quoties causa erit feudalis & nec damnum seniori intulit, clientelam non amittit, Andr. in *d.* II. *f.* 22. *n.* 2. Rosent. *cap.* X. 25. *n.* 2.

Alienatio feudi: si vasallus, illaudato seniore, alienat, II. *f.* 52. II. *f.* 55., I. *f.* 21., II. *f.* 38. *Si vasallus contra constitutionem Lotharii Regis beneficium alienaverit, vi totum, perdet totum; si partem, partem perdat, & ad dominum revertatur*. Etiamsi statim aut postea redemerit II. *f.* 44. quia illicite alienatione statim feudum domino cedit, & jus ei quæsitum absque consensu, vel culpa sua auferri nequit *l.* II. *D. de R. J. l. fin. D. de pactis*, *l.* 2. *D. de Natal. restit.* Displicet autem Scraderi sententia *par.* IX. *c.* I. *n.* 15. quæ, inquit, etiam rusticos, mulieres, & milites ab ignorantia juris non excusari. Nam his personis ignorantia juris prodest, ne in damnum incidant, non ut lucrum faciant, *l.* 9. *D. de jur. & fact. ign. l.* I. *C. de interd. matr.*, Cujac. ad *l.* 7. & 8. *D. de jur. & facti ignor.* Hic agitur de pœna, quæ odium, non favorem, restrictionem, non extensionem meretur, & licet nec Lotharii, nec Fri-

derici Sanctio id expreſſerit, tamen juri Romano inſiſtit. Ab hac pœna immunis erit, ſi traditio non fuerit ſecuta, ſi feudum allodium eſſe putans vendit II. *f.* 26. §. *ſi vaſallus*, II. *f.* 42. aut dubitavit, quia dubitatio ignorantiæ æquiparatur *l. fin. C. de condict. ind.* Vultej. *lib.* I. *c.* II, *n.* 87. Scrad. *loc. cit. n.* 32. aut ſi contractus clauſulam contineat, ſi *dominus conſenſerit, ſalvo ſenioris aſſenſu*, quia ratio prohibitionis, nempe ſenioris contemptus ceſſat, Jac. a S. Georg. §. *& cum pacto de non alienando n.* 26. *&* 27.

§. XXI.

Vitium corporis, Clericatus, & Monachatus.

Vitium corporis: veluti mutus, ſurdus, manchus, cæcus evaſit I. *f.* 6. §. *mutus*, II. *f.* 36. *mutus & ſurdus, cæcus, claudus, vel aliter imperfectus, etiamſi ſic natus fuerit, totum feudum paternum retinebit. Obertus, & Gerardus & multi alii. Quidam tamen dicunt, eum qui talis natus eſt, feudum retinere non poſſe quia ipſum ſervire non valet. Sic dicimus in clerico, & in fœminis, & in ſimilibus.* Hujuſmodi perſonas non excludit domini liberalitas, quominus de feudo novo inveſtiantur, & earum vitia ſciens, ſervitia remiſiſſe præſumitur. Si vero novum feudum conceſſit, deinde in hanc inciderunt debilitatem, illud amittunt, ſicut etiam ſi naturale fuerit vitium, & miſerationis cauſſa tantum ei relinquitur quantum ſe alere poſſint *d.* I. *f.* 6. §. *mutus*, Alver. ad *d.* II. *f.* 36. *n.* I., Rothius in *Pandect. feud. cap.* VI. *q.* 20., & ibi [illegible]. Immerito Hotom. *diſp. feud. cap.* 41. *&* ad *d.* II. *f.* 36. [illegible] jus feudale accuſat. Nam clientela non pace, ſed bello [illegible] eſt, & qui arma induere nequit, & clientela non exornabatur, quod poſtea moribus Principum humanitas abrogavit. Hinc de noſtro Alphonſo I. Ant. Panorm. *de dict. & fact.* hujus Principis *lib.* I *cap.* 6. ſcribit. *Cum Stephanus Eques Neapolitanus poculo amatorio inſaniſſet, teneretque & oppida, & nonnulla regia officia, fuerunt, qui a Rege illa bona poſtularent, quod abſurdum viderytur, a demente hujuſmodi bona poſſideri. Quibus Rex contra inhumaniſſimum videri reſpondit, iis ſe etiam ſubſtantiam auferre, quibus ſors mentem, & cerebrum abſtuliſſet.*

Clericatus; ſi nempe ſacram veſtem aſſumit, & Deo ejuſque religioni ſe dedicat, & miles Chriſti evadit, II. *f.* 26 *qui clericus efficitur, aut votum religionis aſſumit, hoc ipſo feudum amittit, &* II. *f.* 30., II. *f.* 21. *f.* 36. quia cauſſa feudorum eſt ſervitium, vel militare, vel aulicum, vel paganicum, vel judiciale, aut ſimile,

ſed

sed præsertim militare, quod clericus, vetante canone, gerere non potest, & si non potest gerere officium, habere beneficium non debebit. Voluntas quoque concedentis fuit ei tantum feudum elargiri, qui servire valeret, si clericus deinde evadit, senioris voluntati adversatur, atque si sciviſſet, non concessiſſet, qua de re ne per substitutum quidem servire, nisi voluntate investientis, admittitur, Ardizo *in sum. c. 97.* Bammac. ad *d. §. qui clericus*, Rothi. *loc. cit. cap. xxii. q. 10.*, Stru. *s. j. f. cap. ix. 9.* qui etiam fatentur hodie potissimum in Germania clericus feuda retinere, & succedere quibus comparentur monachi, modo votum paupertatis, atque obedientiæ, non lædatur, servitium eorum curam non impediat, Pistor. *lib. ii. q. 33.* conf. Fagnan. ad *cap. viii. de const. 59. & seqq.*

TITULUS XI.

De cæteris feudorum amissionibus.

§. XXII.

Canon, statutum, crimen.

PRæter recensitas amissionis causas, nonnullæ & reperiúntur, quæ ob similitudinem gravitatis eandem merentur pænam, cum vox *feloniæ*, vel *ingratitudinis* tam lata sit, ut sua definitione coerceri non possit, quare merito feudista *in ii. f. 24.* inquit *quia natura novas deproperat edere formas, potest multis modis contingere, ut aliæ emergunt causſæ, quibus videatur juste adimi posse feudum, ideoque judex solers, & discretus, & æquitati obsecundare sollicitus cuncta subtiliter dispensset, provideat, si qua fuerit antiquioribus causſis similis, seu major: ut proinde sciat utrum beneficium sit amittendum, an nihilominus retinendum.* Si major igitur, aut similis sit causſa, recte vasallus feudum amittit, imo etiam minor & levis, modo ob eam convenit, ut vasallus privaretur.

Canon: hoc est, si in investitura pactum sit quotannis ex feudo pensionem persolvi: verum dubitatur, an vasallus statuto tempore non solvens, feudo privari possit? Seard. *par. ix. c. 6. n. 75.* Clarus *§. feudum q. 51.* Rosent. *cap. x. 34. n. 29.* aliique tenent non amitti, etiamsi per mille annos non solverit, quia in jure non cavetur, & hic de pœna agitur, quæ mitiorem interpretationem recipere debet. Sed errant, nam feudista *ii. f. 24.* docet, *sed non est alia justior causſa beneficii, amittendi, quam si id, propter quod beneficium datum fuerit, hoc servitium facere recusavit: quia be-*

beficium amittit. Servitium quemadmodum non eſt de ſubſtantia feudi, ita nec canon, ſi illud non præſtatur, feudo cadit, igitur idem, ſi canonem non ſolvit, nec in jure ſervitii ſpecies ſtatuta eſt, ſed modo militaris, modo aulica, nunc perſonalis, nunc realis, vel tacite, vel expreſſe paciſcitur. Canon eſt etiam ſervitii ſpecies, igitur ſicut quodlibet ſervitium ſi non exhibet, feudum amittit, ita ſi canonem, ſtatuto tempore non perſolvit. Et licet vaſallus ſervire non teneatur, niſi a domino requiſitus, tempus tamen in inveſtitura pro canonis ſolutione appoſitum, pro domino interpellat. Denique donatio revocatur, ſi donatarius pacta non ſervabit, ergo etiam feudum, præſertim cum feudalis contractus, cui hac penſio impoſita eſt, jurejurando fidelitatis confirmetur *l. fin. C. de rev. voc. donat.* Curt. *part. IV. n. 79. in fin.* Vultej. *lib. I. c. II. n. 101.*

Statutum: quod nempe vaſallus contra libertatem, immunitatem, jura, & privilegia illius Eccleſiæ condiderit, a qua feudum recognoſcit. Honor. III. in *cap. gravem 53. de ſent. excom.* qui Benfilio Epiſcopo Senenſi (cujus ſedem in Archiepiſcopatum Pius II. evexit) ſcribit, ut Conſiliarios, atque Officiales a Piſanis, ad componenda ſtatuta deſtinatos excommunicaret, quum contra Eccleſiæ libertatem ſtatuiſſent, & poſtea ſubdit, *ceterum cum iſidem ſtatutarii multa de bonis eccleſiaſticis tenere dicantur in feudum, ipſos fore nihilominus privatos feudis hujuſmodi, nunciare procures*. Alteſcitur ad *cap. VII. de Conſtit.* merito; quia ſicut ſenioreм offendens, feudo cadit, ita & Eccleſiam, quæ ratione feudi ſeu directi dominii domina nuncupatur. Quodnam dicatur ſtatutum Eccleſiaſticæ libertati nocens? vide Gonſal. & Fagn. *ad cap. VII. de Conſt.* ubi plura, ſed cenſura digna exponunt, & nugas proferunt. Nam illud ſtatutum improbari oportet, quod jure Eccleſiæ a religione, a ſacris litteris, a traditionibus, & vetuſtate profecta lædit, non quæ a Principum clementia, cum hæc ſuadente publica utilitate, mutari poſſint. Nonnullis placet, etiam ſi clericum Eccleſiæ occiderit, feudo ſtivari, ego admitto, ſi Eccleſiæ damnum afferat, Roſent. *cap. X. 34. n. 67.* infra dicam.

Crimen: cujus nomine crimen læſæ majeſtatis divinæ, atque humanæ, excomunicationem, & damnum patrimonio ſenioris illatum intelligo. Humana majeſtas pluribus modis læditur, videliſet ſi vaſallus ſui Domini, qui ſuperiorem non recognoſcit, caſtra oppugnat, ſi hoſtibus auxilia præbet, ſi armatos homines in urbe conveniat, ſi loca vel templa occupet, ſeditiones faciat, dolo malo conſilium init, ut magiſtratus odio Principis occidetur, ſi milites ſollicitaverit, quo ſeditio & tumultus firet, ſi falſum in publicis tabulis conſcripſerit, vel recitaverit, ſi prælii tempore, aut pacis caſtra hoſti-

Digitized by Google

hostibus cesserit, si injussu Principis bellum gesserit, si exercitum senioris in insidias deducat, *l.* 1. 2. 3. 4. *D. ad l. jul. majest.* Demum si Principis salutem, si & jura offendat, cujus læsio universæ societati, & publico bono damnum affert. Sive feudum a supremo Principe, sive ab inferiore teneat, quum bonorum confiscatione illud ad Dominum directum redeat, vel agnato cedat, quia in generali bonorum confiscatione, feudum, quod est diversi generis, non continetur, ne Principis fiscus damno alterius locupletetur, & qui in præjudicium alterius alienare contrahendo non potest, nec etiam delinquendo præjudicare potest *l.* 3. *C. de bonis proscript.* Et Alphenus Varus in *l.* 3. *D. de interdict.* inquit, patria deportatione, filios omnia amittere, quæ ab ipso, si in civitate moretur habituri essent, ea vero non amittere, quæ non a parte majoribus provenient, ut agnatio, & hodie feuda, majoratus, jus primogeniturae, jus patronatus, Retes *ad d. l.* 3. Cujac. VI. *obs.* 6. 23. Perez. *ad tit. C. de bon. proscript. n.* 10. & 11. cum fiscus loco extranei habeatur, & qui in investitura comprehensus non est, non succedit. Hinc Pauli doctrina in *l.* 48. §. *cornelio D. de jure fisci* in feudis non admittitur, in qua docet, Testator heredem rogavit, ut post mortem Titio hereditatem restitueret; heredis bona sunt publicata, Titius agit se fisco potiorem esse. Rescriptum, excluso Titio, fiscum præferri, quia nondum dies fideicommissi, hoc est mors heredis venerat, ibi Cajus. Nam si vasallus crimen confiscatione dignum committit, dominus, aut agnatus, queis jus quæsitum est, excluso fisco, præfertur, Camerar. *in* 11. *f.* 45. *q.* 17., Pistor *lib.* 11. *q.* 15. *n.* 7. Rothius *in pandect. feud. c.* XXIII. *q.* 31. & 32.

Divina Majestas pluribus quoque modis offenditur, sed præsertim hæresi, in quam si vasallus incidit, feudo privatur, quia hoc crimen gravius læsæ Majestatis delicto judicatur, *cap. n. de hæret.*, nam ubi major est jurium copia, major est læsio, & proinde majus crimen censetur. Nullum Ens tot juribus gaudet, quam Deus, ideo facile homo eum offendit. Nec hæreticus in Curia Domini cum honore stare, nec testis esse, nec par Curiæ ad jus dicendum, nec militare potest, 11. *f.* 37. feudum adquirere prohibetur, Scrad. *par.* IX. 11. *sect.* 8. *n.* 25. Rothius *in Paud. feud. cap.* VI. *q.* 23. Nec feudum clerici hæretici ejus Ecclesiæ, nisi patronæ, sed Domino aperitur. Excommunicatus, modo anno in excommunicatione perseveret, quem pro hæretico Alex. IV. *in cap.* VII. *de hæret. in* VI. existimat; præsertim cum ab omnibus fere evitari debeat, Rosent. *cap. x.* 35. *n.* 97. Verum si juris gentium vestigia sectari velimus, excommunicatus nunquam feudo mulctandus, quia excommunicatio nostrarum rerum dominia non aufert.

Nihi-

Nihilominus ſemper in eccleſia obtinuit, Principes, Reges, Comites, Duces, vel ſimplices feudatarios, ſtatim ac in hæreſim incideriut, imperio, & feudo privari. Innoc. III. an. 1215. in lateranenſi Baſilica celebravit Concilium lateranenſe IV. & œcumen. XII. & in *can.* 3. conſtituit, *ſi vero Dominus temporalis requiſitus, & monitus ab Eccleſia terram ſuam purgare neglexerit ab hac hæretica fœditate, per metropolitanum, & ceteros Comprovinciales Epiſcopos excommunicationis vinculo innodetur. Et ſi ſatisfacere contempſerit infra annum ſignificetur hoc ſummo Pontifici; ut ex tunc ipſe vaſallos ab ejus fidelitate denunciet abſolutos, & terram exponat catholicis occupandam, qui eam, exterminatis hæreticis, ſine ulla contradictione poſſideant, & in fidei puritate conſervent. Salvo jure Domini principalis, dummodo ſuper hoc ipſe nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod impedimentum opponat. Eadem nihilominus lege ſervata, quoad eos qui non habent dominos principales.*

Patribus lateran. Concilii occaſionem præbuit Raymundus Toloſanus Comes, Raymundus Rogerius Comes Furenſis, Bernardus Convenarum Comes, & Gaſto Vicecomes Bearnenſis, & Comes Bigorræ, qui, inito inter ſe fœdere, Albigenſes hæreticos tuebantur. Nec Reges, vel Imperatores comprehendit, ſed eos tantum, qui feuda ab eccleſia tenent, ab aliis recognoſcunt, modo ſeniori ſive domino principali non noceant, ibi *ſalvo jure domini principalis*. Hunc Canonem duabus conſtitutionibus, de ſtatutis contra eccleſiæ libertatem æditis Fridericus II. confirmavit. Eadem Pontifex in eo ſtatuit, qui *dominos principales non habent*, hoc eſt, qui Oppida, aut prædia ſine nexu feudali, vel alia ſervitute poſſident, ſed jure *franci allodii*, licet ſupremum Principem ratione juriſdictionem recognoſcant, & ſenſiant. Sunt, qui putant, ut Bellarminus, Perronius, Roncaglia, aliique hunc canonem ad Reges, atque Imperatores etiam pertinere, quos S. Pontifex & excommunicare, & imperio expoliare ob hæreſim poſſit. Quod nunquam mihi ſuaſit: nam ultima pœna Eccleſiæ eſt excommunicatio, præter quam non habet, quod facere poſſit, ſed tanquam ethnicum & publicanum exiſtimare debet. Imperia jus gentium, & populorum voluntas divinitus oſtenſa, non religio peperit; nec eccleſia pœnas temporales, nec privationem rerum noſtrarum, nec dominii ademptionem inferre valet, prolixe Dupin. diſſert. III. Boſſuet *in defenſione declarationis Cleri Gallicani par.* 1. *lib.* 1. *Sect.* 2. *c.* 22. & paſſim, Boehmer. *tit. decret. de ſent. excom.* §. 54. Nat. Alex. H. E. ſæculo XIII. & XIV. *Diſſert.* III. *art.* 3. fateor hoc jus ſibi Pontifices ſibi vindicaſſe, ſed malis avibus, potius eccleſiæ damna, cedes,

des, & devastationes, quam religioni commoda retulerunt (a).

Aut si damnum senioris patrimonio inferat, II. *f. 6. ne sit ei in damno de suis possessionibus*, quod sub illa fidelitatis parte τὸ *utile* continetur; cavat, ne alii eidem patrimonio noceat, II. *f.* 24. §. *præterea*, qui tenetur damnum prohibere, si non prohibet, ipse dedisse videtur *l.* 2. *D. de Noxal. act.*, & Ulpian. *in l.* 13. §. 7. *D. locat.* de conductoris culpa, inquit, *exercitu veniente migravit conductor: deinde hospitio milites fenestras, & cetera substulerunt: si domino non denunciavit, & migravit, ex locato tenebitur.* Dubitatum est, an magna patrimonii jactura, an levis sufficiat? Rosent. *cap.* x. 35. n. 8. levem satis esse affirmat. Non suadet, quia licet feudista non distinguat, tamen levia in jure sæpe spernuntur, nec pœna delicto consentiret, si damnum æstimaretur decem, pœna viginti irrogaretur, Scrad. *part.* IX. *cap.* IV. n. 1.

§. XXIII.

Carcer, mutatio, defectus homagii.

CArcer: si vasallus sciens seniorem vinculis inclusum, cum potuit, non liberat, sive in vinculis, sive in libera degat custodia, modo

(a) Sapienter Lactantius *lib. v. de Justitia c.* 20. *Non est opus vi, & injuria, quia religio cogi non potest. Verbis potius, quam verberibus res agenda est, ut sit voluntas: distringant aciem ingeniorum suorum, si ratio eorum vera est, afferatur: parati sumus audire, si doceant. Tacentibus certe nihil credimus, sicut ne sævientibus quidem cedimus.* (*al. credimus*) *Imitentur nos, aut rationem rei totius exponant. Nos enim non illicimus, ut ipsi objectant, sed docemus, probamus, ostendimus. Itaque nemo a nobis retinetur invitus. Inutilis est enim Deo, qui devotione, ac fide caret. Et tamen nemo discedit, ipsa veritate retinente &c.* Dum Princeps supremus in hæresim incidit, monendus, exortandus, deprecandus, nisi resipiscat, divinæ vindictæ, divinæque Gratiæ manibus committendus. Dum privatus hæreticus evadit monendus legitime, & nisi contumaciam deponat, excommunicis, & temporalibus pœnis puniendus, exemplo Albigensium, de quibus Natal. Alex. *H. E. seculo* XII. *&* XIV. *disser.* III. *art.* 1. Nam supremus Princeps neminem supra se, nisi solum Deum, recognoscit, igitur nemo punire, nisi solus Deus potest, Cujac. *xv. obs. c.* 30. *&* XXVI. *c.* 35. Modo lex fundamentalis aliud non præcipiat, Cujac. *ad l.* 5. *D. de Just. & jure.*

Digitized by Google

modo sua agendi facultas, uti vult, impediatur, 11. *f.* 24. *si cognoverit dominum inclusum, & eum, cum potuerit, non liberavit, feudum perdit.* Excipitur, si dominus ob suum æs seu debitum, vel delictum carceribus includatur, quia ejus debita solvere, vel pœnam luere non obligatur, cum bonorum cessione ex lege julia se liberare possit, Jac. a S. Georg. §. *dictique vasalli n.* 37. Andr. & Alver. *ad d.* 11. *f.* 24. §. *item si delator*, & expressit feudista *in* 11. *f.* 26. §. *licet*, ibi, *quæsitum est, si dominus in perjurium incidat, quia dare non valeat, quod dare juraverat, & vasallus eum liberare possit suum pecuniam dando, & non faciat, an beneficium omittat? & responsum est, non amittere.*

Mutatio: hoc est, si vasallus feudo abutatur, & sanxit Imp. Fridericus I. *in* 11. *f.* 27. §. 7. *quicumque advocatiam suam, vel aliquod aliud beneficium inornate tractaverit, & a domino suo admonitus non resipuerit, & in sua perdurans insolentia, ordine judiciario, tam advocatia, quam beneficio exutus fuerit, si postmodum ausu temerario advocatiam, vel beneficium invaserit, pro violatore habeatur*, Thom. de Maria. *de Gener. feud. tit.* 2. *n.* 83. Capyc. *in invest. v. feuda amittuntur, cauf.* 48. Duaren. *cap. xiv. n.* 22. Inter feuda hic Imperator recenset advocatiam, quia hæc jure feudi concedebatur, dum ecclesias, & monasteria quorum quis erat advocatus, in suum mundiburdium recipiebat, *in compensationem vero harum molestiarum advocati certor reditus habebant de bonis ecclesiasticis, certa feuda: habebant spurtulas, ut vocant de judicibus, pœnis, bonis damnatorum*, inquit, Henr. Meibom. de *Origine Helmestadii* (*est in scrip. Germ. ejusdem to.* 3. *p.* 226.) (*a*).

(a) Assidue in monumentis mediæ ætatis feudum advocatia occurrit, & Meibomius *loc. cit.* illustrat, & nos prolixe in prolegomenis dedimus. Postea in commercio, hoc est alienari, pignorari, in dotem dari, hereditario jure possideri cepit. Conradus de Fabaria de Casibus Monasterii *S. Galli in Alemannia cap.* VIII. inquit, *Advocatiam etiam hujus Ecclesiæ* (hoc est Monasterii de Fabaria) *quasi hereditario ad se jure transmissam conjugis, quam acceperat, filiæ videlicet Philippi ad se jure transmissam. Et quoniam Heinricus Frater Abbatis partem hujus receperat Abbatiæ, ipse Rex Otto, ut cederet Advocatiæ Sancti Galli, Abbatiæ Fabariensis Advocatiam tricentarium Marcarum pondo pignoris obligavit.* Et paulo post, narrat Bertoldum Zaringiæ Ducem quatuor mille marchis argenti consensu Ministerialium Monasterii S. Galli advocatiam emisse, *Abbas seniorum fratrum posthabito consilio, sed*

Mi-

Abusus rei feudalis contingit, si arbores fructiferas incidat, exemplo mariti, qui utiles prædii dotalis arbores incidere nequit, *l.* 7. §. 12. *D. solut. matrim.* modo alias non substituat. Si silvas glandiferas, hortos pomis consitos contra loci consuetudinem evellet, quia non sunt in fructu, sed manent pars rei *d.* §. 12. At loci mores pro necessitate ligna cædere suadent, tunc feudo non privatur, aut si esset silva cædua *l.* 10. *D. de usufr.* Scrad. *par.* 1x. *c.* 6. *n.* 60. aut si nec magnam, sed levem feudo jacturam affert, nec ejus dolus intervenit. Quæ autem magna, quæve levis dicatur deterioratio? Judici arbitrio relinquitur, nempe ex feudi extensione, utilitate, arborum copia & necessitate vasalli existimabit. Ceterum mutare feudi formam, qua melior ejus reddatur conditio, permissum, ut ædificia, molendina, vivaria, piscationem, venationem, aliave imponere, sicut de emphyteuta traditum est, quod fructuarius nequit *l.* 8. 44. 61. *D. de usufr.* Scrader. *part.* 1x. 11. *sect.* 5. *n.* 38. Mutat quoque vasallus feudi conditionem, si subditos male agit, uxoribus eorum, vel filiis pudicitiam eripit, justitiam denegat, sævitiam exercet, collectis opprimat, injustas consuetudines inducit, Robertus Montens. *ad an.* 1166. *Willelmus Talevacius Comes Sagiensi, & filius ejus Joannes, & item Joannes Nepos ejus filius Guidonis primogeniti sui Comitis Pontivi concesserunt Regi Henrico Castrum Alencejum, & Roccam Mabirit, cum eis, quæ ad ipsa castella pertinent, & forsitan ideo munitiones perdiderunt, quia MALAS CONSUETUDINES ipsi, & eorum intercessores ibi tenuerant.* Rosent. *cap.* x. 33. *n.* 45. Welenbec. *cap.* xv. *n.* 6. Zasi. *pol.* xiv. *n.*

Defectus homagii. Nempe dum non est, qui onera feudi sustineat, vel sponte contumaciam confirmat, latitatque. Exemplum exhibet Innoc. III. *lib.* III. *Reg. XV. epist.* 13. *Cum bonæ memoriæ M. Scot. Nobilium virorum Cazaguerre de Orta. B. de Canalio, I. Raynaldi & P. Jaczonii, Castra Basanelli Palatioli, Bassani, & Aliani ab Ecclesia Romana in feudum tenuerit, & ex illis perceperit multa bona, ipsi prædicta Castra post ejus obitum, pro suæ voluntatis arbitrio detinentes, ad nostram præsentiam, ut nobis responderent de ipsis, accedere noluerunt, cum exinde fecerimus exquiri eosdem. Quia vero id nolumus in patientia sustinere, ne jus Ecclesiæ Romanæ negligere videremus: eisdem nobilibus nostris dedi-*

Ministerialibus magis assensum, qui potentiam dicti Ducis formidabant huic petitioni tam salubri acquiescere dissimulavit, fratri suo, nisi totam advocatiam magna pro parte vellet adjungere. Alterum emptionis advocatiæ exemplum dat Chronicon Lucebense *ad an.* 1254.

mus litteris in mandatis, ut usque ad cathedram Beati Petri proximo præteritam, quem eis terminum perempterium assignavimus, responsuri nobis de castris ipsis nostro se conspectus præsentarent. Dilecto filio Cinthio de Insula, nostris dantes litteris in mandatis, ut si prædicti Nobiles eodem termino ad nostram præsentiam non venirent: eadem castra nostro nomine recipere non differret. Universis insuper hominibus eorumdem castrorum injunximus, ut eidem ex tunc de castris ipsis ad nomen, & opus nostrorum respondere curarent. Atque has feudorum omissionis causas feudista, æquitas, & similitudo, mihi subministravit. Atque, amisso feudo, omnia subfeuda ad seniorem devolvuntur, Wolterus in *Chron. Bremensi* ad *an.* 1164. *volens enim Imperator vindicare pudorem suum in Duce Henrico humiliavit eum privans clypeo, gloria, & castris, & obedientia suorum. Et dedit suis ministerialibus, & advocatis prædia, & castra, quæ a Duce habuerunt.*

TITULUS XII.

De felonia feudorum Universitatum, & sociorum.

§. XXIV.

Ecclesia, Collegium, Uxor, Socius, Tutor, Procurator.

REperitur quædam vasallorum conditio, qui non suo, sed alieno nomine vasalli dicuntur, ut Prælatus Ecclesiæ, civitatis administrator, maritus, tutor, curator, procurator, & qui sunt; an eorum felonia feudum amittatur.

Si Prælatus delinquit, & feudum ad Capitulum spectat, ejus felonia Capitulo non nocet, quia culpa, vel dolus unius alteri nec prodesse, nec nocere debet. Si erit commune, portionem suam amittit; Si ad mensam spectat ipsius Prælati, ipso vivente, dominio aperitur, post mortem vero ejus, ad successorem in ecclesia Imp. Conradus *in* 21. *f.* 40. *Item si clericus, veluti Episcopus, Abbas, beneficium habens a Rege datum non solummodo personæ, sed ecclesiæ, ipsum propter suam culpam perdat, eo vivente, & ecclesiasticum beneficium, vel honorem habente ad Regem pertineat: post mortem vero ejus ad successorem ejus reverteatur.* Appellatione *mortis* hic mors etiam civilis intelligitur, nempe degradatio, depositio, imo & renunciatio, seu translatio: nomine *Prælati*, rector, Abbas, & Episcopus venit; nomine *Senioris*, tam supremus Princeps, quam inferior, & privatus con-

tie-

Digitized by Google

tinetur; modò feloniam commisit, dum Prælatus erat. Nam antequam hanc adquireret dignitatem, si delinquit, ecclesia feudo non privabitur, ita Interpretes *ad d. §. item*, Scrad. *par. IX. II. sect. 9. n. 70.*, Struv. *s. j. f. cap. XV. 15. n. 6.*

Disputatum ab Interpretibus est, an lex Conradi specialis esset, ut tantum in feudo, quod a Rege, vel Imperatore tenet, procederet? Ratio dubitandi est, quia si Prælatus velit res Ecclesiæ alienare, consensus capituli requiritur, igitur delinquendo easdem Ecclesiæ aufere non potest, dum Procurator, & usuarius esset. Similiter si Ecclesia habeat emphyteusim, & statuto tempore, Prælatus canonem non solvit, Ecclesia jure suo cadit. Ego, prætermissa opinione, quam Rosent. *cap. 3.* refert, inquam legem Conradi generaliter intelligendam: nam delictum Prælati, sive in omittendo, sive in committendo consistat, privat Ecclesiam feudo, donec ipse vivat, & Dominus fructus percipit, quia iniquum videtur unius delicto deteriorem ad eo alterius reddi conditionem, ut nullo modo restituatur. Feudum senior non Prælatis in Ecclesia successuris, sed Ecclesiæ concessit; non iis, qui in Ecclesia ministrant, sed Deo, usibusque divinis destinavit, & tempore infeudationis, Deum, ejusque cultum, & venerationem, non ministros contemplatur. (a) Imo Conradi constitutio imperiali, qua solet, æquitate non abundat. Cur, vivente Prælato, Ecclesiæ patrimonium fructibus feudi erit defraudandum. Cur [illegible] ad tempus, mulctanda? Cur delictum unius alter[illegible] jubeat [illegible] quis, exclamante Cæsare, aliter respondebit?

Ecclesiæ Prælatis proximi sunt Civitatum, atque Universitatum Administratores, Defensores, Syndici, Decuriones, quæ a Rege, vel

(a) Sic legatum sacerdotibus ecclesiæ relictum, vel Reipublicæ, alteriusve Collegii ministris, semper durat. Scævola in *L. 20. §. 1. D. de annuis leg.* speciem proponit his verbis, *quisquis mihi heres erit, fidei ejus committo, uti det ex reditu Cænaculi mei, & horrei post obitum, Sacerdoti, & Hierophylaco, & libertis, qui in illo templo erunt, denaria decem die nundinarum, quas ibi possui.* Respondit hoc legatum non modo ministris templi deberi, qui tempore testamenti erant, sed & successoribus, quia testator non ministros, sed ministerium, non Templi Sacerdotes, sed ipsum Templum designavit, nec semel, bis, ter decem præstari, sed in perpetuum voluit. Et constat *ex can. 3. C. XII. q. 3. cap. 15. de Testam.*

Digitized by Google

vel Comite, Duce, Marchione, vel privato feuda recognoſcunt (a). Si hujuſmodi adminiſtratores ſoli in Dominum deliquerunt, feudum, donec ipſi vivunt, Domino aperitur, aut ſi renuncient, vel maximam, aut mediam capitis diminutionem patiantur, feudi amiſſio ceſſat, Thom. de Marin. *de Geneer. feud. tit.* III. *n.* 29. Ardizo *in ſum. c.* 63. Alver. *in* II. *f.* 55. §. *præterea ducatus n.* 6. quia imputandum univerſitati, qui talem propoſuit adminiſtratorem. Quod ſi ſinguli de univerſitatem Dominum lædunt, feudum non amittit, ut ſervus communis civitatis, non ſingulorum pro parte, ſed univerſitatis intelligitur *l.* 6. §. 1. *D. de R. D.* qui manumittitur a collegio, ſingulos de collegio in jus vocare poteſt, quia non eſt ſingulorum libertus, ſed Reipublicæ honorem debet *l.* 10. §. 4. *D. de in jus vocan.* Tunc autem Univerſitas feudo cadit, cum ipſamet ſeniorem offendit, hoc eſt non magna, aut major civium pars, ſed omnes de Univerſitate, agmine facto, unico conſenſu, atque impetu ſeniori nocent. Aut ſi unus, pluresque offendunt, quos deinde univerſitas tueatur, recipit, vel fovet, etiam feudo privatur, quia ratum habere delictum videtur, Scrad. *par.* IX. II. *ſect.* 9. *n.* 50. *& ſeqq.* Afflict. *dec.* 367. *& ex cap.* 53. *de ſent. excom.* ſupra dictum eſt.

Uxor ſi feudum in dotem dedit, an maritus in ſeniorem delinquens feudo privetur? Placet maritum hic Prælato comparari, ut donec ipſe vitam vivat, feudo careat: decedente, uxor recuperet, Nam regula juris eſt maritum dotem ſine mulieris conſenſu, vetante lege julia, alienare non poſſe, *dotale prædium italicum maritus, invita uxore, ne alienato, neve conſenſiente ea obligato*, quam Juſtinian. in *l. un.* §. 15. *C. de rei ux. act.* ad fundos provinciales extendit, Pratej. *ad l. jul. de fund. dot.* Multo magis feudum alienari prohibetur, cui & conſenſus mulieris, & ſenioris accedat oportet, & qui favore tertii alienare nequit, nec delinquendo eam amit-

(a) Hos *Provaſallos* dicimus, qui olim in monaſteriis ſub *Vicariis* comprehenſi fuerunt, quorum ſane origo a clericis eſt, qui poſtquam ampliſſima feuda a Principibus, & Comitibus habuerunt, ne ſacros functiones læderent, cum militaria ſervitia præſtare non poſſent, provaſallos ad ea peragenda conſtituebant. In Monaſteriis ille dicebatur *Vicarius*, qui vice Monaſterii, vel Eccleſiæ Seniori ſive domino feudali, de delictis feudalibus, laudimiis, ſive releviis, aliiſque beneficii oneribus reſpondebat. Hodie *hominem* viventem, morientem, & confiſcantem dicimus. Cujus morte feudum relevari ſive relevium ſolvi oportet, *ut lib.* III. actum eſt, & exempla præbet Fleiſcherus *Inſt. fur. feud. cap.* XV. §. 13. *in not.*

Digitized by Google

amittere valet. Nec publicatis mariti bonis, res uxoris successione, emptione, & largitate viri a se adquisitæ proscribuntur, quia hæc *pudicitiæ præmio* cesserunt, ut, inquit Constantin. *in l. 24. C. de donat. int. vi. & ux.* eo magis res dotalis, quæ est propria uxoris, Perez. ad *tit. C. de bonis proscriptor. n. 6.* Nec etiam alienat, si forsan feudum æstimatum in dotem accepit, quia tunc consensu senioris, ut supra dixi, indigemus. Hinc Andr. in 11. *f.* 40. *n.* 19. ab omnibus fere rejectus est, qui delicto mariti feudum domino aperiri asseruit, Scrad. *part.* IX. 11. *sect.* 9. 75. Nec etiam tutor, socius, vel procurator delinquendo pupillo, alteri socio in sua portione, minori, & principali nocere potest, quia his nihil, nisi sola, simplex, & nuda in rebus feudalibus, tanquam patribusfam. administratio concreditur. Dominium vero, utilitas, & fructus pupillo, minori, & principali cedunt,

TITULUS XII.

De caussis amittendi feuda, subfeuda, & directum dominium, jure Regni Neapolitani.

§. XXV.

Fidejussio, felonia, servitium, forjudicatio, alienatio.

HActenus recensitas feudorum amissionis caussas jus nostrum municipale fere integras conservat, nonnullas potius in solemnitatibus, & circumstantiis committendi subjungit, quam de novo invenire intendit, atque has expiscari diligenter curavi, quum in ceteris jure Longobardico vivamus.

Fidejussio: de qua Frideric. II. in Const. *si vasallus lib.* III. 19. *si vasallus a domino suo publice requisitus pro eo fidejubere noluerit, vel felloniam contra ipsum, filios, vel uxorem commiserit, vel servitium, quod ei debet ter submonitus non præstiterit, vel rationem pro eo in curia conquerentibus de eo, quod ad dominum spectat, per sententiam judiciis facere noluerit, dominus potest de eo, quod tenet ab ipso ipsum per exguardium dissasire.* Statuit de subvasallo qui contra Baronem suum, sive seniorem felloniam, hoc est quamlibet ingratitudinem feudi privationem dignam commisit. Et Baro si alios vasallos, qui a se feuda tenent, habet, eorum voto, cum sint suæ Curiæ Pares, damnare tenetur. Si felloniam commisisse pronuncient, *dissasire*, hoc est possessione exuere per *exguardium* seu Patium determinationem poterit, Andr. *hic*. Loqui-

quitur noster Cæsar de amissione subfeudi, quod quis a Comite, vel Barone tenet, & sex amissionis causas enumerat, fidejussionem, feloniam contra seniorem, ejus filios, uxorem, servitii, & justitiæ negationem.

Si vasallus itaque a Seniore *publice*, hoc est citatione a judice competente facta, requisitus, ut pro eo fidejubeat, si fidejubere nolit, feudo privari potest. Petrus de Vineis secutus est Ardizonis sententiam tunc ab ipso editam, Nam Ardizo fuit Azonis discipulus, & ante Constitutionum promulgationem suam summam publicaverat, Franc. de Andr. *disput. feud. cap.* III. §. 1. *n.* 2. Verum Ardizonis thesim fere omnes feudorum interpretes abdicarunt, Alver. *in* II. *f.* 26. §. *licet vasallus n.* 7. Welenbec. *cap.* IX. *n.* 17., Rosent. *cap.* VIII. 28. *n.* 3., Clarus §. *feudum q.* 24. Nihilominus jure regni vasallus fidejubere cogitur. Aut si *feloniam* commisit, cujus significatio letissime patet, omnemque læsionem continet, quam senior in bonis fortunæ, animi, & corporis, non modo sui ipsius, sed etiam filiorum, & uxoris propter affectionem, amorem, & fictione juris unitatem, pati posset,

Servitium: sive certum, sive incertum vasallus ter submonitus præstare nolit, & possessione, & proprietate feudi privari potest, sicut feudista *in* II. *f.* 24. §. *sed non est statuit*, Hac tamen trina admonitione opus non est, si Rex a suis Baronibus, & vasallis servitia, aut militaria, aut aulica, aut judicialia exigit, sed tantum in Barone, qui hac solemnitate admonere suum valvasinum, ut serviat, debet, Andr. *hic*, Afflict. *hic n.* 7. Et consuetudo apud nos obtinuit, postquam Rex solutionem adohæ decreverit, Commissarios in provinciis Baronibus indicere, ut intra tot dies adoham persolvant, secus, nisi justo suadente impedimento, feudo cadunt. Aut si non integrum præstat servitium, sed scienter diminutum solvit, veteri in Regno sententia quadruplum dependere tenetur, tanquam subtractor rei jam fisco adquisitæ *l.* 1. *C. de jure fisci*, & Rex Carolus II. de quo Andr. hic inquit, *finaliter ipse Dominus Rex voluit, & declaravit, ut esset pœna quadrupli in eo, qui soluit diminute adobamentum, vel facit servitium diminutum scienter. Unquid autem postquam declarasset, quod esset pœna quadrupli, posset legem condere, ut diminutè scienter solvens, vel serviens perdat feudum, sicut qui non solvit, vel servivit? in futuris concessionibus, & infeudationibus non est dubium, quia potest, quilibet enim rei suæ dicit legem, quam vult in præteritis non videtur, si tunc quando feudum fuit datum, erat pœna quadrupli, videtur repetitum, & in concessione tacite agi, ut si cesset servire, sic, scilicet in quadruplum tentatur.* Hodie ex cap. Roberti, quod hic no-

mi-

minat Afflict. *n.* 11. diminute solvens servitium ad transactionem admittitur.

Justitiam facere: quam seniori temere recusat, ibi *ratione pro eo in curia conquerentibus, de eo quod ad dominum spectat, per sententiam facere noluerit*, Richard. a S. German. *ad an.* 1223. *Imperator Comitatum Molisii in demanium revocat, pro eo quod Comes Molisii vocatus ab Henrico de Marra Magistro justitiario coram eo noluit ad justitiam faciendam*. Finge Baro de parte, aut juribus suæ Baroniæ aliquem juris peritum investivit, si hic judex eligitur, qui publice populo justitiam administrat, & Baronem, a quo ipse feudum tenet, coram eo de re allodii, aut feudali contendere contingat, & judex sententiam injuste proferre noluerit, Baro senior potest ipsum coram ordinaria feudorum curia convenire; ut hac caussa cognita, feudum amittat; quod antea feudista statuerat *in* 11. *f.* 24. *illud tamen non lateat, quod si quis suo domino justitiam facere noluerit feudum, quod tenebat, perdet, &* 11. *f.* 6., 11. *f.* 22. Sonsbec. *par.* XII. *n.* 9. Curt. *part.* IV. *n.* 60., & supra probavi. In his sex amissionum caussis senior *ipsum per exguardium dissasire*, hoc est judicis sententia vasallum feudo, & possessione expellere potest, & ævo Andreæ in Regno R. Curia justitiario provinciæ mandabat ut Baronibus exguardiantibus suos valvasinos adsisteret, Andr. hic, *v. Dominus*. Hodie hæc constitutio non servatur; sed illud obtinuit, quod si Baro vasallos opprimit ad feudi venditionem cogi potest, Tapia *lib.* VI. *jur. Regni tit.* XIX.

Sed quoniam inter vasallum, & seniorem mutua debeat intercedere obligatio, & æqualitas, ideo Federicus in Const. *si dominus lib.* III. 14. statuit, *si dominus vasallum suum, qui pro eo in criminali caussa fidejusserit, & a fidejussione non liberaverit, ipso jure ipsius homagium amittat. Si vero in civili caussa, vel pro debito ipsum fidejubentem liberare non curaverit, ad omne damnum, quod proinde vasallus incurrerit, Dominus teneatur, data licentia pignorandi vasallis dominos suos immobilibus, aut deinde in hereditariis, & ultimo in feudalibus, & etiam vendendi mobilia, postquam pro Dominis suis solverint, & hereditagia per annum a die solutionis, & pignorationis ea tenuerint, ut ex prædictorum pretio suæ indemnitati provideant. Feudalia tamen capta pignori obligare non poterunt, sed ex eorum fructibus indemnitati suæ similiter prospicere curabunt. E contrario si vasallus Dominum pro eo in criminali caussa fidejubentem liberare neglexerit, quicquid ab eo tenet, amittat. In quæstione vero civili, seu pro debito, si Dominus fidejussorem suum vasallus detractaverit expedire, data plena licentia Dominus, vasallus ejus integre teneatur.*

Hæc

Hæc constitutio duas continet partes: in prima sancitur, quod si valvasinus in caussa criminali pro suo Barone fidejussit, & Baro monitus, ut eum a fidejussione liberaret, Baro ipso jure ejus *homagium* amittit, hoc est jus vasallagii perit, & valvasinus de domanio Regis evadit, & pro illis bonis feudalibus, quæ a Barone tenebat, serviet Regi, cum feuda quaternata nunc existimentur quia a Rege deinde recognoscat. Si vero fidejussit in caussa civili vel debito, si dominus etiam monitus a fidejussione nolit eum eximere, valvasinus auctoritate propria ejus allodium mobile, deinde hereditaria pignorare, & post annum vendere valet, & in subsidium fructus feudi vendere, ut suæ indemnitati consulat. Nam feudum sine Regis consensu alienari nequit, hinc Fridericus agit hic de feudo quaternato secundum quid, in quo utercque requiritur consensus. In secunda parte statuit, quod si senior pro vasallo fidejussit in caussa criminali, & a fidejussiore monitus eximere nolit, feudum, quod ab ipso tenet, amittit; quod *consolidatio* dicitur. Si caussa fuerit civilis, vel debitum, Dominus auctoritate propria poterit ejus bona oppignorare, ut sibi satisfaciat, modo caussæ veritas constet, secus judicis auctoritas requiritur. Hodie hæc constitutio exolescit.

Eadem æqualitatis ratio placuit Friderico in d. Const. *si vasallus* qua certis de caussis Dominus feudi proprietate privatur, *si dominus pro vasallo suo, qui sit in curia criminaliter accusatus, de eo quod ad regiam majestatem non spectat, fidejubere noluerit, vel ipsum sine justa caussa verberavit, vel cum uxore sua adulterium commiserit, vel filiam ejus invitam defloraverit, homagium ejus amittat, & homo prædictus immediate ad curiam nostram pertineat.* Si itaque vasallus in criminali cussa accusatus, & vinculis mancipatus Dominum requirat, ut eum eximat, & fidejubeat, si ricusat, Dominus feudi proprietate privatur, vasallus de domanio Regis evadit, quia Dominus, & vasallus pari jure tenentur, excepto fidelitatis juramento, quod vasallus Domino, non viciſſim præstat 11. *f.* 6., 11. *f.* 47. excipitur quoque Princeps supremus quisi vices vasallo non reddit, proprietate non cadit. Nec etiam fidejubere tenetur, si vasallus læsæ majestatis crimen commisit, Afflict. *dec.* 265. verberatio non modica, & levis, uxoris adulterium, & filiæ stuprum vasalli feudi proprietatem domino, qui hæc commisit, auferunt.

Forjudicatio, de qua Frider. 11. in Const. *si quando lib.* 1. *tit.* 7. *si quando aliquem forijudicari contingerit, qui liberos habens, inveniatur feudale aliquid possidere, si quidem liberi ejus, vel eorum aliqui in pupillari ætate consistant, qui protectione Balii indigere noscan-*

Digitized by Google

scuntur, ipsorum Balium cum administratione bonorum eis contingentium Curia nostra suscipiat, quemadmodum in causse mortis Balium ipsum habere deberent, et autem pubertatis tempus excedentibus & in tutelam propriam venientibus, fructus partis illius, quæ viventem patrem, licet pro mortuo habitum, secundum prædictum modum, dinumeratione liberorum attenta, si res acquisita de feudo foret dividua contingere deduisset, patre ipso adhuc superstite curiam nostram percipere volumus & habere, pro ea tantum parte de servitio nobis pro feudo ipso debito diminuto, pro qua curiam nostram fructus percepisse constabit. Patre autem forijudicato naturæ debitum exolvente, pars illa cujus fructus Curia nostra perceperit ad integritatem, feudi libere revertatur.

Si enim vasallus, crimine forijudicatur, qui deportato comparari potest, statim feudum amittit, ac si decessisset. Sed si filios pupillos habeat, in feudo succedentes, Rex eis Balium assignat, donec ad pubertatem pervenerint, interim fructus feudi dividuntur, viriliter inter fiscum & pupillos, mortuo forijudicato, & finito Balio tum, omnes fructus filii adquirunt. Hæc constitutio plura nobis præbet (I) tam in morte naturali, quam civili hoc, est maxima, & media capitis diminutione patris vasalli, R. Curia recte ejus filiis pupillis Balium constituit, quia patrem habere non videntur, quem Princeps, id est populi voluntas, e societate repellit. Quamvis forijudicatus non semper pro mortuo existimetur, unde adhuc inter eum, & uxorem matrimonium perstitit, quia jus gentium, cujus forijudicatus capax est, in matrimonio potissimum spectatur *l.* 14. §. ult. *D. de Ritu Nupt. l.* 13. §. 1. *D. de donat. int. vir. & uxo.* licet jam vetustum innocenti conjugi a nocente discedere permittat *l.* 1. *C. de repud.* sed primus Constantinus M. Christi præcepto innixus, deportatione matrimonium dissolui vetuit *l.* 24. *C. de donat. int. vir & uxo.* & justinianio placuit *Nov.* 22. *c.* 13. Constantin. *subsid. mod. lib.* 11. *c.* 29. (II) filiis tantum in feudo succedentibus Rex Balium, non aliis forijudicati filiis concedit, ut si maximus filiis tantum succederet, balium accipit. (III) Superstite forijudicato, etiam filiis, vel agnatis extantibus pupilli, fiscus virilem fructuum partem lucratur, pro qua filii servitia non præstant, sicut in Anglia, durante pupillari ætate, quæ in illo ad ann. XXI. extenditur, Rex omnes feudi fructus percipit, dixi *lib.* I. *tit.* III. §. 9. Nam, etsi publicatione bonorum, feudum non adquiratur fisco, tamen ad Dominum redit; mortuo reo, ad filios, vel agnatos transfertur, & interim, sicut nonnullis placet, Dominus fructus excipit, Perez *ad tit. C. de bonis proscript. n.* 11. atque hæc Constitutio satis probat, Afflict. *hic n.* 3.

Prosequitur Fridericus in d. Const. *si quando* de subvasalli foriudicatione, *si forjudicatum a Comite, vel Barone feudum habere contigerit, ipso parentes, vel liberos non habente, feudum ad eum a quo ipse foriudicatus tenebit, sine contradictione aliqua redire debere censemus. Fructus tamen partis contingentis foriudicatum de eo, quod ab illo tenetur, si liberos habeat, pro numero liberorum foriudicato vivente, Curiæ nostræ percipiat secundum modum superius declaratum: quemadmodum & alia bona mobilia damnatorum secundum generalem assisiam regni nostri ad Curiam nostram spectant. Sed Comiti, vel Baroni, a quo feudum tenetur, nullum omnino volumus præjudicium generari.* Si itaque subvasallus, qui a Barone, vel Comite feudum tenet, foriudicatur, nec filios, aut parentes habeat, non Regi, sed Baroni aperitur: si filii supersunt, Baro ne in parte quidem unius filii succedit; sed fiscus in fructibus, vivente foriudicato, hoc est in parte fructuum tanquam unus filius succedit, nisi Rex jus confiscationis Baroni concessisset, quia tunc tanquam fiscus partem illam perciperet. Præterea hæc constitutio tam in feudo plano, quam quaternato secundum quid intelligenda, & devolutio non Regi, ut perperam nonnullis arrisit, sed Baroni cedit, a quo subvasallus foriudicatus tenet, dixi *in Proleg. cap. IX. §. 46.* Camer. *in 11. f. 55. p. 69.* Denique, sive supersint filii, sive deficiant, omnia bona hujus foriudicati mobilia fiscus occupabit.

In altera Const. *foriudicatorum bona lib. 11. 6.* Fridericus de foriudicatione filii sanxit, *foriudicatorum bona veluti damnatorum si liberos, vel parentes usque ad tertium gradum non habeant, fisci nostri commodis volumus applicari, nisi feuda sint ex concessione nostra, vel alio justo titulo acquisita, in quibus ascendentes liberis non succedunt. Si autem liberos ante bannum editum, aut foriudicationem emissam, vel jam natos habeant, vel conceptos, persona foriudicati liberis connumerata pro rata, & numero liberorum ad bona ipsa fiscum nostrum volumus advocari, ita videlicet quod si unicum filium tantum habeat, bona prædicta inter fiscum & ipsum pro æqualibus portionibus dividantur; si autem duos filios habeat, fiscus noster in tertia admittatur, & sic per consequens si plures sint liberi, eadem censura servetur, electione nostræ Curiæ servata, utrum partem bonorum ipsorum habere voluerit, vel æstimationem ipsius partis si æstimatio offeratur.* Nam si filius foriudicatur, & filios, aut parentes habeat ad tertium usque gradum, fiscus nihil accipit, secus omnia bona ejus mobilia occupat. Aut si foriudicatus feudum novum habeat, pater ei non succedit, ut jure longobardo *in 11. f. 50.*, & ratio alibi dicta est, Bartol. de Capua *hic.*

Digitized by Google

hic. Si vero filius haberet feudum antiquum, forsitan ab avo consensu Regis sibi donatum, & foriudicaretur, feudum amitteret, sed non Regi, verum Patri aperitur, Andr. *in* 11. *f.* 50. *n.* 4. *&* 7., Ardizo *in sum. cap.* 137. dicam in *Codice*, & ex Const. *si quando lib.* 11. 7. *v. sane si* constat. Cetera hujus Constit. verba, & mens interprete non indigent.

Contumacia: qua vasalli olim omittebatur feudum. Jure Longobardico, qui feudum negat, illud amittit, si inde convictus fuerit, 11. *f.* 26. §. *vasallus si feudum*. Sed jure Regni disputatum est, an Baro hac causa privari possit? Recte Bammac. *ad d.* §. *vasallus q.* 3. distinguit: Si Baro feudum, vel illius conditionem, seu servitium, aut partem feudi negat, feudo, vel parte privatur. Si autem non tantum servitium negat, sed diminutum præstari contendit, non amittit feudum, sed ad pœnam quadrupli damnatur. Ratio differentiæ est, qui negat feudum in fidelitatem initio investituræ præstitam peccat, hoc est substantiam feudi lædit: qui servitium solvit, sed diminutum, non in fidelitatem, sed in quantitatem peccat, idcirco mitius punitur. Hinc Andr. *in d. Const. si vasallus* narrat, *de hoc vidi magnam altercationem sapientium, & juris peritorum subtiliter allegantium coram inclyto Rege Carolo II. prout de ea alibi diximus.* (hoc est *in* 11. *f.* 26. §. *vasallus in fin.*) *Finaliter tunc Dominus Rex voluit, & declaravit, ut esset pœna quadrupli de eo, quod solvit diminute adobamentum, vel facit servitium diminutum sibi.*

Post Caroli II. ætatem disputatio sopiri cœpit. Nam R. Robertus in Cap. *nolumus tuam*, Statuit *Si Comes, Baro, aut quilibet alius bona feudalia a Curia nostra tenens, citatus ex more, ut cum debito, & consueto præsentet se nostris officiis in injuncto termino citatorio sibi præfixo, & obedienter veniens, præstet personale servitium, vel de permissione nostræ Curiæ pro adobamento pecuniam; tamen non integre sicut debet, non ipsis bonis feudalibus, vel eorum parte, sicut aliquorum rigorosa tenebat opinio tanquam contumacia contracta privetur*. Regis Roberti ætate in Regno disputabatur, an servitio non soluto, vasallus feudum amitteret: nonnulli tenebant, etiamsi in parte servitium, seu adoham non solvisset, toto, aut saltem pro parte feudo privari. Verum Robertus hanc pœnam remisit, & compositionem cum R. Curia permittere solebat. Ex hoc Cap. constat, in Regno Regis esse eligere, vel personale servitium, vel adoham, etsi jure communi vasallus a servitio compelli non possit, ut ipsemet serviat, si pecuniam solvere paratus sit 11. *f.* 55. *firmiter*, ibi Andr. & Alver. modo senectus, vel vasalli infirmitas aliud non suadeat.

Aut si Baro, vel Comes contumax non propter servitium statuto tempore non solutum, fuerit, sed ob delictum, quod commisit, cum citatus comparere noluerit. Moribus Regni non cadit feudo, sed illius jurisdictionem penes sequestrum Rex ponit, & Gubernatorem constituit, qui Regis nomine eam exerceat, fructus vero sequestrari non solent, ut judicatum refert Tapia *lib. v. Juris Regni tit. 19.* in d. Const. *si vasallus n. 22.*

Alienatio: Hæc caussa amittendi feudum non in Comite, vel Barone procedit; nam si feudum, inconsulto Rege, alienat, contractus corruit, & revocare ipsemet potest. Sed tantum in subvasallo, qui a Barone feudum tenet. Hic si sine sui senioris consensu alienat, feudo privatur, ut re judicata firmatum est apud Afflict. *dec.* 255.

§. XXVI.

Hæresis, lineæ interitus.

H*Æresis*: Hoc est vasallus hæreticos in suo domino persequi tenetur. Quamvis legibus nostris plura adversus Hæreticos statuta sint, tamen hæresim inter causssas amittendi feuda in Constitutionibus non perlegimus. Si Constitutionem Friderici II. *Paterenorum*, quæ Canonem tertium Concilii lateranensis nuper relatum confirmat, excipias, quam refert P. de Vineis *lib. 1. c. 27. & in cap. 25. & 26.* alias pœnas exponit. Sed in Reg. Caroli I. signato 1269. fol. 10. XII. indict. occurrit „ Collationibus preterea feodorum „ quaternatorum sive gentilium si qua ibidem consistunt vacantium pro „ tempore sive propter commissum per feodatarios hujusmodi crimine „ hereseos aut lese majestatis, sive pro eo quod absque legitimis heredibus „ decesserint ipsi feodatarii qui utique feoda per nos & nostros in „ Regno heredes & successores cuicumque vulneribus conferentur „ ita tamen quod predicti Petrus & heredes ejus habeant in feodis ipsis possessionis assignationem eorum ad mandatum nostrum „ per ipsos his quibus concessa fuerint faciendam habeant relevium aliaque servitia & jura quæ illis qui antea feoda ipsa tenuerant debebantur nisi forsan idem Petrus & heredes ejus nobis & predictis heredibus & successoribus nostris premoniti negligentes extiterint in gravando hujusmodi feodatarios hereticos „ seu rebelles in quo utique casu videlicet si premoniti in illis „ gravandis negligentes extiterint dominium & proprietas feodi „ heretici aut rebellis libere ad nostrum demanium devolvantur „ salvis nichilominus servitiis nobis exinde debitis secundum usus „ & consuetudines Regni nostri & omnibus quibuslibet aliis que

„ Cu-

Digitized by Google

„ Curie noſtre ratione majoris dominii de terris ipſis debentur „ prout ratione ipſius majoris dominii habemus ea & habere de„ bemus in aliis terris Regni predicti. Salvis etiam uſibus & con„ ſuetudinibus aliis dicti Regni.

Lineæ interitus eſt poſtrema amiſſionis cauſſa, dum videlicet perſonæ in inveſtitura comprehenſæ, earumque heredes omnes fato ceſſerunt, nec aliqua in inveſtitura reperitur, ſed vacua ad Regem, aut ſeniorem redit. Atque ſi vaſallus ſine legitimo herede decedit, nec aliquis feudi poſſeſſionem prætendit, propria auctoritate fiſcus feudum occupat; ſi autem conſanguinei ſibi defuncti feudum ex legitima ſucceſſione competere aſſerunt, tunc feudum fiſcus ſequeſtrat, & anno tenet, nec alii concedere valet, *donec de jure rei ſummarie & de plano ſine ſtrepitu, & figura judicii, libelli oblatione ſolemni, & conteſtatione litis, apud competentem judicem quæſtio terminetur, ſic equidem, ut dicta lite pendente, rem ipſam fiſcus idem donare nequeat, aut in alium quocumque transferre titulo, vel aliter ſtatum poſſeſſionis ipſius quomodolibet innovare*, inquit, Carolus III. in Cap. *ex præſumptuoſæ*. Secus ſi conſanguinei jure aperto, & claro ad feudi ſucceſſionem veniunt, tunc ſequeſtratio fieri non poteſt, hoc eſt regni conſtitutionibus, capitulis, & gratiis, aut inveſtituræ pacto, ad quintum uſque gradum a Carolo VI. inventum vocentur. Atque hanc Capituli Sanctionem Prorex de Daun ſub Carolo VI. *in cap. XX. Gratia. p.* 265., Comes de Miranda *in cap. XVI. Gratiar. to. ult. p.* 11. & Carolus VI. *an.* 1720. confirmarunt, quo jure utimur. Diſplicet autem noſtrorum Interpretum opinio, quæ *d. cap.* ad ſubfeuda Baronis extendendum negat; cum nulla excluſionis ratio ſecus ſuadeat.

TITULUS XIII.

De cauſſis amittendi dominium.

§. XXVII.

De reciproca feudorum fidelitate.

HActenus juſtas amiſſionis cauſſas, & vaſalli delicta recenſuimus, tam ea quæ jus clientelare longobardorum, quam Regni municipale admittit, nunc ad ea tra[illegible]lum, quibus ſenior ſuo dominio in clientela[illegible]ur, & [illegible] vaſalli *conſolidatio* appellatur.

Duo in [illegible] ætat[illegible] nomi[illegible]iquiora ſunt) quibus

Digitized by Google

bus universa clientelarum machina innititur, *directum*, & *utile*, illud seniori, hoc vasallo competit, ex his obligationes descendunt, quarum una vasallus seniori, altera senior vasallo ad officia fidei mutuo præstanda obstringitur. Hinc Philibertus Episcopus in 11. *f.* 6. postquam de fidelitate vasalli erga Dominum egit, subdit, *Dominus quoque in his omnibus vicem fideli suo reddere debet: quod si non fecerit, merito censebitur malefidus, sicut ille, qui in eorum prævaricatione, vel faciendo, vel consensiendo deprehensus fuerit perfidus, & perjurus.* Videlicet sicut vasallus ad tutum, honestum, incolume, utile, facile, & possibile obligatur, ita & Dominus, qui suo vasallo *conjux*, & *amicus* dicitur 11. *f.* 58., ad paria judicatur 11. *f.* 26. §. *domino*, 11. *f.* 47., & 11. *f.* 52. *in fin.*

Nulla quidem in toto jure feudali major æquitatis, quam hæc dominum inter & vasallum reciproca præstatio, & sanctitas occurrit, quam in quiritium clientelis ex lege Romuli Xviri ex Græcis retinuerunt, *patronus si clienti, clienve patrono fraudem faxit, sacer esto*, Servi. VI. *æn. v.* 609. Halicar. *lib.* 11. Sed intelligitur in his, quibus vasallus ex lege feudali Domino obligatur, non in iis, quæ ex pacto, vel conditionibus investituræ appositis oriuntur, quia in his senior vices vasallo suo reddere non debet, ex regula Celsi *in l.* 99. *D. de V. O. quidquid adstringendæ obligationis est, id nisi palam verbis exprimitur, omissum intelligendum est.* Nam omnis feudorum obligatio, vel est tacita, vel expressa: tacitam ipsa feudalis indoles, & locorum consuetudo gignit; expressam voluntas investientis, & investiti componit; tacita utrumque, expressa vasallum dumtaxat, obligat, Mullerus *de obligat. Domini differt.* §. 1. & 2., Hotom. *disput. feud. cap.* 41.

Antiquitus in Italia Prudentes certabant, an ex omni felonia, ex qua vasallus feudum amittit, senior proprietate privari posset? Affirmantium opinio obtinuit, 11. *f.* 47. *Ex facto quæsitum scio, & ego a pluribus quæsivi, si dominus contra vasallum apertam feloniam fecerit: an sicut vasallus feudum debet amittere, ita dominus proprietate privetur? & quidam dicunt, ex omni felonia, qua vasallus feudo privatur, & dominus proprietate privetur. Alii non nisi ex magna felonia: alii ex nulla. Sed prior sententia mihi placet, non habita distinctione qualis vasallus sit, utrum per sacramentum, vel non. Et in* 11. *f.* 26. inquit, etiam Feudista, *Domino committente feloniam, ut ita dicam, per quam vasallus amitteret feudum, si eam committeret: quid obtinere debeat de consuetudine, quæritur? & respondetur proprietatem feudi ad vasallum pertinere; sive peccaverit in vasallum, sive in alium*, Zasi. *par.* X. *n.* 84. Ardizo *in sum. cap.* 137. §. *præterea*, Thom. de Marin. *de*

Gu-

Digitized by Google

Gener. feud. dis. XV. n. 18. Buddingh *diss. cit.* §. 68.

Hinc si Dominus vasallum occidat, graves inferat injurias, ejus uxorem, sponsam, filiam, aut sororem præstorat; si parricidium committit, si fratrem suum occidat, si criminali accusatione impetat, ut sine dedecore in curia sua morari non possit. Si actionem in eum famosam instituat, justitiam ipsi denegat, 11. *f.* 33. §. *in quibus*, Wesenbec. *d. cap. x. n.* 8. Scrad. *part. VI. c.* 7. *n.* 5. & sicut in quibusdam delictis vasallus ipso jure feudo cadit, ita in iisdem Dominus statim proprietate privatur. Quæsitum est, an, vasallus feudum alienans illud amittat, ita & Dominus directum dominium seu vasallagium in alterum tranferans, in vasallo consolidetur? Inquit, feudista *in* 1. *f.* 22. §. *si quis fecerit investituram vel cambium de beneficio sui militis, sine illius consensu, cujus est beneficium pro non facto habeatur. Et in* 11. *f.* 34. §. *ex eadem lege descendit, quod Dominus sine voluntate vasalli feudum alienare non potest: quod medjolani non obtinet. Ibi sua curia etiam beneficium totum recte alienatur: cum tamen aut æquali domino, aut majori vendatur. Inferiori vero sine vasalli non licet partem alienare, etiam majori retenta parte alia feudi: verbi gratia est vasallus, qui ab eodem domino in pluribus locis feudum tenet. Si partem feudi in uno loco vendat in alio sibi teneat: iste non debet empari servire. Sed per priorem dominum totum beneficium recognoscere: cum curia vero cuicumque beneficium etiam rustico, & sine vasalli voluntate potest: dum tamen non totum alienetur. Obertus. Quidam dicunt, ut Gerardus, non valere, si fiat inferiori*, & Fridus *in* 11. *f.* 55. §. *præterea ducatus.*

Feudalis hæc nomothesia etsi Domino, nolente vasallo, jus suum alienare interdicat, tamen non explicat, an si alienet, illud amittat, & vasallo adquiratur. Rosent. *cap.* 18. *n.* 162. definire non audet, ego quin alios afferam, dicam, aliud esse non alienare sine vasalli consensu, aliud si alienat, amittere. Nam Princeps, sive subditos, sive feudatarios, nempe civitatem, provinciam, comitatum Baroniam, alienare velit, non potest, nisi subditorum, & feudatariorum voluntas accedat, quæ mutuam obligationem parit, a qua nemo, nisi suo consensu, discedere valet, ut probat Bartho. de la Casas Episcopo Chiapensis *quæst. utrum Reges, vel Princeps jure aliquo &c. possint alienare subditos.* Verum si alienat provinciam, in qua est feudum, illud simul cum universitate bonorum transit, quam plura ex se alienare nequeant, & tamen cum bonorum universitate tranleunt, ut res sacræ, religiosæ, jusparonatus *l.* 24. *D. de contrab. emp.*, *l.* 62. *D. de adquir. rer. dom. cap.* VII. *de jure patron.* Cujac. *ad* 4. 5. & 6. *D. de contrab. emp.* Nec si senior, illaudato vasallo, alienat, aut

aut cum bonorum universitate, aut simpliciter, sua proprietate privandus, quia dum bona sua infeudavit, hanc legem non censetur investituræ apposuisse, quæ nec ex feudi substantia, nec ex natura sponte tua descendit. Imo in Italia jus certum hac de re non servabatur, & quamvis in jure feudali mutua inter dominum, & vasallum debeat esse præstatio, tamen hoc expressum non reperitur & in pœnalibus stricta faciunda est interpetatio, quum non favorem, sed odium mereant.

Vasallus, mortuo seniore, aut suo prædecessore, si intra annum & diem investituram non petit, feudo privatur, 1. *f.* 22., 11. *f.* 24. *pr.*, 11. *f.* 55. §. *præterea si quis*. Ita & senior, si vasallo legitime investituram petenti denegat, proprietate feudi privatur, Glos. & Alver. in 11. *f.* 3. §. *fin.* & si vasallus domino auxiliari, sive domi, sive bello tenetur, ita & viciſſim, Afflict. *decis.* 265. *n.* 4. Scard. *par.* VI. *c.* 7. *n.* 4. Millerus *loc. cit.* modo jus divinum, vel naturale non oblædatur. An si senior non in vasallum, sed in alium feloniam committit, hanc pœnam meretur? Feudista in *d.* 11. *f.* 26. inquit, sive *peccaverit in vasallum, sive in alium*, vox *alium* Interpretes exercuit. Andr. *n.* 2. intelligit, quo vasallus sit offensus, videlicet si famulum vasalli in dedecus ejusdem verberasset, quia in his, quæ vasallum tangunt, æqualitas servanda est, quod Petro de Ravenna, & mihi placet. Nam sæpe læsio unius alteri ob sanguinem, potestatem, imperium, atque affectionem nocet, & vindicari potest. Aliquando hæc pœna cessat, ut si universitas, Ecclesia, vel collegium feudum Principi, vel inferiori concessit, si Syndicus, Prælatus, aut Rector justam amissionis causſam committit, vivo offendente, feudum ad vasallum redit, mortuo, autem collegio addicitur 11. *f.* 40. §. *fin.*, quia, etsi hic in jure feudali non exprimatur tamen regula vasallum, & dominum æquali juræ gaudere, & vivere docet. Alver. *ad d.* 11. *f.* 40. §. *fin. n.* 3., Andr. *eo. n.* 22. P. de Ravenna, & Zasi. *par.* x. *n.* 88.

Verum de Domini subfeudantis felonia disputatum est; finge: Mævius a Principe Comitatum tenet, postea aliquam illius Comitatus partem etiam jure feudi Sabino concessit. Mævius Sabinum offendit; placet Sabinum subvasallum eximi a fidelitate, & vasallagio Mævii, & superiori Domino, hoc est Principi subiici, a quo Mævius reus feudum recognoscebat. Nec Sabinus libertatem sui prædii, aut juris quondam sibi infeudati consequi potest, quia jura superioris Domini, ejusque agnatorum interverteret, & læderet. Nam sicut vasallus nec contrahendo, ita nec delinquendo seniori nocere potest. Et quia vasallus suis agnatis in feudo, aut filiis præjudicare prohibetur, idcirco subvasallus eximit se a potestate immc-

mediati senioris, & ejus agnatos tanquam Dominos recognoscere debet Rosent. *cap. XI. 21. n. 3. & seqq.* Clarus §. *feudum q. 72.* Sonsbec. *par. XIII. 73.* deficientibus delinquentis agnatis. Dominus superior in jure succedit.

§. XXVIII.

De Remissione Feloniæ Vasalli, & Senioris.

HActenus recensuimus causas amittendi feuda, & subfeuda jure Longobardico, & municipali cognitas, quas scriptores medii ætatis *exheredationes*, *exheredare* appellant. Nunc de liberali senioris aut vasalli animo, qui easdem dissimulat, & remittit, nec ad vindictam agere velit. Et sane Dominus directus, aut tacite, aut expresse remittit: *tacite*, si servitia vasallo imperat, si ab eo eadem recipit, si investituræ renovationem admittit, si adoham, annuumque canonem exigit, si familiarem cum eo vitam agit. Modo hos actus sciens, prudens exerceat, & animus remittendi feloniam colligi satis posset: secus si vindictæ tempus expectaverit, vel alio mentis conamine egerit, tunc tacita remissio non servatur, cujus ægre, in jure Longobardico vestigium apparet, Fleischerus *Inst. jur. feud. c. XXI. §. 12.* Verum si Dominus contra vasallum non egit, mortuo vasallo, contra ejus heredem agere nequit, quia pœnalis actio contra heredem non datur *l. 1. D. de priv. delict.* Qui aliquem in edicto Prætoris exceptum sine venia Prætoris in jus vocat in quinquaginta aureos damnatur, sed hæc actio, *nec heredi, nec in heredem* datur, inquit, Ulpian. in *l. 24. D. de in jus vocando*. Exemplo donationis, quam si ob ingratitudinem Donatarii Donator non revocavit, heres donatoris revocare non potest, *l. 1. C. de revoc. donat.* Curtius *de feudis par. IV. in fin. n. 157.*

Expresse remissio contingit, si claris verbis, aliove modo Dominus directus feloniam remittit. Exemplum præstat Petrus de Vineis *lib. VI. c. 2.* ubi Fridericus II. feudum Comitis Acerrarum ob feloniam ad se devolutum, iterum eidem concedit. *Præsenti privilegio notum facimus universis, quod licet dilectus consanguineus, & fidelis noster, T. de Aquino Comes Acerrarum, olim æmulorum nostrorum suggestione seductus, visus tantisper fuerit a nostris beneplacitis deviasse: quia tamen errore deposito, nunc ad fidem, & mandata nostra spontaneus se convertit. Nos qui eundem T. conscientiæ puræ constantiam erga nos semper gessisse confidimus, omnes offensas, & culpas, quas idem Comes, & Jacobus Fraser ejus, familiares, & sequaces eorum cum ipsis contra Majestatem*

noſtram propterea incurriſſe noſcuntur, eis clementer duximus remittendas: recipientes ipſos de cætero in plenitudinem favoris, & gratiæ noſtræ ſinum. Et ut in oculis noſtris gratiam liberaliorem (al. uberiorem) *ſe gaudeant inveniſſe, Comitatum, & feudum Acerrarum, cum civitatis, caſtris, caſalibus, honoribus, omnibus juribus, & pertinentiis eorumdem, eidem T. & heredibus ſuis in perpetuum damus, & etiam confirmamus. Partem etiam Terrarum, dictum T. & Jacobum fratrem ejus in bonis patrimonialibus rationabiliter contingentem, cum vivant more Longobardo, pro indiviſo eiſdem fratribus fidelibus noſtris dandam, & concedendam duximus, ac etiam confirmandam.* Idem inquit *in c.* 5. & 10. Et paſſim de Taſſilone Duce Annales commemorant, cui Carolus M. ſæpius feloniam remiſit.

Poteſtas remittendi ingratitudinem competit Domino, qui liberam ſuorum bonorum adminiſtrationem habet. Excluditur qui non eſt Dominus, ſed ſimplex adminiſtrator, ut Eccleſiæ Prælatus, quum non ipſi proprie, ſed Eccleſiæ, vel Collegio, injuria irrogata videatur. Modo ſimul cum Capitulo feudi collationem exerceat: nam ſi ſolus conferat, feloniam ſolus remittere poteſt, Zaſius *par.* I. *n.* 81. Mihi tamen plus dicendum, quod ſi vaſallus Eccleſiæ injuriam, non Prælato intulerit, ex qua Eccleſia damnum ſenſerit, & ſua conditio deterior evaſit, ſemper conſenſum Capituli requiri oportet, ſive Prælatus ſolus, ſive ſimul cum Capitulo feudum contuliſſet, quia Prælatus in rebus quæſitis Eccleſiæ præjudicare non poteſt, *cap.* 2. *de donat.* Niſi publica utilitas, Eccleſiæ pax, temporis conditio exigat, ut ſæpe in media ætate vaſalli Eccleſiarum bona earum invadebant, aliove modo feloniam committebant. Prælatis vero vel ob vaſalli potentiam, vel temporis occaſionem utilius remittere viſum eſt. Competit etiam jus remittendi *agnatis*, ſed diſtinguendum: ſi vaſallus contra ſeniorem deliquit, ſenior, uti lubet, remittere poteſt, nec agnati conqueri poſſunt; ſi in extraneum deliquit, ſenior ante privationis ſententiam remittere poteſt, poſt latam ſententiam non poteſt, quia ſententia in rem judicatam translata agnati jus quæſitum eſt ad clientelam, quod, ipſis diſſentientibus, auferri nequit. Hinc, pendente appellatione, etiam Dominus remittere non prohibetur, quia adhuc agnati jus non adquiſiverunt, Roth. *in pand. feud. cap. XXIII. q.* 49. Strykius *in examine juris feud. cap.* 23. §. 49.

Remiſſio feloniæ ex parte vaſalli etiam vel tacite, vel expreſſe contingit: *Tacite* ſi ſervitia paganica, militaria, aut aulica præſtat, renovationem inveſtituræ petat, onera feudi, nempe adoham, vel relevium, & ſimilia, uti locorum conſuetudo conſtituit, per-

ſol-

Digitized by Google

solvit. *Expresse* si claris verbis injuriam, & ingratitudinem dissimulat, ex animo delet, vel coram testibus, aut scriptura remissionem concedit, & se nunquam vindictam sumpturum, aut actionem propositurum contestatur. Et sicut senioris heres contra vasallum actione ingrati agere nequit, ita & vasalli heres contra Dominum vetatur.

Denique hodie quidquid jus Longobardicum, & Prudentum Italiæ responsa de felonia constituerint, vix in Europa feudali servatur, suumque rigorem diminuit. Cum præsertim in Germania feuda sint oblata, quæ jus Longobardicum ignoravit, & Principes potius ab imperio, quam Imperatore recognoscunt, Stryk. *to.* III. *disput.* 20. *c.* 2. *n.* 15. Sæpius etiam politici regiminis conditio, & circumstantia Principes manet, ut potius clementiam, quam sæveritatem in suos Barones foveant. Nam exercitium clementiæ non tantum alteri, sed & sibi parcere, nec tantum alteri prodesse, sed & sibi videtur, Seneca libro *de Clementia c.* 5. ad Neronem, inquit, *animus Reipublicæ tu es, illa corpus tuum, vides ut puta, quam necessaria clementia sit. Tibi enim parcis, cum videris alteri parcere. Parcendum itaque est etiam improbandis civibus, non aliter quam membris languentibus.*

TITULUS XIV.

De probatione, & effectibus felonia.

§. XXIX.

De solemnitate probationis.

OMne crimen nec præsumi, nec puniri potest, nisi probetur; felonia est crimen feudale, igitur probatione adeo indiget, ut si senior sive Princeps secularis, sive Ecclesiasticus, sive inferior vasallum feloniam commisisse asserant, nunquam credendum, etiamsi in mortis hora adstuant 11. *f.* 26. §. *vasallus*, 31. *f.* 57., 1. *f.* 21. *Sancimus, ut nemo miles sine cognita culpa beneficium suum amittat.* Ulpian. *in l.* 2. §. 1. *D. ad Silanian., si quis moriens dixisse, a servo vim mortis allatam esse sibi: dicendum est, non esse credendum domino, si moriens hoc dixit. nisi potuerit & probari.*

Et quemadmodum judex allodialis in causa civili, vel criminali juris ordinem servare tenetur, ita & judex feudalis, sive Pares Curiæ, sive Dominus supremus, sive inferior, judex ordinarius, aut arbitrer cognoverint, & judicaverint. Gesta Balduini

Digitized by Google

Archiepiscopi Trevirensis *lib.* 11. *c.* 3. *apud Reuberum Veter. Scriptor. to.* 11. *Honorandæ dispositionis provisione facta ad Regni loca Henricus Rex* (ideſt VII. Roman.) *una cum Domino Baldezino, aliisque quampluribus anno millesimo truentesimo nono ante festum Natalis Christi Coloniam secunda vice remeavit, & ibidem omnia sua feoda requirere volentes spectavit, præsidens judicio sententias contra rebelles sua feuda non requirentes SERVATO JURIS ORDINE promulgavit.*

Otto Frisigensis *lib.* 11. *c.* 11. *de Gestis Frider. I.* alterum feudale judicium refert, *Proximo debinc mense Decembri utrique Duces, Henricus, itidem & Henricus, in Civitate Spira, Principis adstiterunt judicio, sed iterum altero legitima vocatione se excusante, res protelatur. Itaque Fridericus dum jam fere per biennium ad decidendam litem duorum Principum, sibi* (ut dictum est) *ex propinquitate sanguinis tam affinium laborasset: tandem alterius instantia, qui in paternam hereditatem, a qua diu propulsus fuerat, redire cupiebat, sexus, imminente etiam sibi expeditionis labore, in qua eundem juvenem militem, sociumque viæ habere debuit, finem negotio imponere cogebatur. Proinde in Oppido Saxoniæ Goslaria Curiam celebrans, utrosque Duces, datis edictis evocavit. Ubi dum altero veniente, alter se absentaret, judicio Principum alteri, id est Henrico Saxoniæ Duci, Bajoariæ Ducatus adjudicatur.* Alterum judicium in *lib.* 11. *c.* 5. exhibet.

Felonia testibus, scriptura, confessione, & præsumptionibus probatur. *Testibus*, qui non duo, sicut in aliis negotiis, sed quinque requiruntur, 11. *f.* 57. ubi Imp. Henricus postquam justas amissionis causas recensuit, subdit, *quod non obtinere sancimus, nisi quinque testibus summæ, atque integræ opinionis probatum fuerit manifeste.* Nec minui possunt, secus sententia de nullitate accusari potest; nec quilibet ad testandum admittitur, sed *integræ opinionis*, hoc est omni exceptione major, cui nulla fidei vacillatio inest. Hinc fæmina non testatur, præsertim in rebus feudalibus. Jure Romano ab omnis caussæ testimonio repellebatur, nam lex Horatia inter ceteros honores, quos Cajæ Terratiæ in antiquis annalibus celeberrimæ dedit, *jus quoque testimonii dicendi tribuitur, testabilisque una omnium fœminarum haut sit detur*, Gellius VI. *N. A. c.* 7. quia fides mulierum, incerta, atque ad pejerandum prona merito censebatur, & Isidor. in *cap.* 10. *de V. S.* testimonium mulieris *varium*, & *mutabile* appellat. Postea in omnibus caussis ejus testimonium obtinuit *l.* 20. §. 6. *D. qui testam. facer.* excepto testamento, & legis actionibus, nempe mancipatione, divortio, in jure cessione, adoptione, cretione, in quibus cum rogatio requireretur, mulier ro-

rogari nequibat, Hotom. III. *obser. c.* 14. Constant. *lib.* II. *subtil. enond. c.* 28.

Mulier itaque ob fidei vacillationem in causis feloniæ testis esse nequit. Sicut & testis inimicus, vel consanguineus, vel affinis seniori, pauper, & vilis, qui pretio, aut minis facile corrumpitur minor & annis XX., Scrad. *par.* IX. II. *sect.* 13. *n.* 22. Vultej. *lib.* I. *c.* II. *n.* 108. Pares tamen Curiæ vasallus repudiare non potest, nisi suspicio eos repellat, & Domino eos integræ opinionis esse probatio incumbit, Jac. a S. Georg. §. *dicitque vasalli n.* 55. Rosent. *cap.* XII. 19. *n.* 7. nam qui testes producit, eorum conditiones probare tenetur. Denique quisquis in causa criminali præsertim ardua testis esse prohibetur, etiam a causa felonia, quæ criminali par est, repellitur. Verum si felonia in crimen læsæ Majestatis inclinat, tunc infamis infamia facti, vel alius inhabilis testis esse potest *l.* 7. & 8. *D. ad l. jul. Majest., cap.* 32. *de Simon.* modo non sit vasallo inimicus, A. Matth. *de Crim. lib.* 48. *tit.* 15. *c.* 2. *n.* 11. Aut si felonia fuerit crimen difficilis probationis, ut adulterium, stuprum, in quo testem omni exceptione majorem non requirimus, aut si felonia est notoria, quæ ex confessione, sententia, operis evidentia, & fama nascitur, nempe populo, aut majori ejus parti innotescit, prolixe Fagnan. *ad cap.* VII. *n.* 67. *de cohabit. cler.* Aut si ad privationem non feudi, sed possessionis agitur, & duo testes sufficiunt, quum in possessoriis leviores probationes admittantur. Aut si non de felonia contra seniorem committa, sed contra alium contenderetur, etiam duo testes probant, quia Imp. Henricus in *d.* II. *f.* 57. tantum de primo casu loquitur, & statutum quantum fieri potest, juri civili obsequi debet, quod duos testes requirit, *l.* 12. *D. de Testibus*, Scrad. *par.* IX. II. *sect.* 13. *n.* 26. Sed Rosent. *cap.* XII. 19. *n.* 19. inquit, sive contra seniorem, sive alium sit, semper quinque testes requirantur, ut cautius cum vasallo agatur, quem sæpe levi de causa potentior dominus vexare solet.

Non modo testibus, sed etiam *scriptura* probatur, præsertim si felonia in omittendo consistat, ut si investituram non petiit, canonem non solvit, servitium non præstitit, statuta contra ecclesiæ libertatem condiderit, secreta senioris litteris aperuit, famosum libellum in seniorem fecerit, falsum instrumentum, ut seniori noceret, conscripserit, si cum Domini inimicis, pacta, aut fœdus contraxit, si contra dominum consuluit. Hæc si scriptura fiant, sive in omittendo, sive in committendo consistant, scriptura merito probari possunt, dum in judicio adducitur, eamque vasallus recognoscit *l.* 25. §. *fin. D. de probat.* etsi in criminalibus plerumque scriptura non admittetur, quæ probationes luce solis clariores exigunt, sicut commu-

Digitized by Google

muniter schola tenet. Sed merito eam arguit A. Matth. *de Crim. loc. cit. c.* 5. nam etiam in criminibus scriptura satis probat, *l. ult. C. de probat.* ibi *apertissimis documentis*, hoc est instrumentis, Imp. in *l.* 15. *C. de fide instrum.* sanxit, in exercendis litibus, testes, & instrumenta eandem vim habere, nec causas civiles a criminalibus distinxit. Nec obstat rescriptum Hadriani *in l.* 3. §. 3. *D. de Testibus*, *testibus se, non testimoniis fidem habere*; testimonia enim non sunt tabulæ, sed testium depositiones, & mens Adriani fuit, quia testium absentium pallor, tremor, rubor, titubatio, consternatio scriptura judiciis religionem non instruit, (a) Forner. III. *select.* I. Wissenbach. *ad d. l. ult.*, Valer. Maxim. *lib.* VI. *c.* 5. Ex suo itaque charactere vasallus recte condemnatur, Scrad. *loc. cit. n.* 90.

Confessione: videlicet vasalli, qui si in judicio interrogatus feloniam confitetur, pro victo habetur *l.* 5. *D. de Custod. reor.* 25. §. *ult. D. ad. l. Aquil.* I. *l.* 16. *C. de pœnis*, quum confessio probatio probata, legitima, major testibus, præsumtione juris, & de jure, censeatur, rei judicatæ vim habeat *l.* I. *D. de confess.*, Scrad. *loc. cit. n.* 62. Obstat *l.* I. §. 17. *D. de quæstion. Divus Severus rescripsit, confessiones reorum pro exploratis facinoribus haberi non oportere, si nulla probatio religionem Cognoscentis instruat.* Respondeo, intelligi de confessione extorta, vel extra judicium facta, vel si non apparet crimen ab eo commissum, qui confessus est, A. Matth. *loc. cit. tit.* XVI. *c.* I. *n.* I. Nec enim sola confessio pœna digna est, nisi crimen dolo malo commissum constet; nec confessio extra judicium facta, sive in civilibus, sive in criminalibus condemnationem, sive privationem feudi affert; caveat itaque judex, ne sententiam præfestinet. Imo vasallo tortura inferri potest, modo crimen fuerit atrox, ut læsæ Majestatis, proditionis, quamvis nobilis, clericus, miles, Doctor, senex decrepitus, minor XX v. an. tarquiri non possint *l.* 4. *C. ad l. jul. Majest. l.* 16. *C. de quæstion.*

(a) Sæpe judex ex rei, vel testis pallore, metu, rubore, aliisque animi motibus extra reduntantibus criminis veritatem eruit, *l.* 10. §. 5. *D. de quæstion.* Cicero pro cluent. *Oculi omnium judicium non in Scamandrum, sed in Oppianicum conjiciebantur: timor ejus perturbatio, suspensus, incertusque vultus, crebra coloris mutatio, quæ erant antea suspiciosa, hæc aperta, ac manifesta faciebant.* Sive uti loquitur Juven. *sat.* I. *in fin.*

——— *rubet auditor, cui frigida mens est*
Criminibus: tacita sudant præcordia culpa.

Digitized by Google

l. 3. §. 10. *l.* 7. *D. de re milit.*, *l.* 20. *C. de dignit. l.* 33. *C. de decur.* (*a*).

Præſumtionibus, ſed quæ maxime judicis animum movere poſſent, ſecus conjecturis felonia non probatur, quia Henricus in *d.* 11. *f.* 57. inquit, *probatum fuerit manifeſte*, probatio ſolum præſumtionibus innixa manifeſta non dicitur. Exceptio eſt, niſi fuerit præſumtio juris, & de jure, quæ in cauſſa criminali etiam condemnationem indicere valet *l.* 34. *C. ad l. jul. Majeſt. l. ult. C. de probat.* quum hæc argumento neceſſario ex ipſius facti veſtigiis ducto conſtet, aut ſi fuerit crimen læſæ Majeſtatis, atque aſſaſſinii, quod recte præſumtionibus probatur *cap.* 1. *de homic. in* VI. *in fin.*, vel adulterium, ſtuprum, fornicatio, quæ niſi conjecturis probari non poſſunt. Denique in feloniæ probatione ordinem juris civilis, atque pontificii ſequimur, quamvis *d.* 11. *f.* 57. locorum conſuetudine ut in Gallia non obtineat, in quibus duo teſtes ſatis admittuntur, Chriſtin. *to.* VI. *dec. Belg.* 85. *n.* 54.

§. XXX.

(a) In Theocratia Hebræorum nunquam tortura, ſive quæſtione crimina, ſed teſtibus detegebatur, & ſi teſtes deeſſent, reus abſolveretur. Apud Græcos tamen & Romanos leviora, e quibus Gens Germanica accepit. Wiſigothus in judicio adulterii, majeſtatis, & homicidii honeſtiorem, in furto, vel rapina viliorem hominem, Francus vero, & Oſtrogothus tantum ſervilis conditionis hominem torquebant, Struv. *Hiſt. juris cap.* 1. §. 46. Heinec. *Elem. jur. Germ. lib.* III. *tit.* IX. §. 332. Anglis tamen inaudita eſt, & ſapito viris politicæ artis peritis diſplicuit, cum aſſidue metu tormentorum nocentem ſe declarat, qui nunquam innocentiam amiſit, aut corporis fortitudine, & animi audacia fretus criminis veritatem occultat, quod temerario dolo commiſit. Sane evenit innocentem, uti nocentem puniri, antequam crimen ejus cognoſcemus. S. Aug. *de C. D. XIX. c.* 6. *Cum propterea judex torqueat accuſatum, ne occidat neſcius innocentem, fit per ignorantiæ miſeriam ut & tortum, & innocentem occidat, quem ne innocentem occideret, torſerat. Si enim ſecundum iſtorum ſapientiam delegerit ex hac vita fugere quam diutius illa ſuſtinere tormenta; quod non commiſit, commiſiſſe ſe dicit. Quo damnato & occiſo, utrum nocentem, an innocentem judex occideret, adhuc neſcit, quem ne innocentem neſciens occideret, torſit: ac per hoc innocentem, & ut ſciret torſit, & dum neſciret occidit.*

Digitized by Google

§. XXX.

De præjudicio Feloniæ.

ENucleandum, cuinam feudum felonia commiſſum applicetur, ſeu devolvatur. Et regula juris eſt: ſi feudum fuerit novum, ſive felonia ſeniorem, ſive alium lædat, excluſis filiis, aut fratribus, ſenioni aperitur, II. *f.* 24. §. *denique*, II. f. 31. quia felonia patris omne jus periit, & in filios nihil tranſmittere valet, cum jus filiorum ex perſona, & jure patris in feudo novo dependeat. Excipitur, niſi contemplatione filiorum pater feudum adquiſiviſſet, vel ſimultanee eſſent inveſtiti, quia iis jus quæſitum facto proprio, non alieno auferri debet, quique ex propria perſona in feudo ſuccedunt, *Piſtor. lib.* II. *q.* 4. *n.* 59. Struv. *ſ. j. f. cap. sv.* 13. Buddingh *loc. cit.* §. 65. Rothius *in Pand. feud. cap.* XXIII. *q.* 46., Weſenbec. *cap.* XVI. *n.* 1. Quid ſi filius vaſalli dominum offendat? Niſi domino ſatisfecerit, in feudo non ſuccedit, II. *f.* 51. Gunther. lib. VIII. v. 615.

Si patris dominum vaſalli filius acri
Læſerit offenſa, feſtinet providus illum
Conciliare pater: quod ſi condemnet agenda
Munere privetur: ſi vero audire monentem
Filius indomita neglexerit aure parentem
Non erit in feudo ſucceſſor idoneus illo
Ni prius accenſam domini placuerit iram.

Si feudum erit antiquum, an excluſis filiis, vel agnatis, ad Dominum redeat? Acriter diſputatum eſt, quid ſentio, dicam: Delictum patris in quovis feudorum genere adeo filiis nocet, ut patre ſuperſtite, vel poſt ejus mortem, nunquam recuperare, niſi domino indulgente, valeant. II. *f.* 31. *vaſalli feudum delinquentis, licet ad agnatos quandoque pertineat, filius tamen ad id nullatenus aſpirabit, niſi id iterum a domino licite acquirat ſibi gratiam faciente: verbi gratia ſi non ſunt alii ex latere, quibus aperiatur: ad ejus petitionem admittuntur, qui quarto gradu ſunt remoti ab eo, qui id acquiſivit, & etiam uſque ad infinitum, dum tamen hos conſtet ab eo per maſculos deſcendiſſe,* & II. *f.* 24. *in fin.*, II. *f.* 37. Sive in dominum, ſive in alium pater feloniam commiſerit, ſive feudum fuerit hereditarium, ſive ex pacto, & providentia; nam jus longobardicum ex pacto, & providentia clientelam, nempe tibi, & tuis liberis conceſſam, non hereditariam cognoſcit, deque ea leges laudatæ intelliguntur, Piſtor *lib.* II. *q.* 16. *n.* 9. Struv. *ſ. j.*

Digitized by Google

f. j. f. cap. xv. 14. Rothius *in Pand. feud. loc. cit.*, Buddingh *loc. cit.* Buddingh *loc. cit.* sed cur patris felonia filiis noceat, qui ex investitura in feudo ex pacto, & providentia sibi jus adquisiverunt, quo fine consensu, vel delicto privari non debent? Recte Andreas *in* II. *f.* 31. *n.* 4. Alver. *eo. n.* 1. & Pistor. *loc. cit. n.* 21. quia filiis feudum censetur contemplatione patris concessum, quique causam a patre habent, illudque capiunt, idcirco semper jus Longobardum filios ab agnatis seperat, ut filiis non agnatis vasalli delictum noceat, quia a vasallo agnati nihil recognoscunt, sed jus filiorum paterno connectitur. Aut exemplo criminis læsæ Majestatis excluditur, *l.* 5. *C. ad l. Jul. Majest.*

Sæpius autem delictum patris filios non lædit, si contemplatione non patris, sed eorum investituram fuisse actam constet, quia tunc proprio jure, non patris beneficio veniunt. (a) Hæc contemplatio arguitur, si senior filiorum merita consideravit, atque ad ea investituram collimavit, aut si nomina filiorum in infeudatione expressit, Andr. *loc. cit.* Curtius *par.* 5. *n.* 4. Thom. de Martin. *de Gener. feud. tit.* 2. *n.* 90. quod non recte Sonsbec. *par.* XIII. *n.* 6., Pistor. *loc. cit. n.* 31. negarunt. Etenim dum senior filiorum nomina expressit, eorum merita, amorem, atque utilitatem respexisse videtur, & a primo casu parum differt. Ratio Sonsbecii trepidat, nempe si filiusfam. heres instituatur, vel legatum accipiat, id patri adquiratur. Merito, quia jure civili, quod filius adquirit, patri cedit, sed jure feudali patria potestas condemnitur, & filius acquirere, & retinere hoc jure potest. Aut si in investitura senior dixerit, ut delictum unius alteri non noceat.

De agnatis in feudo antiquo ætate feudistæ querebatur, an ad seniorem, an ad eos ob vasalli feloniam devolveretur? In II. *f.* 24.

(a) Sicut Papinian. in *l.* 28. *D. de Testam. tut.* inquit, *quod qui tutelam testamento mandatam excusationis jure suscipere noluit, ab his quoque legatis summovendus erit, quæ filiis ejus relicta sunt, MODO SI LEGATA FILII NON AFFECTIONE PROPRIA SED IN HONOREM PATRIS MERUERUNT.* Si itaque pater tutor declaratus testamento est, & a Testatore vel ipse, vel ejus filius (sicut moris erat) legatum habuit. Si se excusat, tam ipse, quam suus filius legatum amittunt, nisi filius non honore, vel contemplatione patris, sed propria affectione, amore, & gratia legatum habuerit, tunc patre a tutela se excusante, filius legatum non amittit. Recte Seneca *de Benef. lib. v. c.* 19. *sed ut tanquam Jurisconsultus respondeam, mens spectanda est dantis, beneficium ei dedit, cui datum voluit. Si in patris honorem fecit, pater accepit beneficium.*

Digitized by Google

§. *fin.* inquit, *sed hæc distinctio tam ratione, quam moribus comprobata est: ut si quidem vasallus ita in dominum peccaverit, ut feudum amittere debeat: non ad proximos, sed ad Dominum beneficium revertatur, ut hanc saltem habeat suæ injuriæ ultionem: si vero non in dominum, sed alias graviter deliquerit, vel grave quid commiserit, sicut, ille, qui fratrem suum interfecit: vel aliud grave crimen (quod parricidii appellatione continetur) commiserit, feudum amittit: & non ad dominum, sed ad proximos pertinet. Si tamen beneficium fuerit paternum.* Et sic in Italiæ Curiis judicari solebat si vasallus in dominum delinquit, feudum non ejus agnatis, sed Domino aperitur, ut suæ injuriæ ultionem haberet, & tamdiu penes eum erit, donec reus vivat, decedente, ad agnatos pertinet Cui juri innitur sanctio in 11. *f.* 40. §, *fin.* ubi Prælatus ob feloniam in seniorem commissam, feudo cadit, & ipso superstite, apud Dominum erit, fato cadente, ad Ecclesiam redit. Tam enim agnatus quam Ecclesia factum defuncti servare nunquam tenentur, ambo jure proprio utuntur, nec tantum mors rei, sed omnium descendentium expectanda, Thom. de Martin. *loc. cit. n.* 88. Cujac. *lib.* 111. *f.* 2, *& lib.* 1v. 78. Si vero non in dominum, sed in alium graviter deliquit, & sine dedecore in curia Domini stare non possit, statim ad agnatos revertitur 11. *f.* 31., 11. *f.* 37. & omnes delinquentis heredes & descendentes excludunt, Pistor. *lib.* 1. *qu.* 15. *n.* 1, 2. 3. Curt. *par. v. n.* 10., Struv. *s. j. f. cap. xv.* 14. Rothius *loc. cit.* nec agnatus mortem vasalli expectare tenetur, sed statim ad ipsum devolvitur, quia felonia jus possessoris expiravit, & agnatorum jam sopitum resurgit, 11. *f.* 24. §. *fin.*, Andr. *in* 1. *f.* 8. *n.* 5. *& in d.* 11. *f.* 24. §. *fin.* 11. *f.* 31. Nec ratio latet; quia delicto vasalli, tam ipse, quam qui ab eo causam, ut sunt descendentes, habent, feudo privantur, & ne feudum vacaret, agnatis jus quæsitum vindicantibus adquiri oportet. Et jure Saxonico, si pater feloniam in extraneum committit, filii feudum antiquum, non novum, retinent.

Ambigitur, quid sub nomine agnatorum contineatur? Dubium eudit feudista *in* 11. *f.* 26. §. *si vasallus culpam committat, propter quam feudum amittere debeat, neque filius, neque ejus descendentes ad id feudum revocabuntur: sed agnati, qui quarto gradu sunt, dummodo ad eos pertineat.* Cur, inquit, *qui quarto gradu sunt*, sicut & in 11. *f.* 31. proinde nonnullis visum est, feudum ad illos tantum agnatos reverti, qui in quarto gradu, aut ulteriori reperiuntur, quia in his agnatis non admodum vasalli delinquentis sanguis, nec eadem morum depravatio præsumitur, quum quo proximiores fiat, eo magis delinquentis maculam contrahere dicantur *l.* 5. *C. ad l. jul. maj.* & de servis scribit Ulpian. in *l.* 31. §. 21. *D. de*

Digitized by Google

D. de ædil. edic. ubi qui servos vendit, eorum nationem in venditione pronunciare debet, plerumque natio servi aut provocat emptorem aut deterret, quosdam servos esse bonos, quia natione sunt non infamata, quosdam malos, quia ea natione sunt, quæ infamis est. Dissentiunt autem alii, et merito: nempe feudum ad proximiores agnatos devolvi, & etiam ad illos, qui intra quartum gradum sunt constituti. Ex feudista in 11. *f.* 37. ibi *ad agnatum proximiorem feudum pertinebit, si paternum fuerit: eodem prorsus observando, quantum ad ordinem gradus, qui continetur in legibus*. Proximior ille est, quem nemo antecedit; *l.* 92. *D. de V. S.* 11. *f.* 24. §. *fin.* Nec refragatur §. *si vasallus*, qui non intelligitur, ut illi, qui intra quartum [illegible] sunt, excluſi constituat, sed illi feudum capiant, qui in quarto gradu existunt, & feudista respicit jus vetus, quo agnatorum successio ad quartum usque gradum dabatur, hodie in infinitum se extendit, Glos. Alver. Andr. *ad d.* §. *si vasallus*, Pistor *lib.* 11. *q. c.* 15. *n.* 17. Nec adversæ opinionis ratio obstat, quia agnatus non a delinquente, sed a primo adquirente, cui succedit, descendit; hinc *d.* §. *si vasallus* non gradum delinquentis cogitat, Thom. de Martin. *de Gen. feud. tit.* 2. *n.* 95. Struv. *loc. cit. cap.* xv. 15. *n.* 5. Vultej. *lib.* 1. *c.* 11. *n.* 147.

Hactenus de feudo novo, atque antiquo ex pacto, & providentia: nunc de feudo hereditario, cujus [illegible] si feloniam committit, sive mere, sive mixtum hereditarium [illegible], aut agnatis aperitur, sed ad Dominum redit. Aut enim de hereditario novo agitur, & Acquirens legitimis successoribus, alienatione, vel felonia nocere potest. Nam si in feudo ex pacto, & providentia obtinuit, ut alienatio, delictum, culpa, refutatio, atque defuncti factum, suis heredibus damnum irroget, magis in feudo hereditario novo concedendum suadetur. Et quoniam feudum hereditarium antiquum feudo ex pacto, & providentia novo comparatur, iisdemque modis amittitur, idcirco pater filiis, atque agnatis alienatione assensu senioris, aut felonia præjudicare potest, & alienationem, hypothecam, allasve obligationes revocare prohibentur, Andr. 11. *f.* 39. §. *& si libellum*, 1. *f.* 8. *n.* 7. Thom. de Martin. *de Gen. feud. tit.* iv. *n.* 16. *& tit.* vii. *n.* 4., Pistor. *lib.* 11. *q.* 15. *n.* 52. Struv. *loc. cit. ex.* 15. *n.* 7. Nam hereditarii proprietas est, ut filius, & agnatus defuncti heres esse cogatur, veniat in hereditatis petitione, debeat esse heres ultimi decedentis, pater testari potest, quamvis in reliquis veram clientelæ naturam retineat, servitia, sexus masculini qualitatem, heredem a primo acquirente descendentem, fidelitatem, necessitatem allodia etiam recipiendi con-

ſervet Piſtor. *lib.* 11. *q.* 1. *n.* 61. *& ſeqq.* Rothius *in Pandect. feud. cap.* 1v. *q.* 50.

Verum quoniam duplici modo ex ſua culpa feudo privatur, vel delicti ingratitudine, vel ingratitudine contractus, perpendendum, an perpetuo feudum agnatis, vel filiis aperiatur. Si vaſallus feudum ſine ſenioris conſenſu alienat, contenditur, utrum ad dominum, an ad agnatum pertineat? Suadet, ad dominum reverti, exemplo uſusfructus, quem ſi fructuarius extraneo cedit, ad proprietarium redit *l.* 66. *D. de jure dot.* Noodt *lib.* 11. *de uſufr. c.* 10. Piſtor *lib.* 11. *q.* 17. *n.* 12. 13. 16. Struv. *ſ. j. f. cap.* xv. 11. *n.* 6. quia dominum condemnit, cujus conſenſum neglexit, & quoties felonia eſt contra dominum, feudum ei aperitur, 11. *f.* 24. §. *fin.*, 11. *f.* 37. Verum tamdiu penes dominum manet, quamdiu alienator vitam vivit: decedente, ad agnatos pertinebit, ut de felonia in dominum commiſſa ſupra comprobavi; præſertim, cum hac feloniæ ſpecie, minus jura ſenioris, obſequium, atque recognitio lædantur. Hinc etiam, ſi ſtatuto tempore, vaſallus inveſtituram non petit, quæ cenſus devotionis, & portio ſervitii dicitur, feudum, excluſis filiis, atque agnatis, dominus habebit, quia felonia eſt contra ſeniorem, quem contempſit, ſive novum feudum fuerit, 11. *f.* 55. §. *præterea ſi quis infeudatus* Sonsbec. *par.* x11. *n.* 13. Jac. a S. Georg. §. *qui quidem inveſtiti n.* 46. Piſtor *lib.* 11. *q.* 18. *n.* 3. *&* 7. quicquid Andreas, aliique obloquantur.

Subfeudum quoque felonia commiſſum ſeniori immediato devolvitur, 11. *f.* 55. §. *illud quoque*, quia valvaſinus ei ſervitia, & fidelitatem præſtat, & ſicut de feudo, quod a domino ſuperiore recognoſcitur, ſuper dictum eſt, ita de ſubfeudo ſenſendum. At ſi in dominum ſuperiorem delinquit, tunc vaſallum monere debet, ut valvaſinum requirat, & læſo ſatisfaciat: ſi negligat, utriuſque jus ſuperior dominus obtinebit, ſuæque injuriæ ultionem habebit. d. §. *illud*, Et Gunther. *lib.* v111. *v.* 620.

Si tuus ex feudo cuiquam vaſallus id ipſum
Contulit, atque ſub vaſallum munere fecit
Ipſe ſibi, ſi forte tuam, jam ſortius illo
Succeſſor meruit factis atrocibus iram,
Nec tibi pro culpa domino mediante ſecundo
Fecerit ipſe ſatis: reprobato protinus illo
Ad dominum redeant feudalia jura ſecundum
Si tuus ille ſuum ſibi conciliare fidelem
Spernit: aut torpens, aut perfidus eſſe probatur,
Ambobus ſpretis ad ſe ſua jura recurrent.

Sonsbec *par.* XIII. *n.* 41. Capyc. *in inveſt.* §. *feuda amittuntur caſu* 30. ſi valvaſinus ſubfeudum ſine immediati ſenioris conſenſu alienat, non domino mediato, ſed ipſi aperitur. Nam in alienatione ſubfeudi tantum immediati ſenioris conſenſu opus eſt, igitur ſi valvaſinus non obtinet, non ſenior mediatus, ſed immediatus condemnitur, & proinde ei devolvi oportet, quod in majoribus feudis, ducatu, comitatu, marchionatu procedit. At ſi vaſallus ſingulare feudum habeat, ejuſque partem infeudare velit, dubitat Roſent. *cap.* IX. II. 64. *n.* 3. an valvaſinus alienans utriuſque ſenioris aſſenſum requirere debeat? Nihilominus arbitror tantum immediati placitum expectari, quia jure feudali vaſallus ſubinfeudandi facultatem habet, igitur in alienatione ſubfeudi ejus conſenſus ſufficere videtur, & alibi dictum eſt. Denique felonia, quæ in ſubfeudo committi poteſt, eoſdem effectus reddit, quos felonia in feudo producit, quia ſubfeudum ſui principalis naturam retinet, tanquam a fonte rivus fluit, nec a feudo ſeparatum quid recudit, Vultej. *lib.* I. *c.* 10. *n.* 145.

Felonia Senioris in vaſallum commiſſa, ſive feudum fuerit novum, ſive antiquum, in vaſallum devolvitur, illudque jure allodii poſſidet, modo ſenior de ſuo allodio hujuſmodi feudum conſtituiſſet: nam ſenior ſuis agnatis nocere valet, qui in eo allodio ante infeudationem, aut poſt, nullum jus habebant. Agnatis e contra vaſalli delinquentis jus quæſitum eſt, cum eos prima inveſtitura ad ſucceſſionem invitaſſet, & ſuperius dictum eſt. Denique jus devolutionis in crimine læſæ Majeſtatis omnino impeditur, videlicet ſi vaſallus Principis majeſtatem lædit, tunc non agnatis ſed ipſi Principi, a quo recognoſcit aperitur, modo feudum fuerit hereditarium ſecus, ſi ex pacto, & providentia, quod inter bona reſtitutioni ſubjecta, familiæ poſteriſque relicta recenſetur, quæ in bonorum confiſcatione non continentur, Roſent. *cap.* XI. 13. *n.* 10., ſed agnati fiſcum excludunt, diſſen. A. Matth. *de crim. lib.* 48. *tit.* 20. *c.* 4. *n.* 22. Jure noviſſimo Regni Neapolitani ex gratia Regis Ferdinandi Catholici duo tantum crimina confiſcationem, læſæ majeſtatis, & hæreſis præferunt, *cap.* XIV. *Grat. R. Neap. an.* 1505., & *cap.* VI. *an.* 1507. ſalvis dotibus, dotalitiis, & tertiis, quæ mulieribus competunt, Thom. de Marin. *de Gen. feud. tit.* VII. *n.* 15.

§. XXX.

De fructibus, & melioracionibus feudi devoluti.

EXtincto felonia Vaſalli jure in feudo, videndum, cuinam fructus, & meliorationes cedant; & duabus regulis concludam: Pri-

Prima eſt: ſi feudum felonia aperiatur, fructus perceptos reſtituere non tenetur, quia bona fide, & jure ſuo percepit; nec cauſſa amiſſionis retrotrahitur, ſicut fructuarius, finito uſufructu, fructus perceptos non reſtituit *l.* 13. *D. quibut mod. uſusfr.* ſive feudum amiſſum ad ſeniorem, ſive agnatos pertineat. Fructum nomine omnis utilitas, melioratio, civilis, naturalis, atque induſtrialis continetur: civilis, ut penſio ex emphyteuſi, prædio cenſitico, domo, fundis conductis, aliiſve debita, modo earum dies tempore devolutionis ceſſerit, & venerit, & percepta fuerit. Naturalis, ut, poma, pyra, nuces, ſilva cædua, fœnum, gramen, folia, frontes, ligna. Induſtrialis, ut oleum, vinum, & omnes fructus, qui ſeminantur, Piſces & capti in fluminibus, ſtagnis, vel piſcinis; venationes, & paſcua comprehenduntur, Scrad. *par.* 1x. 11. *ſect.* 3. *n.* 1. *& ſeqq.*, prolixe Piſtor *lib.* 1. *q.* 24. Fructus vero pendentes, & non perceptos non ſibi, ſed domino, aut, recte exemplo fructuarii Hotom. *ad* 11. *f.* 28. aliique vindicantur. Hinc attrita eſt Cujacii opinio in *lib.* 1v. *f.* 30. quæ inter fructuarium, & proprietarium fructus pro rata temporis dividit, cui *d. l.* 13. obnitltur, Vultej. *lib.* 1. *c.* 11. *n.* 205. Roſent. *cap. x.* 42. *n.* 29. Nam adhuc, fructus pendentes, perceptos, & conſumptos inter dominum, & vaſalli heredem pro anni rata dividendos non obtinuit. Commiſſo itaque feudo ob delictum, omnis fructus, & melioratio ad dominum pertinet. Quæ fructuum reſtitutio a die latæ ſententiæ faciunda eſt.

Secunda regula eſt: Si feudum lineæ interitu, hoc eſt extinctis feudalibus ſucceſſoribus, domino devolvitur, feudiſta in 11. *f.* 28. diſtinguit, *quod ſi ante martium: omnes fructus illius anni ex feudo provenientes, ad dominum pertinebunt. Si vero poſt Kalendas Martii, uſque ad Auguſtum: omnes fructus, qui interim percipiuntue ad heredes vaſalli pertineant. Si vero poſt Auguſtum omnes fructus anni percipiet dominus. Quidam tamen dicunt, quocumque tempore anni decedat, omnes pendentes fructus ad dominum pertinere.* In Italia nonnulli cenſebant, devoluto feudo, ob lineæ interitum, omnes fructus pendentes ad ſeniorem ſpectare, ſicut hic refertur, quod in fructuario, juri civili ſatis conſentit, cujus heredi fructus a ſolo ſeparati cedunt, ceteros proprietarius vindicabit §. 36. *Inſt. de R. D.* Nihilominus hæc opinio feudiſtæ non placuit, ſed ipſe diſtinguit: ſi vaſallus poſt Kalendas Martii, & ante finem Auguſti decedit omnes fructus, qui interim percepti ſunt, ad heredem vaſalli pertinebunt: Si vero inter Kalendas Septembris, & Martium deceſſerit, omnes feudi fructus dominus vindicabit. Quænam ſit hujus diſtinctionis ratio contenditur: Vultej. *lib.* 1. *c.* 11. *n.* 209. inquit, quia, nemini injuriam irrogat, ſi vaſallus, qui eo uſque vi-

Digitized by Google

vixit, ut fructus provenientes viderit, etsi non maturos, ut si ante eorum maturationem decedat, ejus heres lucretur. Et vicissim Dominus, ut si vasallus moriatur ante martium, quo tempore fructus vix dum apparent, ut si aliqui postea proveniant, domino cedant. Prudenter feudista annum ex solo, & ex seminibus distinxit: prior pars, quæ soli est, seniorem respicere; posterior, quæ est fructuum, vasallum, ejusque heredem spectaret. Imo omnes etiam fructus, qui post Augustum pendent, & mense Septembri, Octobri, & Novembri colligere potest, ut olivas, uvas, similesque, qui pro loci ratione nunc citius, nunc tardius maturescunt, heredibus vasalli cedant; cum iniquum esset vasallum ejusve heredem, a domino, vel agnatis excludi, dum ipse expensas fecisset, Sonsbec. *par. 2. n.* 11. Scrad. *par. 2. n.* 11. *sect.* 3. n. 5. Rosent. *cap. 2. 42. n. 49.*, & dictum in singulari differt. *de bon. ne* in fine *libri* 11. *Prælectionum in Consuetudines feud. edendo.*

Nunc de meliorationibus, nempe ædificiis, stagnis piscinis, molendinis, muris, aggeribus, vepretionibus, aucupiis, pratis, jurisdictione, viridariis, nemoribus evulsis, columbariis, cellariis, horreis, stabulis, puteis, cisternis, munitionibus, vineis, servitutibus emptis, plantationibus, palcuis, & quæ sunt. Et omnis melioratio vel est latens, vel apparens, separabilis, aut insæparabilis, intrinseca, aut extrinseca, ordinaria, aut extraordinaria. De his duplex obtinuit regula prima, si vasallus feudum committit, qua feudum ad seniorem, vel agnatos revertitur, omnes [illegible] amittit, nec retinere, nec earum pretium repetere valet. Nam qui delictum damnum sentit, non videtur damnum sentire *l.* 203. *D. de R. J.*; nec hujusmodi meliorationes quid separatum a feudo, sed conjunctum, & partem feudi constituunt, Pistor *lib.* 11. *q.* 42. *n.* 29. Scrad. 11. *par.* 11. *sect.* 2. *n.* 17. & 18. Vultej. *lib.* 1. *c.* 21. *n.* 249. Rosent. *cap. x.* 43. *p.* 9. exemplo emphyteutæ, qui emphyteuseos, hac est meliorationes amittit *l.* 2. *C. de jure emphy.* Attamen Gudelin. *pol. v. c.* 5. *n.* 3. Struv. *s. j. f. cap. xv.* 17. & Rothius *in Pand. feud. cap. xxi. q.* 19. huic regulæ omnino reclamant, hac ratione, quia dominus id solum a vasallo repetit, quod hic a domino accepit, & meliorationes potius allodiales, quam feudales censentur. Non sufficit: nam melioratio pars feudi evalit, si totum auferatur, partem auferri necesse est; nec allodialis, sed feudalis dicenda, cum principale, cui accedit, feudale fuerit. Hinc regula de iis meliorationibus intelligitur, quæ per se stare non possunt, & a feudo separari non valent, de qua *in.* 11. *f.* 8. §. *e contrario autem si quid feudo a vasallo additum sit: si quidem tale adjectum sit, quod per se subsistere possit, id est ut per se constetur, ut prædium, id non*

accre-

accrescit feudo. Si vero per se non possit subsistere, ut servitus: plerisque placet feudo accedere, & sicut partem feudi disponendam esse: meliorem namque conditionem feudi facere potest, deteriorem vero sine domini voluntate, vel eorum agnatorum, ad quos per successionem pertinet, facere non potest; ibi Interpretes: ut sunt machinæ ligneæ, bona mobilia, prædium, aut rusticum, aut urbanum titulo emtionis, aliove adquisitum, & feudo conjunctum: meliorationes vero, quæ a feudo separari non possunt, ut fossæ, piscinæ, stagna, vineæ, arbores plantatæ, servitutes scales, libertates, immunitates, & quæ sunt, feudo adquiruntur, & heres vasalli electionem habet, utrum rem tollere, aut pretium ejus repetere velit, ut infra, Scrad. *par. IX.* 11. *sect.* 2. *n.* 8., & *sect.* 1 *n.* 6., Pistor *lib.* 1 *q.* 42. *n.* 25. *ibi adnot.*

Secunda regula est: si feudum ob lineæ interitum, deficientibus feudorum successoribus, aperitur, tunc, inquit, feudista *in* 11. *f.* 28. *Si vasallus in feudo aliquod ædificium fecerit, vel ipsum sua pecunia melioravit, & contigerit postea, ut vasallus sine filio masculo decedat, Dominus aut patiatur ædificium auferri, aut solvat pretium melioritionis. Idem dico si pretio servitutem feudo adquirat. Quidam alii dicunt omnino ad Dominum pertinere.* In Italia ævo feudistæ duplex hac de re aberrabat sententia; prima Dominum ad meliorationes, atque impensas in feudo, sive circa ædificium, sive servitutem factas damnabat, vel pati, ut auferantur. Secunda, generaliter omnes seniori addicebat. Primam Interpretes fere omnes sequuntur, & heredem defuncti vasalli melioratione a Domino repetere posse concludunt, & merito: nam si quis in re aliena, vel sua bona fide ædificat, quæ deinde ad alium transire debet, impensas repetere potest §. 30. *Inst. de R. D., l. 9. D. de adq. rer. dom.* Præterea esset in potestate vasalli, nimis sumptibus ita onerare dominum, ut invitus feudum cedere cogeretur, dum impensas refundere nequiret; quam rationem Celsus *in l.* 38. *D. de R. V.* perpendit.

Idcirco heres vasalli impensas in melioratione factas repetit, non quas defunctis fecit, sed quas diligens patersam., cautusque agri cultor facere poterat. Finge, defunctus viridarium in prædio feudali plantavit, & 600. impendit, quotannis 20. reddat, heres non 600. sed 400. computatis quinque pro 100. repetere potest. Nam non quantum impensum est, sed quantum utilior, & fructuosior feudalis fundus factus, senior solvere debet, *l.* 38. *D. de R. V.* Nec Dominus heredi opponere potest, si defunctus fructus perceperit, nam vasallus non accipit feudum, ut fructus perciperet, sed ut servitia præstaret. Si melioratione fecit, etsi inde fructus habue-

Digitized by Google

buerit, tamen recte repetit, quia ex fructus ſervitia præſtitit.

Et quoniam impenſa triplex eſt neceſſaria, utilis, & voluptuoſa: neceſſaria, quæ neceſſitatem impendendi in ſe habet, non facta, res deterior futura erat, hanc reſtituere debet. Videlicet ædificia ruentia fulſerit, agros feudales contra impetum fluminis, vel pluvialis, & quotidianæ aquæ foſſis, atque aggeribus muniverit. Utilis eſt, qua non facta, res non erat deterior futura, ſed fructuoſior evaſit. Nempe ſi oliveta, vineta, novelleta fecerit, lapicidinam aperuerit, ſi arbuſtum paſtinaverit. Hanc & præſtare tenetur, ſi extat, quia fundamentum reſtitutionis eſt utilitas, non præterita, ſed præſens, aut quæ certo futura erit, quia præterita defuncto lucrum attulit, præſens, aut futura ſeniorem locupletat. Voluptuoſa eſt, qua omiſſa, res deterior futura non erat, aut facta, nec fructuoſior evaſit, ſed ornat. Hæc ſi ſine læſione feudi ſeparari poteſt, reſtituenda, ſecus ad feudi poſſeſſorem tranſmigrat.

Verum feuda ſive felonia, ſive lineæ interitu ad Dominum redeant, cum onere, hoc eſt debito ſuper clientela legitime contracto tranſire debent. Si vaſallus feudum, accepta pecunia, conſenſu Domini obligavit, eo devoluto, Dominus ſolvere cogitur, quia huic obligationi tacite conſenſit, dum ſciebat, aut ſcire poterat, & debuerat, debitum, illamque obligationem feudum afficire, quod ad ſe devolutum, cum onere tranſiret. Hinc in Regno Neapolitano hypotheca legitime ſuper feudo conſtituta, non expirat, ſi feudum ad fiſcum devolvitur, [illegible] Interpretum voto, & perpetua rerum judicatarum auctoritate confirmatum eſt, & placuit, Roſa *in prælud. feud. lect. v.* TANTUM HÆC. UT SOLI DEO, EJUSQUE MATRI GLORIA CEDAT.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX
RERVM ET VERBORVM

P. significat Prolegomena, I. librum, II. librum secundum, III. librum tertium, IV. librum quartum, ultimum numerus paginam N. notam.

A

Abbatissæ.

Abbatissæ imperii servitia ob feudum militaria præstant, III. p. 67.

Abbatissæ Imperii feuda possident, & quæ? I. p. 239.

Abbatissa Ordinis Cistercienſis in Italia celeberrima, quæ ejus jurisdictio? ibidem.

Abbatia

Abbatiæ, hoc est reditus earum olim dabantur in feudum, abusus, ratio II. p. 344. exemplum.

Abusus.

Abusus infeudandi circa res, & personas, II. p. 344. & seqq.

Adoha.

Adohæ origo, III. p. 95. & 96. Sub Normannis quanta fuerit, ibidem & p. 98. Etymon, p. 97. Cui subrogata sit? p. 98. Tempore solutionis adohæ Baro subventionem a suis vasallis exigere poterat, p. 98.

Alphonsus I. Adoham Baronibus remisit, & quomodo?

Hodie quantitas Adohæ quæ sit? p. 99.

Adoha possessorem sequitur p. 100.

Quomodo exigitur a Rege, p. 100. qua actione a fisco petitur, p. 101.

Adoha duplex est vetus, & nova p. 102.

An Rex augere potest? & quotannis solvitur p. 101. & seqq.

Annata.

Annatæ origo, cur inducta, in quibus locis, & beneficiis servata, an simoniaca, quid? III. p. 148. & seqq.

Amissio feudi.

Amissio feudi natura, vel arte contingit, quomodo? IIII. p. 349. ubi late. Sine culpa amitti nequit, p. 351. ubi late.

Angaria.

Angaria est Principis regalia. Est plaustrorum, & jumentorum Præstatio. Huic oneri Provinciales tenebantur. Nonnulli exempti erant, & qui? differt a Parangaria. II. p. 292. & seq.

Argentaria.

Est Principis regalia, continet omne quod e terra eruitur. Inventa in fundo privato ad Dominum pertinet, hodie est Principis, II. p. 294.

Amortizatio.

Est regalia, ante Monarchiam Comites, & Duces Regni exercuerunt, omnibus fere dominiis Europæ retenta, quid sit? II. p. 304.

Alluvio.

Quid? feudo accrescit, quo jure? II. p. 348. Exemplum, ibidem p. 349.

Accessio.

Quid? quotuplex? accedit feudo, II. p. 348. & seq.

Adiutorium.

Baro exigere potest adjutorium a suis vasallis, in quibus casibus? quantitas? II. p. 363.

Adiutorium Baro exigere potest a vasallis, moderate P. I. p. 38. & in quibus casibus, ibidem & p. 40. quotuplex sit adiutorium P. I. p. 39. not.

Actus.

Actus meræ facultatis non præscribuntur, II. p. 378.

Assecuratio.

Assecuratio vasallorum apud nos vetusta, longobardis nota, II. p. 407. N.

Amita.

Amita in feudo antiquo, & novo succedit, II. p. 453.

Arbores.

Vasallus non potest incidere arbores fructiferas feudi, & quomodo? III. p. 44.

Angli.

Angli quantonam feuda cognoscere ceperint? P. I. p. 21.

Assecuratio.

Assecurationis jusjurandum quid contineat? quis primus apud nos induxit? Mulieri fructuariæ præstandum, P. I. p. 37.

Alienatio.

Alienari feudum non potest in manus mortuas sine speciali Regis assensu,

Digitized by Google

P. I. p. 41. jure ſiculo alienari poteſt feudum ſine Regis aſſenſu P. I. p. 43. non in manus mortuas, ibidem.
Si vaſallus feudum alienat ſine ſenioris conſenſu, feudum amittit, modo dolus adſit, IV. p. 355.
Feudum olim ſine conſenſu Domini alienari poterat, III. p. 173. quis primus voluit? p. 174. cur? p. 176. & 177. Pœna alienantis feudum, in emptore, & venditore, p. 145. Pœna ſcribæ, qui inſtrumentum ſcribit, p. 176. Quid ſub nomine alienationis continetur? p. 178. Sunt caſus, in quibus alienari ſine conſenſu ſenioris poteſt, qui referuntur in III. p. 188. & ſeqq.
Aut ſi iubet conſuetudo, vel ſi eſt pignus neceſſarium, ibid.
Aut ſi ſint fructus, p. 193. Clauſula ut alienare poſſit, quid? p. 203.
An apud emptorem feudum ſit? ibid.

Advocatia.

Quid ſit? unde orta? vel ſacra vel profana eſt. Eccleſiæ, & Monaſteria Advocatos habebant, cur? Regibus, & Magnatibus Eccleſiarum Advocatia erat, P. I. p. 118. & ſeqq. Cæpit eſſe in commercio, in dotem dari, alienari, ad heredes tranſmitti ibid. p. 122.

Accidens feudi.

Eſt quod pacto Naturæ feudi addi poteſt, & varium eſt, ſicut in inveſtitura convenit P. I. p. 173.

Armannia.

Armannia eſt Principis regalia, eſt publica officina in quo arma cuduntur. II. p. 282.

Archidux.

In Archiducem Auſtriæ committitur crimen læſæ Maieſtatis, II. p. 298.

Alienatio feudorum Regni Siciliæ.

Poteſt fieri ſine Regis conſenſu, quomodo? III. p. 286. & ſeqq. Modo non fiat in perſonam incapacem, vel Eccleſiam, & Eccleſiaſticas perſonas, p. 288. & ſeq. Non dividatur, ibidem & in quibus feudis ſervatur, p. 290.

Actio feudalis vaſalli.

Quot modis actio pro feudo vaſallis competat? IV. p. 311. Competit actio perſonalis ibid. Condictio ex lege, p. 312. Utilis rei vindicatio, p. 313. Interdicta poſſeſſoria, p. 313. & ſeqq.
Actio publicana, p. 315. Confeſſoria, & negatoria, p. 316. Petitio hereditatis, p. 317.
Actio revocatoria, ibid. Evictio, ibid.
Actio legis Aquiliæ, communi dividundo, finium regundorum, præſcriptis verbis, p. 318. ubi latiſſime.

Actio Domini.

Competit actio Domino pro directo dominio, IV. p. 319. Rei vindicatio, condictio ex moribus, actio ex ſtipulatu, actio præſcriptis verbis, condictio ob cauſſam, ibid. Interdicta poſſeſſoria, p. 320. ubi late.

Actus.

Nonnullos actus faciendos, vel non lex naturali pudori relinquit, IV. p. 353. N.

Agnatus.

Agnati conſenſus requiritur in feudi antiqui alienatione, III. p. 228. Hujus conſenſus proprietas, ibid. Nec cogitur conſentire, ibid.

Alienatio feudi jure Regni.

Alienatio feudi ante Rogerium moribus Longobardicis regebatur, III. p. 230. ubi late. Rogerius I. apud nos primum alienari vetuit ſine Regis conſenſu, p. 231. & ſeqq. quomodo? ibid. Legem Rogerii retinuit Frid. II. Fridericus in quibus a jure Longobard. & lege Lotharii, & Frider. I. diſceſſit, p. 233. Contractus eſt ipſo jure nullus, contrahentes ſtatim revocare poſſunt, p. 234. quinam revocare poſſunt? p. 235.

Actio hypothecaria.

An hæc transferri ſine Regis conſenſu poſſit? III. p. 278.

B

Baro.

BArones ante Monarchiam erant Reguli II. p. 361. Tributa imponebant ibidem p. 362. decimas de rebus immobilibus exigebant, ibidem. Nemo ſine eorum venia Clericus fieri poterat, ibidem. Nemo Eccleſiis donare ibidem p. 361. Sed erecta monarchia eorum juriſdictio diminuta, merum imperium Regis evaſit. Quantum Auctoritatis leges Nortmannicæ, Svevicæ, & Andegav. Baronibus dederint? ibidem p. 363. & ſeqq. Nequit cogere vaſallos, ut gabellas, furnos, & ſimilia conducant. II. p. 379. Nequit impedire libertatem Vaſallorum in contractibus, ibidem, Nequit impedire electionem Syndici, Electi &c. ibidem. Præfertur in emptione fructuum feudalium, ibidem Nequit impedire nuptias vaſallorum, ibidem p. 380. Nequit imponere novas exactiones, ibidem. Habebant olim jus in perſonas, II. p. 381. Nequit cogere vaſallum, ut ſua rura colat, II. p. 382. & 383.

Baro

Digitized by Google

Baro habet merum mixtumque imperium, jure domininii, non administrationis, unde ipse judicare nequit, II. p. 384. Non debet vasallos opprimere & quot modis opprimere possit? II. p. 387. Nequit impedire appellationem, ibidem. Quinam Baroni iurare teneantur, III. p. 79. Ratio huius iuramenti, ibidem. iuratur Baroni, qui civilem iurisdictionem habet, p. 80.

Baro iure Regni quid? quæ requirantur, ut sit Baro? I. p. 209. Causæ, cur tot Barones in Regno sint, I. p. 219. Hoc nomen textu feudali non occurrit, sed in Italiæ chartis, & gestis invenitur I. p. 204. Quid in lege Barbarorum significet? ibidem.

Bajulus.

Baiulus habebat iurisdictionem civilem II. p. 366. De quibus rebus, ibid.

Balius.

Jure Siculo dari in testamento sine Regis assensu potest, II. p. 458.

Breve testatum.

Vasallus tenetur edere breve testatum Seniori, III. p. 44. quid sit? IV. p. 328. probatur investitura ibidem.

Beneficium Ecclesiasticum.

Quomodo cum feudo conveniat, & differat, P. I. p. 179. & 180.

Bona.

Bonorum communio incommoda parit, II. p. 257.

Bona Universitatum quæ? Eorum divisio; dominium penes Universitatem, usus penes cives est, ibidem.

Bona communia quæ? ibidem p. 258.

Bona propria, & fiscalia quæ? hæc divisio quando nata? ibidem. In bonis propriis lex quot iura distinguit? ibid.

Bona Principis quæ? Vide *domanium Principis.*

Bona fiscalia quæ?

Bona patrimonialia quæ?

Bona propria Principum quæ? II. p. 263. 264.

Bona indignorum.

Bona indignis auferre est Principis regalia. Indignus quis dicatur? Quomodo ab incapaci differat? Ex quibus caussis bona indignis auferantur? II. p. 288. & seqq.

Bona incestuosorum.

Bona incestas nuptias contrahentium occupat fiscus. Est regalia incestus quid? quotuplex? pœna II. p. 290.

Bona damnatorum.

Bona damnatorum occupat fiscus? est regalia, quando Romæ inventa? an semper fiscus auferat? an in omnibus criminibus? an omnia ad fiscum transeunt? II. p. 291. & seq.

Bona Ecclesiæ.

Dicuntur divini iuris, improprie II. p. 323. Quis primus alienari vetuit? ibidem. Ante feudorum inventionem, quomodo alienabantur? ibidem p. 324. Dari possunt in feudum, ibid. Quæ caussæ fuerunt, cur in feudum darentur, exempla, ibidem. Prælati R. Neap. non infeudant bona Ecclesiæ, excepto Abbate M. C. ibidem p. 326. & seq. Quæ sit solemnitas infeudationis? ibidem. Quæ res dicatur solita infeudari? ibidem p. 329. Quando desinit dici infeudari? ibid. p. 330.

Bona adventitia.

An in feudum dari possint? II. p. 348.

Bellum.

Jus belli gerendi est Principis regalia. Quæ sint iustæ belli caussæ? an caussa religionis Gentilibus, & hæreticis inferri possit bellum? II. p. 279. & 280.

Bona vacantia.

Sunt regalia Principis. Quando bona vacare dicantur? Fiscus ad onera tenetur. Abusus in Sicilia, II. p. 286. & seqq. non semper fiscus succedit, ibid.

C

Casatus.

Casatus est, qui aliquam feudi partem a Milite Ecclesiæ tenet. Distinguitur a servo casato, qui in villis opus rusticum exercebat. Dicitur a Casa, h. e. habitatione I. p. 189. & 190.

Carolus M.

Hic Imp. devictis in Italia Longobardis eorum leges, & politiam retinuit I. p. 200. Et cur? ibid. p. 202. Quomodo se gessit, devicta Italia? ibid.

Castaldiatus.

Castaldiatus in Regno recensentur. Quid sit Castaldia? I. p. 205.

Comes.

Comes jure Romano quid? quandonam dignitatem habere cœperit, I. p. 196. Quid Comes primi, secundi, & tertii ordinis? ibid. p. 196. & 197. Quæ fuerit Comitum dignitas, officium, & nomina? ibid.

Comes iure Germanico est, qui iura per pagos reddit. Erat iudex ordinarius in urbibus, civili, & criminali iurisdictione fruens, I. p. 197. & 198. Initio erat simplex iustitiæ administra-

ſtrator, poſtea feudatarius evaſit, ibid.
Comes iure italico eſt, qui Civitati titulo officii præeſt, primum a Gothis in Italia inſtitutus, ſub Longobardis feudatarius evaſit, I. p. 200.

Comitatus.

Ex divitione Principatus Beneventani plures Comitatus in Regno exorti, I. p. 206.

Comes.

Comes iure Regni quid? I. p. 208. quid Comitatus.

Clericus.

Clericus acquirere poteſt feudum, an id Eccleſiæ diſciplinæ conveniat? I. p. 247. non ſuccedit in feudo, ibidem p. 248.

Collectio juris feudalis.

Ante Conradum Salicum jus feudale moribus nitebatur. Conradus primus leges de feudis tulit, P. I. p. 28. Auctor huiuſmodi conſuetudinum ignoratur. Cuiacii, Hotomanni, Duareni, Struvii opinio refertur.
Collectione acta Bononiæ legi cepit propria Interpretum auctoritate, non iuſſu Frid. I. aut II. Quis primus glossis illuſtravit. Hugolinus corpori iuris civilis adiecit, Cuiacius quomodo hanc collectionem diviſerit, I. p. 29. & 30.
Collectio iuris feudalis nunquam ab aliquo Imperatore confirmata eſt, ſed moribus, P. I. p. 51. In Germania ſeculo XII. recepta *ibid. in not.* Sub Henrico VI. in Regno innotuit ibid. p. 16.

Carolus.

Carolus I. ſervitium feudale in Regno ſtatuit. Carolus II. inveſtituram pro ſe, & heredibus ex corpore legitime deſcendentibus induxit P. I. p. 40.

Controverſia.

Controverſiæ feudales quomodo decidendæ, quænam ſint deciſionis regulæ P. I. p. 55.

Clauſulæ feudorum Eccleſiaſticorum Regni.

Clauſula erat ut Eccleſia ius haberet tot homines affidandi, ut ab omni poteſtate eximeretur, & immediate S. P. ſubiiceretur. Et quiſq. ius haberet illi Eccleſiæ donandi, P. I. p. 195. & ſeqq.

Capitaneus.

Eſt qui immediate a Principe feudum tenet I. p. 187. tanquam caput Regni. Aut qui immediate ab Eccleſia inveſtitutam recognoſcit, ibid. p. 189. Jure Regni eſt Baro p. 190.

Conſenſus Domini.

Domini conſenſus in feudo eſt ſtricti iuris III. p. 196. Nec de re ad rem. Nec de contractu ad contractum. Nec de tempore ad tempus. Nec de caſu ad caſum extenditur, cur? III. p. 196. & ſeqq. In materia aſſenſus non valet argumentum a maiori ad minus, niſi virtute comprehenſiva, ibid. p. 200. & 201. Effectus conſenſus qui? ibid. & p. 205.

Clauſula aſſenſus.

Clauſula *ſalvo jure meo*, quid? III. p. 202. *Salvis juribus Curiæ* quid, ibid.

Conſenſus Regis in Nuptiis vaſallorum.

Eſt Regis noſtri Regalia, a Nortmannis, Svevis, & Carolo I. retenta, a quo mutata? III. p. 246. & ſeqq.
Conſenſum in nuptiis Baronum in Regno Nortmanni primum induxerunt, I. p. 236. Svevis placuit, an Andegavenſibus? quid hodie ibid. p. 237.

Conſenſus Regis in feudi alienatione.

Origo regii aſſenſus, III. p. 266.
Conſenſus proprietas, & vitia, p. 267. & ſeq. Eſt ſtricti juris; cur? ibidem exceptio, p. 269. An Rex denegare poſſit? p. 270.

Conſenſus Proregis.

Origo, quæ fuerit Proregum auctoritas in alienatione feudorum? III. p. 271. In quibus caſibus conſentire nequit, p. 272. & ſeqq. Tempus obtinendi aſſenſum, p. 280. An in adiudicationibus requiritur aſſenſus, p. 278.

Conſenſus Regis, & Baronis.

In ſubfeudi alienatione iure Longobar. Senioris immediati, iure Regni Regis, & Baronis requiritur, III. p. 281. & ſeqq. cur? 283.
Conſenſus Regis quot modis conſideratur? p. 284. In alienatione feudi plani ſolius Baronis conſenſus ſufficit, p. 285.

Curtis.

Quid ſit? III. p. 299. & ſeqq.

Cauſſa feudalis.

Quæ dicatur cauſſa feudalis? III. p. 302. & p. 346. Quæ conſuetudo inſpicienda in decidendis cauſſis feudalibus? p. 329.

Campio.

Adhibebatur pro aliis in duello, erat infamis, prius iurabat, IV. p. 337.

Contumacia.

Contumacia vaſalli quotuplex? IV. p. 368.

Cauſſæ amittendi dominium.

Cauſſæ amittendi dominium directum, ſunt,

Digitized by Google

ſunt, ſi Dominus lædat vaſallum in honore, corpore, & bonis, quomodo? IV. p. 300. & ſeqq. Si ſubvaſallus & vaſallus contumaciam committant, p. 392. & ſeq.

Clientela.

Origo clientelarum apud Græcos, Romulus Romæ inſtituit; obligatio clientum erga patronos, & viciſſim, differt a feudis, diviſio clientelarum, P. I. p. 7. & 8.

Celtiberi.

Celtiberi, cadente Duce, ſuperſtites eſſe recuſabant.

Comitatus.

Comitatus titulum in Regno Neapol. primum Grimoaldus inſtituit. Erat precarius poſtea ad vitam, poſtea hereditarius evaſit, P. I. p. 25. & 26.

Clericus.

Clerici definitio, I. p. 186.

Curator.

Hodie inter tutorem, & Curatorem non eſt differentia, & cura ad an. 25. durat, I. p. 230. Moribus in teſtamento feudali dari poteſt, ibid. Si pater non dedit, cura agnatis in feudo defertur ibid. p. 231. Si pater dat filio curatorem, opus eſt ſenioris conſenſu ibid. Et in Regno ſervatur, cur? ibid.

Collatio.

Eſt tributum extraordinarium differt a vectigali, tributo, & cenſu quando indicitur? II. p. 203. N.

Collecta.

Frider. II. primus collectas in Regno induxit, in quibus caſibus? II. p. 309. Alphonſus I. abrogavit, & focularia induxit, ibid. p. 313.

Concubinatus.

Romanis permiſſus & Barbaris, hodie eſt ſcortatio, IV. p. 362.

Clericus.

Clericus ſi actione perſonali convenitur ab Epiſcopo, ſi reali a laico cognoſcendus, II. p. 354. Quando hæc diſtinctio cepit? Quis fuerit auctor? ib. Eam Guilelmus II. in Regno retinuit, ibidem.

Compoſitio delictorum.

Delicta componi in media ætate frequens erat, II. p. 385. Quæ requirantur ad delictorum compoſitionem? II. p. 386. Jure Regni quæ delicta componi nequeunt? ibidem.

Clauſulæ inveſtituræ.

Diviſio clauſularum inveſtituræ, II. p. 409.

Clauſ. *cum integro ſtatu* quid? ibidem.

Cum pertinentiis ſuis quid? ibid.

Cum regalibus quid, ibid. p. 410.

Cum bonis vacantibus quid? ibid. 410.

Cum juriſdictione, & mero imperio quid? ibid. p. 411.

Cingulus militiæ.

In aſſumendo cingulo militiæ Baro ſumptus erogabat, unde ſubventionem a vaſallis exigebat, III. p. 128. Sumptus in quo conſiſterent? quæ erat cinguli ſolemnitas? ibid.

Conſtantinus Porphyrogeneta.

Hic Imp. prædia militibus data alienari vetuit, III. p. 177. N.

Creditor.

Creditor hypothecarius ſuper feudo cedere poteſt hypothecam ſine ſenioris conſenſu, III. p. 191. & 192.

Crux.

Eſt ſpuria probatio, IV. p. 336.

Culpa.

Quid? quotuplex? IV. p. 353.

Cauſſæ amiſſionis feudi.

Inſidiæ, quas contra Seniorem ſtruit vaſallus IV. p. 357. Oppugnatio, ſi caſtrum ſenioris obſedit, exceptio, ibid. Deſertio, ſi deſerit dominum in bello, & quomodo? p. 358.

Contumelia, quam Domino irrogat p. 359. Accuſatio, ſi dominum in criminali iudicio accuſat, quomodo? exceptio p. 359. & ſeq. Teſtimonium nec in cauſſa civili, vel criminali contra Seniorem dicere debet, p. 360. quomodo? ibid. Pudicitiæ ſollicitatio, contra quem? p. 361. nempe uxorem, viduam, ſponſam, concubinam, matrem, neptem ex filio, nurum, ſororem, ubi latiſſime. Nex fratris ſui, quomodo? p. 363.

Contempus, ſi Seniori bellum eunti non obediat, p. 364. Si inveſtituram non renovat, p. 365. Moribus Regni & aliorum duplicatum ſolvit relevium. p. 365. & ſeq. N. Recuſatio, ſi iurare recuſat, quomodo? p. 366. Abnegatio, ſi feudum negat, ibidem; Arcani enunciatio, ſi ſecreta Senioris pandit, p. 367.

Contumacia, ſi legitime citatus nolit comparere, ibid. & ſeq. alienatio, ſi inconſulto domino, feudum alienat, quomodo? p. 369. Vitium corporis, & mutus, ſurdus &c. quomodo, p. 370.

Clericatus, ſi vaſallus clericus fiat, quomodo? ibid. & ſeq.

Canon, ſi ſtatuto tempore penſionem non ſolvit, p. 371. Statutum, ſi legem contra Eccleſiæ libertatem condit, quomodo? p. 373.

Crimen, ſi lædit majeſtatem humanam vel

vel divinam, quomodo læditur? p. 373. ubi late. Si hæreticos non perſequitur ex Concil. later. quod explicatur, p. 374. Damnum, quod affert Senioris patrimonio, p. 375.

Carcer, ſi Seniorem a carceribus non liberat, p. 375. & ſeq. Mutatio, ſi feudo abutatur, & quomodo? p. 376. & ſeqq. Defectus homagii, nempe ſi non eſt, qui onera feudi ſuſtineat, p. 377.

Cauſſæ amittendi feudum Collegiorum. Si Prælatus, aut Rector feloniam committit, feudum ad Dominum redit, & tamdiu apud eum manet, quamdiu vivit is, qui feloniam commiſit, IV. p. 379.

Cauſſæ admittendi feuda ſubfeuda, & dominium jure Regni.

Cauſſæ amittendi hæc, ſunt fideiuſſio, ſi vaſallus pro domino non fideiuſſit, IV. p. 381. Si feloniam committit, p. 382. Si ſervitium non præſtat, ibidem, quomodo? Si iuſtitiam non facit, p. 383. Si dominus pro ſuo vaſallo non fideiuſſit, ibid. & ſeq. ſi vaſallus toriiudicatur ibidem, & ſeq. ubi late. Contumacia, & quomodo, p 387. Alienatio, hæreſis, & lineæ interitus, p. 388.

D

Ducatus.

Ducatus Beneventani extenſio, Carolo M. tributarius fuit I. p. 205. in Gaſtaldiatus, & Comitatus diviſus, ibid.

Decimæ infeudatæ.

Decimæ an debentur de iure divino? quando in Eccleſia inductæ? de omnibus ſolvebabantur, exemplo Synagogæ II. p 332. Iniqua exactio decimarum, unde bella exorta ſunt, ibid. N. In feudum dari ceperunt, quis primus dedit? quæ cauſſa fuit? ibid. p. 333. Epiſcopi etiam decimas infeudabant, non raro ambitione ducti, ibidem p. 333. Concilia laborarunt ad recuperandas decimas a manibus laicorum, ibid. p. 334. Quomodo laici reſtituebant? quibus conditionibus? In reſtitutione dupliciter delinquebatur, ibidem p. 334. & ſeq. Quis primus laicis remiſit? ibid. p. 336. Hodie plures laici in Gallia iure hereditario poſſident, ibid. p. 337. In Hiſpania Reges poſſident ibidi

Dos.

Vaſallus tenetur dare dotem filiæ ſenioris inopi III. p. 45. v. paragium.

Dos iure Regni in feudo conſtitui poteſt, & quando? P. I. p. 38. Pro dotibus mulierum tacitus Regis aſſenſus præſtitus intelligatur P. I. p. 41.

Dos non poteſt ſuper feudo conſtitui ſine Domini voto, cur? III. p. 182.

Dominus.

Tenetur ad ſervandam fidelitatem ſuo vaſallo III. p. 46. Ad evictionem, ibid. ad acceptandam inveſtituræ renovationem. p. 47. Ad mutuum auxilium, ibid. Ad iuſtitiam faciendam, p. 48. vaſallo egeno ſuccurrere, ibid. Non accuſare in cauſſa criminali, ibid. Non lædere honorem Vaſalli p. 49. fines feudi oſtendere ibid. Quomodo obligatio Vaſalli ab obligatione Senioris differat? ibid.

Dominium.

Quotuplex? II. p. 460. III. p. 177.

Donatio.

Feudum donari ſine domini conſenſu nequit III. p. 187.

Datio in ſolutum.

Feudum dari non poteſt in ſolutum ſine domini conſenſu. III. p. 187.

Dos, & dotarium.

Dos, & dotarium iure Regni in feudo conſtitui poteſt, III. p. 243. quomodo? p. 243. Etiam Reges noſtri uxori dotarium conſtituebant, p. 243. & ſeqq. An mulier feudum in dotem dare poteſt? p. 246. Pro dotibus tacite intelligitur præſtitus aſſenſus, p. 248. quomodo? p. 249. Quæ ſit dotarii quantitas? p. 250. quando conſtituitur? ibid. cur inventum? ibid. quando peti non poteſt? ibid. Mulier quid in dotario habeat? p. 251. Eo feudo in dotarium ſibi dato aſſecurare tenetur, ibid., cur? ibid. Cum dotario tranſit iuſpatronatus, ibid. Hodie quomodo ſtatuitur? p. 252.

Duellum.

Eſt ſpuria probatio, IV. p. 337. laicis, clericis, & monachis exarcebatur, ibid. quomodo fiebat? p. 338. quis primus vetuit in Regno, quomodo Tridentinum vetet? ibid.

Duces.

Duces Longobardorum in Italia conſenſu Regis creabantur, initio non erant hereditarii, eorum poteſtas, primum Angarias, & Parangarias in Italia inſtituerunt P. I. p. 24. Ducatus Beneventanus ſub Longobardis in Comitatus, & Gaſtaldiatus diviſus P. I. p. 25.

Defetarii.

Defetarii erant libri qui feuda continebant ſub Nortmannis P. I. p. 36. & IX. p. 137. N.

Digitized by Google

Diviſio Perſonarum.

Diviſio in clericos, & laicos eſt iuris naturæ, cur? L. 1. p. 185. In liberos & ſervos eſt iuris gentium, cur? ibid. p. 186. In Capitaneos, Regis valvaſores, minores valvaſores, & valvaſinos eſt iuris feudalis ibidem p. 187. In allodialem, & feudalem eſt iuris barbarici, cur? ibid. Diviſio perſonarum iure Regni eſt in Barones, Comites, milites, burgenſes, & ruſticos I. p. 190. & 191.

Dux.

Quid iure Romano? quæ eius iuriſdictio? I. p. 192. & 193. Jure Francico, & Germanico eſt qui civitatibus, & provinciis præeſt, ibid. civili, militari, & criminali iuriſdictione fruitur ibid. p. 194. formula conferendi ducatum ibid. p. 194. iura omnia fere Regum in Francia, & Germania uſurpavit ibid. p. 195. An ad rationem ducatus XII. Comites requirantur? ibid. p. 195. Jure italico eſt qui in Civitate, vel oppido ius dicit, primum a Longino in Italia inſtitutus, ſub Longobardis feudatarius I. p. 199.

Domanium Principis.

Domanium Principis quid? eius nomina, ab omni lege permittitur, in quo conſiſtat apud varias Gentes? II. p. 26. & ſeqq. Domanium, ſive bona Coronæ Princeps alienare non poteſt, ibid.

Dignitas.

Jus creandi dignitates eſt Principis regalia. Quotuplex eſt dignitas? II. p. 271.

Dohana.

Dohana quid? quid contineat? II. p. 303. Dohana Menæpecodum ſub Nortmannis fuit regalia, ibid. Romanis cognita, ab Alphonſo I. aucta, II. p. 314.

Dotalitium.

Nec poteſt in feudo conſtitui ſine domini conſenſu, III. p. 182. quomodo differat a Donatione propter nuptias, ibid. exempla dotalitii 163. a Marito conſtituebatur uxori, cur? p. 184. exempla, ibid.

Delictum.

Delictum vel eſt feudale, vel commune, IV. p. 354. Vel in omittendo vel in committendo conſiſtit, ibid. delictum feudale quid? & quid delictum non feudale? p. 355. & ſeq.

E

Eſſentia feudi.

Eſt utilis dominii translatio P. I. p. 165. fidelitas ibidem, ut ſit in re immobili ibid. p. 166.

Eccleſia vacans.

In Eccleſias vacantes Reges Neap. re-galias exercebant, & quas, ac? II. p. 305.

Epiſcopatus.

Recenſentur fere omnes Regni Epiſcopatus & monaſteria, quæ feuda poſſident P. I. & ſeqq. Cauſſæ adquiſitionis feudorum in Regno fuit liberalitas Principum, ambitio Eccleſiaſticorum, Potentia Comitum, emtio, & confirmatio inveſtiture P. I. p. 154. & ſeq.

Emphyteuſis.

Quid ſit? quomodo cum feudo conveniat, & differat, P. I. p. 175.

Electio Imperatoris.

Electio Imperatoris quomodo apud Romanos? II. p. 266. Quando per Electores fieri cepit? ibid. p. 267.

Eccleſiæ.

Eccleſiæ, hoc eſt earum reditus in feudum laicis dabantur, abuſus, ratio triplex, II. p. 344. exempla. Conditio huiuſmodi feudorum quæ fuerit, ibid. p. 346. Hic abuſus in Regno Neapol. nunquam fuit, ſi unum exemplum excipias, ibid. p. 345.

Epiſcoporum iuriſdictio.

Epiſcopi cum feudis iuriſdictionem civilem habuerunt, nunquam criminalem, II. p. 356. ita in Regno ſervabatur, ibid. exempla. Quis primus iuriſdictionem criminalem habuerit? P. VII. p. 78. n.

Exheredatio.

An poteſt filius in feudo exheredari? II. p. 329.

Excadentiæ.

Quid ſint? II. p. 466. dantur in feudum a Barone ſine Regis aſſenſu, ibid. quo ſit earum indoles? ibid. quæ requirantur, ut res excadentialis dicatur? II. p. 467.

Quid ſint? eſt nomen vetuſtiſſimum in Regno, occurrit in Regeſto Frid. II. p. 237. Baro eas alienare poteſt ſine Regis conſenſu, ibid. quæ requirantur, ut res dicatur excadentialis? p. 239. quomodo alienare poteſt? p. 240. Quæ ſit natura excadentiarum? p. 241. Devolutis ad Baronem excadentiis an teneatur iterum infeudare? p. 242.

Expectativa feudalis.

Quid ſit? quæ eius conditio? IIII. p. 50. An poſterior generali anteriori deroget? p. 51. N. An contineat votum captandæ mortis, ibid. Nec conſenſu vaſalli poſſeſſoris indiget, p. 53. correſpondet moribus Germanorum feudatariis, ibid. formula, p. 54. effectus, ibid. Succeſſor domini laici ſervare tenetur, exceptio in Regnis, & feudis, p. 55. & 56.

Expectativa Eccleſiaſtica quotuplex? III. p. 72.

p. 72. prælati ſucceſſor eam ſervare non teneatur? ibid. & ſeq. exceptio, ibidem.

Epiſcoporum ſervitia.

V. Servitia Prælatorum.

Eccleſiæ.

Eccleſiæ olim erant in dominio fundatoris, III. p. 146. N.

Expenſæ.

Expenſas, devoluto feudo, an dominus reſtituere debet? IV. p. 408. ibid. Quotuplex ſit expenſa? p. 409.

Eccleſia vaſalla.

Quid? in bello ſervire debet, III. p. 57.

Epiſcopi.

Epiſcopi feudatarii in bellicis expeditionibus, vaſallos caſatos, miniſteriales, alioſque ad bellum vocabant, III. p. 58. Controverſia inter Epiſcopos Aurel. & Altiſiod. cum Rege Francor. de recuſatione eundi ad bellum p. 59. Innoc. III. ſe intromittit, ibid. Nobiliſſimos ſubvaſallos habebant, III. p. 67. & ſeq.

Emphyteuſis.

Non poteſt fieri in feudo ſine domini conſenſu, III. p. 185.

Euchariſtia.

Et ſpuria probatio, IV. p. 336.

F

Fœmina.

FRidericus II. primus in Regno fœminas ad feuda admiſit, II. p. 457.

Fœmina de feudo inveſtiri poteſt, an olim? I. p. 245.

Furioſus.

Furioſus quis? inveſtiri poteſt Curatoris auctoritate? I. p. 245.

Filiusfam.

Filiusfam. acquirere poteſt feudum, I. p. 247. Si feloniam committit, non ſuccedit, IV. p. 400.

Filiusfam. ſtare poteſt in judicio feudali, IV. p. 308.

Fundicus.

Quid? unde dicatur? II. p. 307.

Frater.

Frater fratri etiam in feudo novo ſuccedit, II. p. 450.

Frater major ex uno latere tantum conjunctus, unde feudum venit, excludit utrumque conjunctum II. p. 451. Idem ſervatur in Regno Siciliæ, II. p. 459.

Feudum.

Feudum in Regno XX. unc. quotannis reddere debet, III. p. 96.

Quando poteſt alienari ſine conſenſu Domini, III. p. 178. An noceat filiis? p. 180.

Falſarius.

Pœna falſarii, III. p. 126. N.

Fideicommiſſum.

Vaſallus in feudo poteſt inſtituere fideicommiſſa ſine Regis conſenſu, III. p. 238.

Poteſt jure Regni in feudo fieri ſine aſſenſu Regis, & quomodo? II. p. 455.

In feudum dari non poſſunt, cur? II. p. 342. excipitur, ibid.

Felonia.

Eſt delictum feudale, unde dicatur? IV. p. 352. quid ſit? ibid. Sententia feloniæ, cui noceat? IV. p. 400. & ſeqq.

Felonia patris nocet filio, p. 401. exceptio, ibid. An agnatis, ibid. Quid ſub nomine Agnatorum contineatur? p. 402. An felonia vaſalli in feudo hereditario aliis noceat? p. 403.

Felonia ſubvaſalli devoluit ſubfeudum Domino immediato, & quando mediato? p. 404. Quot modis ex felonia delinquitur, ibid.

Felonia ſenioris in vaſallum commiſſa quid parit? p. 405.

Fructus feudi devoluti.

Feudum felonia apertum, fructus cui cedant? IV. p. 406. ubi late.

Fundus limitrophus.

Alexander Imp. militibus fundos concedit ſub pacto militiæ, differunt a feudis, arguitur Caſaubonus.

Filius.

Filius non poteſt hereditatem patris acceptare, & feudum repudiare, & viciſſim. P. I. p. 125. Agnatus poteſt, cur? ibid. & III. p. 38. & 39. exceptio.

Ad debita patris tenetur III. p. 40. & quando? ſæpe non tenetur, ibid.

Flumen navigabile.

Eſt Principis regalia, cur? an jus gentium lædat? an piſcare prohibere poteſt? II. p. 284. quotuplex eſt flumen? ibidem.

Flamma.

Eſt illegitimus in media ætate probandi modus, IV. p. 336.

Ferrum candens.

Eſt ſpuria probatio, IV. p. 336.

Feudum ligium & non ligium.

Feudum ligium eſt, in quo fidelitas, nemine excepto præſtatur, P. I. p. 84. Hæc diviſio *Long.* ignota. Exemplum feudi ligii, ligius quis ſit? ibidem p. 84. & 85. Quæ requirantur ad feudum ligium? An quis poſſit eſſe ligius duorum? Ibid. p. 86. Quid ſit feudum non ligium? Quæ ſit cauſſa feudi ligii, ibid. p. 85. & 86.

Feudum emptitium, & maſculinum.

Feudum emptitium quid ſit? an proprium? defenditur proprium eſſe, P. I. p. 87.

Feudum maſculinum quid ſit? an in dubio tale præſumatur? P. I. p. 89.

Feudum curtis, & extra curtem.

Curtis quid sit? unde dicatur? quid significet? Quid sit feudum in curte? quid extra curtem? Recensentur feuda extra curtem, P. I. p. 90. & seqq.

Feudum oblatum.

Feudum oblatum juri Longob. ignotum, raro in Italia exemplum occurrit. Quæ sit origo feudi oblati? Dantur exempla feudi oblati. Recensentur causſæ feudi oblati. P. I. p. 93. & seqq.

Feudum pecuniarium.

Feudum pecun. est improprium in pecunia annua consistit, pecuſium in ætate quid notet? Origo feudi pecuniarii fuit paupertas. Quomodo utile, & directum dominium in pecunia distinguatur? Exemplum feudi pecuniarii, P. I. p. 99. & seqq.

Feudum pignoratitium.

Feudum pignoratitium est improprium definitur, differt a nudo pignore, effexus, P. I. p. 102.

Feudum francum.

Est improprium, Longobardis ignotum, & cur? Est liberum a servitiis. Quando constituitur? Quomodo a servitiis sit liberum? Sæpe vocatur allodium. P. I. p. 103. 104. & 105.

Feudum femininum.

Est improprium. Dicitur, vel quia ad fœminas transit, vel quia primum a fœminis adquisitum est. Origo est a corruptis populorum moribus, ejus proprietas. P. I. p. 105. & 106.

Feudum Guardiæ & Gastaldiæ.

Est improprium, constituitur, si quis sub lege fidei civitatem, castrum, vel districtum custodit V. *Gastaldus*, & *Guardia*. Proprietas feudi Gastaldiæ, & Guardiæ. P. I. p. 108. & 109.

Feudum soldatæ, & censuale.

Utrumque est improprium. Dicitur a *Sold.* h. e. stipendum. Exemplum feudi Soldatæ, ejus proprietas. Feudum censuale quid, ab emphyteusi differt, originem habet a Germanis. P. I. p. 112. 113.

Feudum Cameræ, & Cavenæ.

Utrumque est improprium. A Principe vel privato constitui potest. Est si quis annui reditus sub lege fidei alicui ex penu, vel camera assignatur. P. I. p. 113. Sæpe in media ætate occurrit, exemplum feudi cavenæ, ibid. p. 114. & 115. Utriusque feudi proprietas, ibid. quomodo adquiritur, ibid. p. 116.

Feudum habitationis, & jurisdictionis.

Feudum Habitat. in jure feudali non occurrit, sæpe in Ecclesia Aquilejensi. Quomodo constituitur, quæ sit ejus proprietas? P. I. p. 116. & 117.

Feudum jurisdictionis, V. iurisdictio.

Feudum Advocatiæ.

Quid sit? Ecclesiarum, & Monasteriorum Advocatis quid singulis annis sub lege fidei dabatur, unde feudum Advocatiæ. Hereditarium evasit, P. I. p. 121. & 122. & IV. p. 376. N.

Feudum Hered. & ex pacto, & prov.

Hæc divisio Longobardis ignota est, a Pileo, & Bulgaro inventa. P. I. p. 122. Quomodo feudum heredit. constituatur? Cur vocetur ex pacto? cur ex provid. ibid. p. 123. Quæ sit differentia inter feud. hered. & ex P. & P. ibid. p. 125. quæ clausula.

Feudum loricæ.

Quid sit? cur ita dicatur? exemplum, P. I. p. 129.

Feudum sculteti.

Quid sit? P. I. p. 129.

Feudum ædificii.

Quid sit? differt a feudo habitationis, exemplum, P. I. p. 130.

Feudum Castrense.

Quid sit? exemplum, P. I. p. 130.

Feudum quaternatum.

Dicitur, quod in quinternionibus R. Cameræ describitur, tenetur immediate a Rege, est nobile, regale, collatio ad Regem spectat, P. I. p. 135. & seqq. eius proprietas ibid. p. 138. & seqq.

Feudum quaternatum secundum quid.

Quid sit? constituitur si Baro assensu regis partem suæ Baroniæ infeudat. Relevium, adohan., servitium, & devolutionem Baro exigit, P. I. p. 140. & seqq. Quæ sit eius proprietas? ibid. p. 141.

Feudum planum, et de tabula.

Quid sit? cur ita dicatur, aliud est militare, aliud rusticum, & quomodo differunt, quomodo utrumque constituitur, dicitur feudum *canonicum*, & cur? Quod sit servitium, legibus Regni non subiacet, P. I. p. 143. & seqq. & III. p. 285. N.

Feudi Ecclesiastici indoles.

Debet servire, vel milites mittere, si feloniam vasallus comittit, ad Dominum redit, P. I. p. 159. Prælatus debet seniori iusiurandum fidelitatis præstare, ibid. p. 160. An olim relevium solvebat? ibid. Per annulum, baculum, deinde sceptrum conferebatur, ibid. p. 161. & 162. Hodie quindennium solvunt, ibid. Forum competens est Curia senioris, ibid. Renovat investituram, iurat fidelitatem, servitia præstat, & quomodo, ibidem p. 163. Successio, vel hereditaria, vel promiscua est, ibid.

Fundus dotalis.

In feudum dari non potest, cur? p. 343.

Foreſta.

Foreſtas, & defenſas Baro facere nequit ſine Regis, & Univerſitatis conſenſu, II. p. 374. & ſeq.

Frater.

Frater fratri non ſuccedit in feudo novo, II. p. 431. exceptio, ibid.

Fructus.

Quotuplex ſit? II. p. 468.

Fructus a feudo ſeparato ſunt allodiales, ſed Baro pro his non ſolvit collectas, III. p. 255.

Feudum.

Dicitur a *fide* P. I. p. 2. ſynonima feudi P. I. p. 3. Vox feudi nata eſt ſeculo X. P. I. p. 4. Definitio feudi Oberti, Cuiacii, & Duareni arguitur. Vera explicatur. Eſt contractus nominatus, ſtricti iuris P. I. p. 4. 5. & 6. Sententiæ de Origine feudorum referuntur, & vera ſuſtinetur quæ a Germanis repetit P. I. p. 7. & ſeqq. Origo duplex eſt hiſtorica, & politica, P. I. p. 14. Hiſtorica a Germanis eſſe probatur p. 15. Quid ſub nomine Germanorum veniant d. p. 14. Origo feudorum in Regno Neapolit. a Longobardis eſt.

Feuda Regni Neapolitani immutata, & impropria, quæ ſit cauſſa mutationis P. I. p. 42. recenſentur Cauſſæ politicæ, quæ feuda induxerunt P. I. p. 45. Diviſio feudi in propria & impropria an ſit recte concepta? & cur ita conciperetur P. I. p. 60. & 61. recenſentur diviſiones feudi *ibid.*

Olim erant precaria, poſtea hereditaria & cur? I. p. 211. Seculo IX. & X. hereditaria fiunt, occaſio, ibid. p. 212. In Italia etiam ante francos ſub Longobardis hereditaria fuerunt, ibidem p. 213. In Regno ante Monarchiam dabatur ſucceſſio allodialis, poſtea feudalis, exempla referuntur, I. p. 214. & 215.

Feuda Regni an ſint hereditaria, quæ eorum indoles, II. p. 456.

Filia.

Filiæ inopi ex iure Longob. nihil debetur. Jure germanico ex feudo dotatur, P. I. p. 37. N.

Fridericus II.

Fridericus II. in Regno vetuit feuda alienari, ſtatuit cauſſas, quibus ſubvaſallus ſubfeudum amittit, præſcriptione 30. an. feudum adquiri ſanxit, excepit fiſcum, qui 100. an. præſcrip. gaudet. Statuit de ſucceſſione feudorum, ſed intra 3. gr. ſe continuit P. I. p. 38. 39. 40.

Feudum novum.

Feudum novum eſt quod primo adquiſitus, P. I. p. 62. Evadit, antiquum voluntate inveſtientis, refutatione, & felonia, & viciſſim, ibid. p. 63. & 64.

Feudum antiquum.

Feudum *antiquum* dicitur, quod a primo acquirente, ad deſcendentes tranſit vocatur *paternum*, & quomodo? & quomodo in feudum novum tranſit? P. I. p. 62. & ſeqq. Differentiæ, & effectus feudi novi, & antiqui, ibidem p. 66.

Feudum nobile & ignobile.

Feudum nobile eſt, quod concedit, qui jus nobilitandi habet. Et nobilitas non a feudo, ſed voluntate & poteſtate concedentis pendet. Confert Imperator, Dux, Comes, Marchio, Princeps, P. I. p. 67. & 68.

Feudum ignobile eſt quod confert, qui jus nobilitandi non habet, ibid. p. 69.

Feudum Regale, & non Regale.

Feudum Regale ſolus Princeps confert. Undenam origo feudorum regalium? Quæ ſit Ducum Germaniæ poteſtas? Cur dicatur regale, P. I. p. 69. & 70.

Feudum non regale eſt quod confert, qui non eſt ſupremus Princeps. ibid. p. 71. Natura feudi regalis eſt I. ut Princeps concedat, II. non dividatur, III. ignoret ſucceſſionem, quod poſtea mutatum, P. I. p. 72.

Feudum Eccleſiaſticum.

Feudum Eccl. quid ſit? quando ortum? quis primus feuda Eccleſiæ dedit? P. I. p. 73. 74. 45. & ſeqq. Carolus M. feudis Eccleſias ditavit, ibid. p. 76. Recenſentur fontes feudorum Eccleſ. novem ubi prolixe P. I. p. 78. & ſeqq.

Feudatarius.

Quid ſit iure Regni? I. p. 208.

G

Gaſtaldi.

GAſtaldos in Italia primum Grimoaldus inſtituit. Eorum officium, & juriſdictio, deinde feudatarii, P. I. p. 26.

Gaſtaldus idem ac Præpoſitus, procurator in LL. Longob. P. I. p. 107. Duplex Gaſtaldorum genus, unum Prædiis Principum, alterum Oppidis & Civitatib. cum iurisdictione civili, militari, & criminali præerat, poſtea feudalis evaſit, ibid. p. 108. & 109.

Guardia.

Dicitur a *Wardan* voce Germanica, h.e. videre, ob cuſtodiam, quam feudatarius Guardiæ præſtat, P. I. p. 107.

Gens Cimbrica.

Gens Cimbrica ab oneribus perſonalibus immunis erat, II. p. 382.

H

Hungaria.

HUngaria feudum non cognoſcit. P. I. p. 21. apud alias nationes vel nulla, vel ſero cognita. Frequentes ve-

zo apud Japonenſes, P. I. p. 21. & 22.

Hebræi.

Apud Hebræos officia iure hereditario poſſidebantur, II. p. 360.

Homines proprii.

Quid? II. p. 387.

Hoſtenditiæ.

Quid? III. p. 20. N.

Hoſpitium.

Vaſallus tenetur ſeniori præſtare hoſpitium, III. p. 44.

Hypotheca.

Fieri non poteſt in feudo ſine ſenioris voto, cur? III. p. 180.

Heredis inſtitutio.

Fieri non poteſt in feudo ſine ſenioris voto cur? III. p. 178. & ſeqq.

I

Italia.

ITalia a Longobardis feuda cognoſcere cæpit, P. I. p. 23.

Diviſio Italiæ ſub Romanis d. p. 22.

Longinus novam diviſionem dedit, ſed ruinam Italiæ attulit, d. p. 23 Duplici Poteſtati ſubdebatur immediatæ Regis, & mediatæ Ducum ſub Longobardis, P. I. p. 24.

Imperiales feudorum leges.

Primus qui de feudis leges tulit, fuit Conradus Salicus, de ſucceſſione. P. I. p. 30. Henricus II. cauſſas amittendi feuda ſtatuit. Lotharius III. de ſucceſſione nepotis. alienationem vetuit. Prider. I. Strictius feudum alienari prohibuit, & quid ſub nomine alienationis veniat. Reſtituit in Italia regalias, P. I. p. 33. & 34. Modus promulgandi Conſtitutiones in Campis Roncaliæ d. p. 34.

Joanna II.

Joanna II. Edidit pragm. 1. de feudis, & Philingeria dicitur, quid contineat? P. I. p. 41.

Interpretes.

Primus juris feud. interpretes fuit Bulgarus, & Pileus, deinde alii paſſim recenſentur, P. I. p. 56.

Juriſdictio.

In media ætate triplex fuit juriſdictio, civilis, criminalis, & patrimonialis. p. I. p. 117.

Infans.

Infans poteſt feudum accipere, an iurare fidelitatem teneatur? I. p. 244. accipit tutore auctore, vel per tutorem, ibid.

Inveſtituræ.

Quinam inveſtiri non poſſunt? I. p. 251.

Quotuplex? Exemplæ, III. p. 144. & 145.

Inveſtitura quid? inveſtire quid? II. p. 396. & 403. N. eſt abuſiva, & realis, ibid.

Inveſtituræ abuſivæ ſolemnitas, ibid. p. 397. Effectus abuſivæ inveſtituræ, II. p. 399. An transferatur dominium? ibid.

Inveſtitura etiam fieri poteſt de feudo vaſalli adhuc viventis, cur? ibidem p. 400. Quinam inveſtire poſſint? ibid. p. 402. Recenſentur ſymbola inveſtituræ ex diverſis feudis, II. p. 403. & 111. p. 85. quid olim in Regno ibid. p. 86. An primo abuſiva inveſtitura faciunda, ibid. p. 406. Quæ ſit inveſtitura feudorum Regni? an ſolemnia requirat? II. p. 407. & 408. Clauſula inveſtituræ. V. Clauſula inveſtituræ.

Inveſtitura Paribus Curiæ probatur, & quomodo? IV. p. 326. & ſeqq. Probatur brevi teſtato p. 328. An requiratur ſubſcriptio Parium in brevi teſtato? ibid. Quid hodie ſervatur? ibid. In controverſiis feudalibus prius inveſtitura inſpicienda eſt, p. 329.

Imperium.

Imperium quis a Græcis ad Germanos tranſtulit? & cur? II. p. 267.

Juſpatronatus.

Juſpatronatus ſimul cum territorio infeudato tranſit, II. p. 351. An veniat in confiſcatione bonorum? II. p. 292.

Juriſdictio.

Juriſdictio criminalis & civilis in media ætate erat penes Comites, & Duces, & miſſos dominicos, II. p. 353. & ſeqq.

Juriſdictio patrimonialis quid? Romanis ignota, a barbaris inventa, in ſervos, ruſticos, & colonos exercita, ibid. p. 357. & IV. p. 300. N.

Juriſdictio criminalis a Principe emebatur, ibid. p. 358.

Juriſdictio iure Romano non eſt in commercio, II. p. 359. Apud Barbaros erat in commercio, ibid. Regulis iuris Romani hodie regi nequit, ibid. Quibus actionibus vindicatur? ibid. Quibus modis adquiri poteſt, ibidem p. 360. Dividitur in altam, baſſam, & infimam, ibid. A quo hæc diviſio inventa eſt, ibid.

Juriſdictio Regni Neap. triplex Epiſcopalis, Ducalis, & Regalis, II. p. 361. Juriſdictio civilis erat penes baiulos, V. Baiulum. Conceſſo feudo olim nunquam conceſſa imbelligebatur juriſdictio, cur? II. p. 388. Sed quænam juriſdictio comprehendebatur? ibidem. Moribus juriſdictio feudalis adnecti cæpit, cur? II. p. 389. Quonam tempore? ibid. Sed quænam iuriſdictio conceſſa intelligatur? Ex formula infeudationis colligi poteſt, II. p. 389. & ſeqq. Barones in Gallia merum imperium, Hiſpania, Scotia, non Sileſia habent, II. p. 392.

Ju-

Digitized by Google

Jurisdictio Dominica.

Jurisdictio Dominica competit seniori in causis feudalibus inter duos vasallos de feudo contendentes, IV. p. 294. Sive Dominus superior, sive inferior, mas, aut femina fuerit, p. 295. Et vasalli clerici, vel laici, vel milites, vel pupilli sint, ibidem & p. 298. Cuiuscumque conditionis feudum fuerit, p. 297.

Jurisdictionis Dominicæ indoles, p. 298.

Jusjurandum.

Quid sit? IV. p. 330. Quando Dominus jurare debeat, quando vasallus? p. 331. & seqq. ubi late. Quomodo præstandum sit? p. 334.

Innocentius III.

Innocentius III. ignoravit mores Franciæ, IV. p. 310. & 355.

Inficiator.

Qua pœna jure Romano, & feudali puniendus? IV. p. 367.

Investituræ renovatio.

Origo, & progressus renovationis, III. p. 28. Quid sit? ibid. N. & p. 30. Cur in feudis inducta sit? ibidem p. 29. Tempus renovationis est annus & dies, quomodo p. 30. Quando renovatio faciunda est? p. 31. Tempus petendi nec coarctari, nec prorogari potest, p. 32. Nullus vasallus a renovatione eximitur, p. 33. Excipitur ignorantia, absentia, inimicitia, bellum, pestis, hostium incursio, fluminis inundatio, ætas, aut domini, aut vasalli, contentio, morbus sonticus, p. 34. & seq. Ecclesia vasalla etiam inveniturarn renovare debet, sive morte naturali, sive civili Prælati, III. p. 69. & 145.

Ingratitudo.

Jure Romano non punitur, IV. p. 353. N. exceptio, ibidem, cur? Jure Persico, & Macedonico punitur, ibidem.

Imperium Romanum.

R. Imperii nunitio sub Adriano, Augusto, Severo, & Justiniano facta. P. I. p. 9. Custodia & diligentia ad arcendos hostium, & Barbarorum incursiones. Cur Imp. Severus his militibus fundos dederit, & quomodo a feudis differunt P. I. p. 10.

Infeudare.

Quisque infeudare potest, qui liberam habet bonorum administrationem, p. 238. Fœmina, mas, filiusfam. laicus, clericus, ibid. p. 239. In Regno nemo infeudare potest, nisi Rex consensiat p. 241. cur? ibid. p. 242. & III. p. 238. Princeps domania Regni infeudare potest, cur? quid sit infeudatio? An utilis Principi p. 321. & 322.

Imperium merum.

Nec lex Nortmannica, nec Svevica, nec Andegav. Baronibus merum imperium dedit, sed Alphonsus I. p. 366. & seqq. Merum imperium erat penes justitiarios ibid.

Jus silvestre.

Jus silvestre est jus Baronis quod in silvis habet, quomodo? p. 370. An prohibere venationem poterit? V. Venatio.

Jus pascendi.

Jus pascendi habet Baro in domanio feudali, & Universitatis, quomodo? II. p. 374. an alteri usum pascendi auferre potest? ibid. p. 375. N.

Jus fidæ, & diffidæ.

Fida quid? diffida quid? II. p. 376. Non potest a Barone in prædiis privatorum exerceri & quando? ibid.

Jus aquarum.

Usus Aquarum quatruplex est Baronis, Regis, Universitatis, & privatorum, II. p. 377. Baro nequit prohibere civibus ducere aquas ex flumine II. p. 377. An piscationem prohibere potest? II. p. 377.

Jus Tapeti.

Quid? cur ita vocetur? in pecunia præstatur, III. p. 87. & 88.

Jus feudale.

Jus feudale ante Frid. I. incertum propemodum erat, III. p. 174.

Jus redemptionis.

Quid? V. retractus.

Jus prohibendi.

Quid sit? agnatis competit, quomodo? III. p. 219.

Jus redimendi.

Quid sit? competit filiis, & agnatis, III. p. 220. ibi prolixe, cur? ibid. N.

Jus revocandi.

Quid sit? quibus competat? quomodo? III. p. 224. Sæpe filius caret jure revocandi, & quando? p. 225. & seq. Cur agnatis datur jus revocandi? p. 227.

Interpretatio.

Quid? quotuplex? II. p. 411.

Jus Francorum.

Hoc primus Rogerius in Regno induxit, II. p. 445. An jus Francorum sit speciale in Regno? II. p. 456.

Jusjurandum fidelitatis.

Jusjurandum fidelitatis in media ætate quot modis dicitur? III. p. 4. Quid sit? ibid. Quotuplex? p. 5. v. ligium differt a iureiurando subiectionis III. p. 8. Aut domesticitatis p. 9. quinam hæc iuramenta præstant? ibid. exemplum ibid. Omnis vasallus sive clericus, sive laicus, sive monialis fidelitatem iurare debet, II. p. 10. Sive superior, sive inferior ibid. p. 11. exempla, ibid.

Diviso feudo, quisque pro portione sua iurat, III. p. 13, si communiter possident

Digitized by Google

sident & plures sint Domini heredes uni iuratur ibid.

Jurari potest per procuratorem, si Senior consentiat, aut si iusta sit causa, ibid. p. 14. Partes iurisiurandi sunt incolume, tutum, honestum utile, facile, possibile, III. p. 16. & seqq. Prælati feudatarii iurant per procuratorem, dum Ecclesia est vasalla, aut ipsi III. p. 68.

Ecclesia vasalla iusiurandum fidelitatis seniori laico præstare debet, III. p. 145.

Jejunium bannitum.

Quid sit? III. p. 37. N.

Judicium.

In media ætate duplex erat judicium, allodiale, & feudale, IV. p. 291. N. Modus iudicandi in media ætate ibid.

Hodie ordo iudicialis in allodiis idem fere ac in feudis, p. 292.

Jusjurandum calumniæ.

Jure Romano in judiciis allodialibus præstatur, sed non in feudalibus causis, cur? III. p. 293. quid sit? ibid. N.

Judex ordinarius.

Judex ordinarius, quando causas feudales cognoscit? IV. p. p. 306. Si lis fuerit inter vasallum, & extraneum judex ordinarius iudicabit, ibid. Aut si consuetudo iubet, ibid.

K

Kmetbones.

Quid? II. p. 381.

L

Legatum.

Legato feudo non debetur æstimatio, II. p. 420. & III. p. 179.

Legitima.

Filio competit legitima in feudo, quomodo? II. p. 420.

Lex Longobardica.

In Regno erat dominans usque ad Aragonenses, II. p. 444.

Lex Conradi.

Lex Conradi de successione ævo Normannorum servabatur, II. p. 449.

Lex Lotharii.

Legem Conradi confirmans apud nos recepta est, ibidem.

Lex Friderici successionem feudi ad filios fratrum extendit, II. p. 450.

Ligium.

Quid sit? unde dicatur? modus, quo jusiurandum ligium præstatur? III. p. 5. & seqq.

Ligium homagium.

Vasallus Regni ante possessionem præstat ligium Homagium Commissario nomine Regis, III. p. 77. exemplum, idem mos in Anglia, ibid. intra quod tempus? p. 85.

Litteræ assecurationis.

Has dat Rex, veterem investituram sa-

piunt, earum origo, effectus formula, III. p. 78. & seqq. Sine Regis venia Baro assecurationem a vasallis exigere nequit, cur? p. 80. Exemplum. Intra quod tempus litteræ assecurationis expediendæ? III. p. 85.

Libertus.

Libertus libertatis instrumentum Episcopi successori exhibere tenebatur, III. p. 147. N.

Libellus.

Libellus non potest fieri super feudo, III. p. 185.

Quid sit? quomodo cum feudo conveniat, & differat? P. I. p. 178. & 184.

Litteræ reversales.

Quid? III. p. 207. N.

Litis contestatio.

Locum habet in feudis, IV. p. 291.

Lex agraria.

Quæ fuerit apud Hebræos, ejus auctor, quæ apud Romanos? III. p. 209. & seq.

Lex Roscia.

Decoctores puniebat, III. p. 214.

Longobardi.

Longobardi ex scanzia orti, in Italiam primum feuda induxerunt, eorum politiæ, ducatus, & Comitatus feudales primum instituerunt P. I. p. 23. Longobardi unde dicti d. p. 23. Ad Rotharim usque sine iure scripto vixerunt.

Lex Commissoria.

Lex Commissoria quid sit? an in pignore, an in emptione prohibita? P. I. p. 88.

Lex Salica.

Auctor hujus legis, quid contineat, cur ita dicatur, quomodo a lege Gallica differat, a sequentibus Francorum Regibus aucta P. I. p. 170. N.

Lex.

Jus condendi legem est regalia solius Principis, non potest legem condere contra ius divinum, & naturale, exceptio II. p. 270. Cur? ibid.

Legitimatio.

Legitimatio Natalium est Principis Regalia, cur? quotuplex? Quis primus Pontificium ius legitimandi vindicavit? II. p. 274.

Læsa Majestas.

Crimen læsæ majestatis quot modis committitur? quis committere potest? quæ sit pœna? II. p. 298.

Litteræ arbitrariæ.

Litteræ arbitrariæ concedunt Baronibus merum imperium, quomodo? quot fiant? quem ordinem procedendi concedant? quis primus dedit? quid contineant? II. p. 368. libertas Ecclesiastica quid? IV. p. 372.

Mi-

M

Militia.

Militia Romanorum idem ac officium, præfectura, ad heredes transibat, a feudis differt, arguitur Hatoander P. I. p. 1.

Militiæ Secundonatis debitæ Origo III. p. 120. est onus reale, p. 121. An sit feudum, ibid. N. cuinam debeatur, p. 122. quomodo computatur p. 124. est onus reale p. 125. Dum præstatur, exigitur adiutorium a Vasallis p. 126. hæc consuetudo unde nata? ibid. cur adiutorium exigitur? p. 126. & 127. V. cingulus militiæ.

Jure Romano, qui militiam adquirebat, in ingressu al quid solvebat, III. p. 106. & in N. Militia quid? ibid.

Michael.

Est genus monetæ, cur ita dicatur P. I. p. 111.

Marchio.

Unde dicatur? Romanis, Germanis, & Francis, non Longobardis notus. Est Dux limitaneus. In Italia primus Carolus M. instituit I. p. 204. antea in Francia notus ibid. Quid sit jure Regni, & quando audiri ceperit? I. p. 209.

Minor ætas.

Jure Romano est ad an. 25. Jure Long. est XVIII. I. p. 217. ad contrahendum. Ad nubendum est XIV. in mare, XII. in fæm. ibid. ut etiam iure Regni. Et quid in Barone? ibid. p. 218. Minorennitas varia apud diversas Gentes, ibid. N.

Matrimonium.

Est etiam civilis contractus, an Princeps impedimenta imponere potest? primus Franc. Victoria dubitavit, postea affirmavit I. p. 234. Senior potest in nuptiis sui vasalli consensum præstare, & probatur, ibid. Duces & comites in nuptiis clientum, & colonorum præstabant. Coloni sæpe ab hoc consensu pretio eximebant, ibid. p. 235. Et apud quas Gentes id obtinuit? ibid. v. *Consensus in nuptiis vasalli.*

Maritagium, & Marchetum.

Quid? I. p. 235.

Mentecaptus.

Quis investiri potest. I. p. 245.

Monachus.

Monachus investiri potest de feudo, & Monasterio acquirit, cur? I. p. 248.

Moneta.

Jus cudendi monetam est Principis regalia. Pœna eorum, qui sine Principis mandato monetam cudunt. Quæ in moneta distinguenda sint? Eius proprietas, quando inventa? eius utilitas II. p. 277. & 278.

Multa.

Est pœna pecuniaria, est vox fabina, vel osca, quomodo differt a pœna? Multarum, & pœnarum lucra sunt regalia: II. p. 299.

Mundeburdium.

Quid? Ecclesiæ, & monasteria erant sub Mundeburdio Principum, Comitum, Pontificum, P. p. 118. & II. p. 345.

Mansus.

Quid? in feudum datur, II. p. 349. & seq.

Molendinum.

Baro nequit prohibere constructionem molendini civibus, II. & seq. quando potest? ibid. Nequit cogere cives, ut ad sua molendina accedant, II. 378. & quando? ibid.

Manus mortuæ.

Quid? II. p. 381.

Modus adquirendi feuda.

Quot sunt modi adquirendi feuda? communis sententia refertur, & refutatur, II. p. 394. Verus modus est investitura, improprius præscriptio, & successio, ibid.

Miles Hierosolit.

Hic succedit in feudo, II. p. 427. Hujus ordinis origo, ibid.

Majoratus.

Potest fieri in feudo jure Regni sine assensu Regis, II. p. 455.

Monasteria.

Monasteria feudataria præstabant seniori milites in bello, aut Abbas ad bellum ibat, III. p. 61. Recensentur Monasteria in Imperio, quæ militare servitium, aut franca erant, ibidem, exempla 62. Recensentur onera, quibus Monasteria feudataria tenentur, p. 66.

Mulier.

Mulier, quæ in feudo dotarium habet, assecurationem præstare debet, cui? quando? III. p. 84. non potest testari in cauſſa feudali, IV. p. 397.

Morgengaba.

Quomodo differt V. dotalitio, quid? III. p. 183. N.

Minor.

Stare non potest in judicio feudali sine curatoris auctoritate, IV. p. 308.

Maritus.

Si feloniam committit, & feudum uxoris habet, an illud amittat, IV. p. 380.

Melioratio.

Melioratio quid? quoduplex? IV. p. 407. Melioratio, feudo devoluto, cui cedat? ibidem & seq.

N

Natura feudi.

Natura feudi quid? P. I. p. 167. Est servitium militare vel paganicum, ibid.

Digitized by Google

ibid. Affenationis prohibitio, ibidem p. 168. Dominus vel Curia ſit judex competens, ibid. Non amittatur ſine culpa, ibid. p. 169. Non ſuccedant fœminæ, ibid. Inveſtituræ Renovatio, ibid. p. 170. Ut ſucceſſio ſit legitima, ibid. 172. Libere refutari poſſit, linea aſcendens deſcendenti non ſuccedat, ibid. Evictio, ibid. p. 173. Mutua inter Dominum, & vaſallum fides, ibid.

Nortmanni.

Nortmannorum origo, quot in Regno venerunt, retinent leges Longobardicas allodiales, & feudales, alias addunt, alias ex Neuſtria conſuetudines ferunt, P. I. p. 27.

Ante monarchiam in Regno titulum Ducis, & Comitis ſine feudalitate adhibebant, I. p. 206. Quis eorum titulum Ducis primus habuerit? ibid. an voluntate S. Pontificis? regalis eorum iuriſdictio. A quonam primam Adquiſitorum inveſtituram habuerint? ibid. p. 207.

Nobilitas.

An feudum nobilitet? P. I. p 68. Quando nobilitare cepit, & cur? Quotuplex eſt nobilitas? Omnis nobilitas a Principe fluit, II. p. 271. & 272.

Notariatus.

Jus creandi Notarios eſt regalia Principis. Quando apud Barbaros ceperint Notarii II. p. 272. & 273.

Naufragium.

Bona eorum, qui naufragium paſſi ſunt ad Duces, & Comites, & Epiſcopos confines pertinebant. Sed Frid. II. vetuit. II. p. 286.

Nepos.

Nepos præfertur patruo in feudo, cur? II. p 436.

Nex.

Si vaſallus ſeniorem necat, feudum amittit, IV. p. 356. quomodo? ibid.

O

Obligatio.

OBligatio feudalis quid? III. p. 1. ex quibus fontibus deſcendat, ibid. Diviſio ex contractu, vel quaſi contractu, delicto, vel quaſi, III. p. 2.

Obligatio feudalis quos reſpiciat? III. p. 3.

Obligatio clerici vaſalli.

A prima Eccleſiæ ætate arma vetita ſunt clericis, III. p. 59. Clericus aut Eccleſia vaſalla bello ſervire tenetur, ibid. Clerici loricati in picturis ibid. Conſuetudo cogendi clericos feudatarios eundi ad bellum generalis in Europa erat, p. 60. Clerici feudatarii aut bona Eccleſiæ, aut feuda ſubinfeudabant, III. p. 60.

Ordo Benedictinus.

Primus in Regno feuda habere cepit. Eſt primus Baro, infeudat, feuda poſſidet P I. p. 148.

Officialis.

Officialis munus eſt annale II. p. 384. Nec ante annum removendus, ibid. De ſuis delictis M. C. cognoſcit, ibid. Stare debet Syndicatui ibid. Qui ſint Officiales, qui ſyndicatui tenentur, ibid.

Officium.

Officium iuſtitiæ vendi nequit, II. p. 385.

Oneris deductio.

In præſtandis feudorum Regni oneribus, quomodo fit onerum deductio? III. p. 134.

Onera vaſalli ſiculi.

Onera vaſalli ſiculi ſunt inveſtituræ petitio, aſſecurationis iuramentum III. p. 165. hominium, p. 166. ſervitium militare, p. 168. quomodo? p. 169. quantitas ſervitii p. 179. relevium p. 171. & ſeq.

Onera ſubvaſalli ſiculi.

Subvaſallus in Sicilia an militare ſervitium præſtare debeat? III. p. 170. cui præſtandum? & quamdiu? p. 171.

Ordo judiciorum.

Qualis in media ætate? V. Judicium.

P

Palatia.

PAlatia quid? eſt regalia, II p. 294. & ſeq.

Piſcatio.

Eſt regalia, an præſcribi poſſit? An jus genuum laedat, II. p. 295. & ſeq.

Potestas eligendi.

Poteſtas eligendi Prælatos eſt regalia, a Nortmannis apud nos exercita, ſicut & Gothis, & Longobardis, II. p. 305. Concordatum inter Adrianum IV. & Willelmum circa electiones, ibidem p. 306. Concordatum inter Carolum V. & Clemen. VII. de electione Epiſcoporum Regni, II. p. 313.

Princeps ſupremus.

Princeps ſupremus inveſtiri poteſt a privato, onera feudalia per ſubſtitutum præſtat, I. p. 250. An id ſuam Majeſtatem minuit? ibid. An infeudare domanium poſſit? V. infeudare.

Provocatio.

Extrema provocatio eſt Principis regalia. Romæ quomodo contingebat? II. p. 280.

Portus.

Portus quid? unde? eſt Principis regalia, cur? II. p. 285.

Pœna gradilis.

Quid? a quibus percipiebatur? II. p. 239.

Præſcriptio.

Præſcriptio 30. an. omnibus mediæ ætatis populis nota II. p. 413. Ea feudum adquiritur, ibid. Nec vaſallus titulum

oſtendere tenetur ibid. In bonis Eccleſiæ etiam ſervata I. p. 414. poſtea mutata ibid. Jure Regni Siciliæ, & Neapolis etiam feudum adquiritur, cur? II. p. 415. Nec bonam fidem, vel titulum requirit, II. p. 416. Res tamen particularis feudi præſcribi 30. an. Nequit, ſed immemoriali, cur? II. p. 417.

Præſcriptio contra fiſcum debet eſſe centenaria, ibid. An privatus allodium Baronis iure feudi præſcribere poſſit? ibid.

Primogenitus.

Quis dicatur? II. p. 435. An filius ante feudum natus dici poſſit primogenitus, p. 436. An pater poſſit primogenitum a feudo expellere? p. 437.

Primigenia.

Quid? II. p. 435. N.

Primogenitura.

Indici a lege, vel privata familia poteſt, ſed an in omni feudo? II. p. 437.

Primogenitura in feudis maioribus apud Longobard. II. p. 445. Alii filii in Oppidis ſuccedebant, ibid.

Patruus.

Patruus in feudo novo, & antiquo ſuccedit, II. p. 453.

Prælatus.

An Prælati ſuccеſſor factum defuncti ſervare teneatur? III. p. 73. N.

Paragium.

Paragii origo, in allodiis quantitas, in feudis non eſt loco legitimæ, III. p. 130. Quibus fœminis dandum? p. 131. & 132. Modus æſtimandi paragium, p. 133. quænam conditiones ſervandæ ſint? ibid. & ſeq.

Pulveraticum.

Quid? III. p. 107. N.

Pignus.

Pignus in feudo fieri nequit, ſine Domini conſenſu, cur? III. p. 182. exceptio p. 192.

Permutatio.

Feudum permutari non poteſt ſine Domini conſenſu, III. p. 187.

Potentior.

Potentior quis dicatur? III. p. 192. N.

Pares.

Origo parium, IV. p. 301.

Pares Franciæ quot? ibid. Unde dicti ſint? ibid. Eorum iuriſdictio eſt inter Dominum, & vaſallum de feudo contendentes, p. 302. Exemptum, ibid. An reiici poſſint ut ſuſpecti? p. 303. Quis eligere poteſt Pares? p. 304. & ſeqq. An cogi poſſint, ut iudicent? ibid. Habent iuriſdictionem ordinariam, p. 305.

Procurator.

Sicut in cauſſis allodii ita & in cauſſis feudi quiſque per procuratorem litigare poteſt, IV. p. 309. Olim nemo per procuratorem litigare poterat ſine Principis conſenſu, p. 310.

Procurator vel eſt in rem alienam, vel in rem ſuam, ibid. In cauſſis feudalibus ſpeciale mandatum requirit, p. 311.

Præſumptio.

Præſumptio quid? quotuplex, omnis res præſumitur libera, IV. p. 321. 322. Quibus præſumptionibus probetur aliquid eſſe feudale? p. 323. 324. In dubio feudum potius antiquum, quam novum præſumitur, p. 325.

Præſumitur maſculinum, quam fœmininum, ibid. Ex pacto, & providentia, non hereditarium, p. 326.

Probatio.

Quinque probationum ſpecies ius feudale Longob. admittit, & quas? IV. p. 321. Inveſtitura nova paribus Curiæ probatur, p. 329.

Probatio in cauſſa felonia contingit teſtibus, ſcriptura, confeſſione, & præſumptione, IV. p. 396. ubi late.

Probatio feloniæ iuris ordinem ſervare debet, ibid.

Probationes illegitimæ.

Quot in media ætate? cur ita dictæ? IV. p. 335. Cur adhibitæ? p. 336.

Pares Regni.

Etiam iure Regni Pares Curiæ cauſſas feudales cognoſcebant, IV. p. 343. & ſeqq. Sub Aragonenſibus S. Conſil. cognoſcere cæpit p. 346. In cauſſis tamen Baronum Criminalibus hodie etiam Pares cognoſcere ſolent, p. 347.

Pulſatio.

Si vaſallus verberibus ſeniorem afficit feudo cadit, IV. p. 356.

Prodigus.

Prodigus inveſtiri poteſt, I. p. 245.

Precaria.

Quid ſit? Quomodo cum feudo conveniat, & differat P. I. p. 176. & 177. & 184. Origo, ibid.

Princeps.

Jure Romano quid? ſub Longobardis in Europa primum in perſona Arechis audiri cepit; ſed non feudatarius I. p. 204.

Principatus.

Principatus Beneventanus, quando diviſus in Salernit. & Capuan. Occaſio diviſionis I. p. 206. Salernitanus quando feudatarius evaſit? ibid. Sub Rogerio feudalis evaſit, I. p. 210. Sub Andegavenſibus Regibus primonato dari, poſtea Dux Calabriæ dici cepit, ibid.

Patria poteſtas.

Hæc iure Longob. ignoratur, & feudum bonorum filio, non patri, ſed filius adqui-

adquiritur, cur? I. p. 218. & 219.

Poloni.

Poloni nullum fere feudum cognoscunt, sed allodium liberum est P. I. p. 21.

Philibertus.

Philibertus formulam iurisiurandi fidelitatis propoſuit P. I. p. 35.

Pontifices.

Pontifices etiam de feudis constitutiones ediderunt, nempe Inno. III. Alex. III. Alex. IV. quæ referuntur P. I. p. 35.

Persona.

Personæ in media ætate erant in dominio Imperantis P. I. p. 46. not.

Patrimonium.

Patrimonium D. Petri in quo consistat? P. I. p. 77. N.

Pontificium.

Quid sit? P. I. p. 176.

Pupillus.

Pupillus sine tutoris auctoritate, & iudicis decreto bona de novo infeudare nequit, I. p. 232. Potest sine tutoris auctoritate investituram renovare p. 233.

Pupillus stare non potest in iudicio feudali sine tutoris auctoritate, IV. p. 308.

Q

Quindennium.

Origo, solvitur ex feudis Ecclesiasticis cur? III. p. 147. & seqq. quid? p. 149.

R

Repræsentatio.

Repræsentatio etiam in linea Collaterali datur II. p. 452. & 453.

Relevium.

Origo III. p. 104. & seqq. In Regno moribus invaluit p. 108. Solvitur a successore vasalli, loco renovationis investituræ ibid. Est onus reale ibid. relevii quantitas in Regno, quid in Gallia? p. 109. Infra quod tempus solvendum? p. 109. Morte naturali Vasalli, non civili solvendum, p. 110. Obligatio solvendi heredi incumbit, ibid. An in refutatione solvendum? p. 111. Quæ sit pœna non solvendi relevium? p. 113. quis primus penam induxit, ibid. Quid si duo feudum possideant, & unus non solvit? p. 115. & 116. An impubes teneatur solvere? quid si non solvit? p. 117. Modus solvendi relevium, p. 118. Actio ad petendum relevium ibid.

Rogerius.

Rogerius primus in Regno Siciliæ leges feudales tulit, mos Francorum induxit, P. I. p. 36.

Recommendati.

Qui fuerint in Regno? P. I. 133. N.

Rusticus.

Rusticus quis? an acquirere potest feudum? I. p. 246. Cur in Gallia Rusticus feudi possessor censum fisco solvit? Quando Rustici ceperint habere feudum? I. p. 246. In Saxonia Rusticus, & quilibet ignobilis feudum acquirere non possunt, ibid. p. 247.

Res.

Rei vocabulo quid contineatur? II. p. 253.

Res quomodo in jure feudali dividi possunt? ibid. p. 254.

Religiosa.

Religiosa res quid sit? quomodo fieri potest? Exemplum loci religiosi. Jure christiano quomodo locus religiosus fieri potest? I. p. 255. & 256.

Regalia.

Est jus Principis, quando incipit Principi competere? II. p. 265. & 266.

Restituit Frid. I. in Italia, quam Episcopi, & Feudatarii, & Potestates usurpaverant. Recensentur Causæ usurpationis, II. p. 267. 268. Voto Jctorum sibi restituit, ibid. Divisio Regaliæ in majores, & minores, & quæ? ibid. p. 269. An Fridericus de omnibus regaliis statuerit? ibid. p. 267. Ejus lex ab aliis principibus retenta, ibidem.

Ripatica.

Est vectigal quod occasione riparum percipitur. Est Principis regalia, cur? II. p. 285.

Regalia R. Nost.

Nortmanni ante Monarchiæ institutionem apud nos regalias exercebant. Erant reguli, recensentur regaliæ, II. p. 301. & seqq.

Rogerius postea Rex primus omnia regalia sibi vindicavit, ibid.

Regalias a Nortmannis inductas Frid. II. retinuit, alias invenit, & quas? II. p. 307. A quibus administrabantur? Rex omnes fere in feudum concessit, II. p. 303. & p. 314. & seq.

Regaliæ adquisitio.

Regalia privilegio, aut præscriptione adquiritur, quomodo? II. p. 316. Præscribitur exercitium, non jus, ibid. p. 317. Quænam præscriptio requiratur, ibid. p. 318. Quid jure Regni? ibid. p. 319. Quid si Princeps contra Principum præscribere velit? ibidem.

Redemptio altarium.

Quid? II. p. 335.

Res incorporalis, & corporalis.

Est quæ tangi, & videri nequit, in jure consistit, II. p. 337.

Res corporalis quæ? eius divisio, ibid.

Rei qualitas.

Qualitas rei a quibus tantibus descendit? II. p. 338. Quæ res inter immobilia

bilia recenſentur? ibid. An. annuus reditus, iuriſdictio, canon, &c. ibid. An res hæ infeudari poſſint? ibid.
Res mobilis, aut movens quid, an in feudum dari poſſit? ibid. p. 340.

Refutatio.

Baro poteſt feudum refutare ſine conſenſu Regis, III. p. 260.
Refutationis ſolemnitas, ibid. Modus refutationis, p. 261. Debet eſſe ſine pacto, ibid. faciunda, qui proxime ſucceſſurus eſt, p. 262. Effectus refutationis, p. 263. An morte refutantis ſolvendum relevium? p. 264. & ſeq. quando non ſolvendum ibid.
Refutatio feudi an fieri poſſit ſine domini conſenſu III. p. 205. quid? ibid. quotuplex? p. 206. refutatio coacta fiebat ſi vaſallus vellet Seniori bellum inferre, exemplum, p. 206. Voluntaria refutatio quando fieri poteſt? p. 207. feudum antiquum refutari nequit, cur? ibid. Vaſallus præter feudum donum inveſtituræ reſtituere debebat, III. p. 207. N. Non poteſt fieri in extraneum, p. 208. Non immutat feudi naturam, ibid.

Reconventio.

In cauſſis feudalibus non ſervatur, III. p. 292.

Res ſacræ.

In feudum dari non poſſunt, cur? II. p. 341.

Res litigioſæ.

Quæ? in feudum dari non poſſunt, II. p. 342.

Res communes.

In feudum dari poſſunt, quomodo? II. p. 343.

Res Univerſitatis.

In feudum dari poſſunt, II. p. 343.

Regalia in Eccleſiis vacantibus.

Quid? quibus rationibus innititur? fere generalis in Europa III. p. 69. & ſeq.

Retractus.

Quid? eius origo? III. p. 208. unde dicitur? p. 209. quomodo Deus in veteri lege ſanxerit? ibid. In quibuſdam caſibus iure Romano retractus admittebatur, p. 213. ſub Republica Ignotus fuit. Et vendere maiorum prædia dedecus erat, p. 213. & ſeqq. Jus retractus reſtituit Lecapenus in Oriente p. 214. quid ſtatuit, ibid. In occidente Frid. I. uti creditur, reſtituit, quomodo? in quibus contractibus? intra quod tempus? p. 215. & ſeqq. lex Friderici non ubique recepta, p. 216. In feudis viget, quomodo? p. 217.

Remiſſio feloniæ.

Dominus remittit feloniam tacite, vel expreſſe, quomodo? IV. p. 393. An ad agnatum Prælatum, Collegii adminiſtratorem pertineat remiſſio feloniæ, p. 394. Vaſallus tacite, vel expreſſe feloniam remittit, p. 394.

S

Servitium.

Servitium eſt de natura feudi III. p. 18. in quo conſiſtat? ibid. quæ ſint eius ſpecies? ibid. Nullus vaſallus a ſervitio eximitur, ibid. p. 19.
Servit vel per ſe, vel per ſubſtitutum, ibid. exceptio, ibid.
Si nec ſervire, nec ſubſtitutum mittere velit, tenetur ad dimidium reditus III. p. 20.
Suis ſumptibus ſervire debet, exceptio, ibid. p. 21. Antiquiori domino primum ſervitium præſtandum, ibid. p. 22. Monitus ſervire debet, exceptio, ibid. p. 23. & 24. Non tenetur ſervire contra ſeipſum, ibid.
Si eſt pupillus, ſenex bellum iniuſtum, p. 24. & ſeqq.
Si feudum francum, ſi iure impeditus, ibid. An aucto feudo, augeatur ſervitium? ibid.
Rex eligit, an a barone adoham, an perſonale ſervitium velit, III. p. 88. curſ ibid. Debet tribus menſibus ſervire ibid. p. 89.
Suis expenſis ſerviet, ibid.
Serviet, ſi admonitus legitime fuerit, ibid. Modus Citationis eſt edictum ſigillo Regis munitum, ibid. Regale edictum cui indicitur? p. 90. quomodo? ibid. & p. 91. Tempore ſervitii quiſque in Regno Baro tenebatur quantitatem ſui feudi oſtendere p. 92. ex Regeſto Gulielmi II. quod ibidem refertur. In Regno ſervire tenetur, non extra, ſed Frid II. non ſervavit, p. 95. quantitas ſervitii, p. 94. 96.

Servitus.

Servitus a vaſallo feudo imponi non poteſt, quæ ſeniori noceat, III. p. 45. Imponi poteſt ſuper feudo ſine Domini conſenſu III. p. 194.

Servitia Prælatorum.

Prælati feudatarii pro ſeniore ſuo militabant, III. p. 136. quæ conſuetudo in Regno ſervata eſt, ibid. A Normannia, & Anglia nata ibid. refertur catalogus Prælatorum, qui feuda poſſident Nortmanniæ, p. 137. Quis primus in Regno de militari Prælatorum ſervitio legem tulit? p. 138. refertur Catalogus Gulielmi II. p. 139. Clauſula feudorum, quæ Eccleſiis concedebantur, p. 141. exemplum, ibid. Omnia feudi ſervitia præſtabant, p. 142. & ſeqq.

Subinfeudare.

Vaſallus poteſt ſubinfeudare ſine domini conſenſu, quo pacto? III. p. 195.

jure

jure Regni non poteſt, p. 283.
Subinfeudare vaſallus iure Longob. poteſt ſine Senioris conſenſu II. p. 460. Quando hæc facultas nata eſt? ibid. Marchionibus, Ducibus, Comitibus, Epiſcopis, & Abbatibus competiit, II. p. 461.
Subinfeudatio non eſt proprie alienatio, ibid. Quid in ſubvaſallum tranſit, ibid. p. 462. quid ſit ſubfeudum? ibid. Quas ſolemnitates requirat? ibid. Quamdiu duret? ibid. p. 463. An ſubvaſallus nobilitatem adquirat? ibid. p. 463. An ſubvaſallus nobilitatem adquirat? ibid. p. 464. Origo ſubfeudi iure Regni, II. p. 464 Jure Regni nullus Baro ſubinfeudare poteſt ſine Regis aſſenſu, ibid. quot modis ſubinfeudatio jure Regni contigebat, II. p. 465. exemplum, ibid. Clerici aſſidue ſubinfeudabant, III. p. 64. & ſeqq. ubi late.

Sacramentales.

Quid? quot? in Cauſſis allodii, & feudi iurabant, quomodo? IV. p. 334. & ſeqq. quomodo dicebantur? ibid.

Sententia.

Lata feudalis ſententia, cui noceat? IV. p. 341. Non ferenda niſi a domino, vel paribus Curiæ, ibid. Non fertur, niſi convicta culpa, ibid. A ſententia hac appellari poteſt, p. 340. An lata contra vaſallum agnatis noceat? p. 341.

Statutum.

Statutum lædens Eccleſiam quid? IV. p. 372.

Subvaſallus.

Subvaſalli officium, & onus III. p. 68.
Subvaſalli Neapolitani onus eſt juſjurandum Aſſecurationis, cujus ſit formula? III. p. 153. & ſeqq. quando Baroni ſervire debeat in bello? ibid. Referuntur Catalogus ſubvaſallorum Regni ſub Galielmo II. p. 157.
Solvit adoham, & relevium, p. 159. quomodo? ibid. an ex omni ſubfeudo hæc onera ſolvantur? p. 160., & ſeqq.

Sacrum.

Quid ſit? quomodo fieri poteſt? an in uſus profanos converti? Quotuplex ſit jure Chriſtiano, II. p. 254. Cur competat facultas ſacrum faciendi, & actio pro ſacro? ibid. p. 255.
Jus leges imponendi circa ſacra quomodo Principi competat? in quibus rebus? An in omnibus? cur Principi hæc facultas competit? II. p. 278. & 279.

Salina.

Salina eſt regalia. Roma quis primus inſtituit? erant etiam ſalinæ privatæ, hodie omnes ad Principem pertinent, II. p. 299.

Soldurii.

Soldurii apud Gallos erant qui alicujus protectioni ſe dabant, quomodo a feudatariis differant, arguitur Connanus, P. I. p. 10.

Superficies.

Quid ſit? quomodo cum feudo convenit, & differat, P. I. p. 175. & 182.

Servus.

Servus an poſſit de feudo inveſtiri? In media ætate an ſibi, vel domino acquirebat, an contra dominum teſtari, an clericus fieri, an militare? hodie non ſunt ſervi, p. 249. & 250.

Sancta.

Res ſancta, quid iure Romano? quid iure noſtro, II. p. 256.

Sepiaticum.

Quid? & unde dicatur? II. p. 272. N.

Succeſſio.

Olim in feudis non dabatur ſucceſſio, erant precaria, II. p. 418. Omnes filii æqualiter in feudo ſuccedunt, exceptis feudis maioribus, cur? II. p. 424. Non ſuccedit clericus, cur? II. p. 426. Exceptio, ibid. Non monachus, ibid. p. 427.
Succedit Miles Hieroſolit. ibid. Non fæmina, p. 428. Exceptio, ibid. Non adoptivus, cur? ibid. Non filius naturalis, cur? p. 429. Non mutus, ſurdus, cæcus, vel aliter imperfectus, p. 431. Non filii nati ad Morganaticam, p. 431.

Succeſſio mulierum.

Fæmina cur a feudis arceatur? II. p. 432. Omnes fere Populorum leges in media ætate a feudo, & allodio removebant, ibid. Nec ex fæmina deſcendens in feudo ſuccedit, cur? ibid. Sæpius fæmina in feudo, vel Regno ſuccedit, & quando, p. 434.

Succeſſio Collateralium.

Collateralis a primo Adquirente deſcendens in feudo ſuccedit, II. p. 439. In ſucceſſione collaterali linea, proximitas, & repræſentatio conſideratur, II. p. 440. An in ſtirpes, an in capita ſuccedatur? ibid. Unica eſt in feudis ſucceſſio, hoc eſt deſcendens, p. 441.

Succeſſio Aſcendentium.

Aſcendens deſcendenti non ſuccedit, in feudo, cur? II. p. 452. Exceptio, ibid.
Succeſſio feudi iure Regni eſt uſque ad quintum gradum, II. p. 453.

Subſtitutio.

Poteſt iure Regni in feudo fieri, II. p. 456. N. III. p. 257.

Seniorætus.

Quid? II. p. 437.

Teſta-

T

Teſtamentum.

TEſtari de feudo vaſallus nequit, ne ad piam quidem cauſſam, cur? II. p. 418. Exceptiones recenſentur, p. 419.

Teſtari vaſallus poteſt de fructibus feudi perceptis, & percipiendis, II. p. 457. Jure ſiculo de feudo teſtari potes, II. p. 458.

Vaſallus poteſt de fructibus feudi ſeparates, vel ſeparandis teſtari ſine Regis conſenſu, III. p. 253. Poteſt ſucceſſorem gravare, ibid. Poteſt ſimplicem feudi tenutam legare, p. 254.

Poteſt fœminam proximiorem excludere, & remotiorem marem inſtituere, p. 255. Etiam filiam, p. 256. Non debet gradum tranſgredi, ibid. Non maſculum remotiorem inſtituere, p. 257.

Teſſera frumentaria.

Quid? an poſſit in feudum dari? II. p. 339.

Tituli.

Tituli Eccleſiarum in feudari non poſſunt. Quid ſint? II. p. 341.

Nemo tenetur edere titulum ſuæ poſſeſſionis, III. p. 44. exceptio.

Titulus domus, vel prædio affixus legitimum poſſeſſorem indicat, P. I. p. 134. N.

Tybris.

Tybris flumen dicitur Terentum, aut Serra, cur? II. p. 349. N.

Theſaurus.

Quid ſi in prædio feudali, fructuario, aut emphyteuſi inveniatur, cui cedat? II. p. 352.

Quid? cui cedat jure Romano? hodie eſt regalia Principis, II. p. 300.

Tranſactio.

Tranſactio fieri non poteſt ſuper feudo ſine conſenſu Domini, III. p. 187.

Timar.

Timar Turcis eſt ſtipendium, P. I. p. 50. N. unde Timarra eſt commenda.

Quid? P. I. p. 2. & 50. N. unde dicatur, ibid.

Timariota.

Quid? P. I. p. 1.

Tenuta.

Quid? III. p. 254.

Turcæ.

Turcæ feuda cognoſcunt, P. I. p. 20.

Tutela.

Tulela quid? quotuplex, I. p. 220.

Tutor.

Tutor a patre dari poteſt in feudo, vel Regno, I. p. 220. 221. Sive extraneus, ſive feudalis conditionis, ibid.

Pater in teſtamento dat jure Romano, ſed moribus etiam mater, ibid. p. 221. & 222.

Mater hodie eſt etiam tutor legitimus, & omnibus legitimis præfertur, ibid.

Si non eſt mater, agnati tantum in feudo tutores ſunt, ibid p. 223.

Si nec teſtamentarius, nec legitimus erit, jure Romano ſuccedit dativus ſed in feudo eſt ſenior, I. p. 225.

Apud Anglos donec pupillus ad minorennem ætatem venerit, ſenior fructus feudi percipit, cur? an hæc tutela domini, & iniqua ſit? ibid. p. 226.

In regno pupillis feudatarii Rex dat tutorem, I. p. 227.

Eſt regis regalia, quomodo tutela a balia differat? I. p. 228. 229.

Tutor pupilli poteſt de novo res pupilli infeudare, ſi judicii decretum accedat, I. p. 232.

V

Vaſalli.

VAſalli dicuntur *fideles*, Saxones vocant *leudes*, & feudum *leudum* hoc eſt fidelitas. P. I. p. 2.

Vaſallus quid ſit? I. p. 251.

Valvaſor.

Valvaſor eſt, qui inveſtituram habet a Regis valvaſore de feudo, I. p. 187.

Valvaſinus.

Eſt qui a minore Valvaſore feudum tenet, I. p. 187.

Univerſitas.

Univerſitates Regni poſſunt ad Regium domanium proclamare, quomodo? I. p. 242. N.

Venia ætatis.

Jus concedendi veniam ætatis eſt Principis regalia. Quando conceditur? qui ſint effectus? II. p. 275.

Vectigal.

Jus imponendi vectigal eſt Principis regalia cum Regnis nata. Ejus ſpecies. Iniquitas Romanorum in imponendis vectigalibus. II. p. 276. & 277.

Via publica.

Via publica eſt regalia Principis. Via quotuplex? publicum quid? cur inter regalias recenſeatur? Quæ debet eſſe Principis cura in viis publicis? II. p. 282. & 283.

Venatio.

Eſt regalia jure civili, & gentium cuique in fundo ſuo venari datum eſt, cur Princeps ſibi reſervavit? an jus gentium lædat, II. p. 296.

Baro venationem in feudo prohibere poteſt, quomodo? quibus modis acquirat? II. p. 370.

In media ætate prohibebant, ibidem p. 371.

An in locis prohibitis venando, feras ſuas facit? II. p. 28.

An prohiberi ſub pœna mortis poſſit? p. 372. & 373.

Vutrgli-

Vnrglidus.
Quid?
Virgo.
Virgo in capillo excludit primogenitam nuptam & dotatam, II. p. 448.
Quæ requirantur, ut excludat? ibid.
Aliud in Regno Siciliæ, II. p. 450.
Vita.
Primogenitus ſecundonato vitam, & militiam dare tenetur, II. p. 457.
Vitæ origo, III. p. 119. Quid ſit? III. p. 120. An ſit loco legitimæ, ibidem. Ex quibus deducitur, p. 121. eſt onus reale, ibid. præſtatur ex fructibus, & quid nomine fructus veniat, ibid. Quiſnam vitam exigere poteſt, & ex quo feudo? ibid. & ſeq.
An adoptivus, adrogatus, exheredatus, clericus, mutus, ſurdus, ibid.
An in linea collaterali debeatur, p. 124.
Eſt onus reale, p. 125.
Inſtar legitimæ computatur, p. 128.
In deductione inſpicitur tempus mortis, p. 129.
Uſusfructus.
Quid ſit? quomodo cum feudo conveniat, & differat, P. I. p. 167. & 182.
Non poteſt ſuper feudo conſtitui ſine domini conſenſu, cur? III. p. 185.
Venditio.
Feudum vendi non poteſt ſine domini conſenſu, III. p. 188.
Vulneratio.
Si vaſallus ſeniorem injuſte vulnerat, feudo cadit, IV. p. 356.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

00564025
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google